BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
762
NAPOLI

Digitized by Google

DE

RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM.

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

Digitized by Google

Animos noſtros Parens, Nutrix, Magiſter, Poëta, Scena *depravat* : Multitudinis *conſenſus abducit a vero. Animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi; qui teneros, & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet, imitatrix boni, Voluptas, malorum autem mater omnium.* Cicero de Legibus L.I. c.17.

Magni autem eſt ingenii, revocare mentem a ſenſibus, & cogitationem a conſuetudine abducere. Cicero Tuſcul. L. I. c. 16.

Digitized by Google

5P2663

ALOYSII ANTONII VERNEII
EQUITIS TORQUATI
ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE


RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBRI SEX.

EDITIO ALTERA AUCTIOR, ET EMENDATIOR.



Biblioteca Nazionale V. E. II

ROMAE CIↃIↃCCLVII.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONII
IN PLATEA S. IGNATII.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOSEPHO I.

LUSITANORUM REGI

PIO FELICI FIDELISSIMO

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS
PROSPERA OMNIA.

NON injuria dubitatum eſt a viris doctiſſimis, JOSEPHE I. rex auguſtiſſime, bonine plus is adtulerit civitatibus, ac ſtudioſis litterarum, qui diſciplinarum principia invenit, eaſque recondita eruditione expolivit; an qui viam ſtravit, qua doctrinæ omnes

Digitized by Google

in puerorum, ac rudium animos & facile, & ſuaviter inlaberentur. Nam cum antiquioris diſciplinæ monumenta conſideramus, & Veterum obſcuritatem ingenii, ac vivendi rationem plane feram & inmanem animo colligimus; perſpicue videmus, per litterarum inventores plurimas utilitates humano generi fuiſſe delatas, manſuefactas gentes, conſtitutas urbes, humanamque ſocietatem jucundiorem, & firmiorem bonarum artium præſidio factam fuiſſe. Cum autem recentioris eruditionis utilitates omnes animo percenſemus, incredibiles commoditates juniorum doctorum induſtria ac diligentia adquiſitas fuiſſe reperimus.

Ac mihi ſane utrorumque rationes accuratius meditanti, verior hæc ſententia videri ſolet, Recentiores minimum pares, interdum Veteribus eſſe ſuperiores. Nam ſi primi diſciplinarum doctores inventionis laudem tamquam propriam ſibi vindicant, hæc tam multis compenſantur commodis, quæ Recentiores invexere, omnino ut Veteribus nihil iſti concedere videantur. Quid enim intereſt fundamentum, ut ita dicam, ponere ædificii, niſi ædificium ſuper exſtruatur, quod omnium utilitati & commoditati pateſcat? Quis autem Veterum in ſeverioribus ſcientiis nobis præter
quæ-

quædam initia rudia & inordinata reliquit ? Profecto ſi Recentiorum lucubrationes, ſi rerum utilitatem, & facilitatem docendi, ſi cetera multa numero, quibus doctrinas a Veteribus traditas auxerunt, & ampliarunt, cum antiquioribus comparamus; plane intelligemus, quanta illi in rerum caligine & ignoratione verſarentur.

Atque ut ipſa diſciplina, quæ argumentum eſt hujuſce libri, oratio noſtra definiatur, quis ignorat, quanto opere ars Logica fuerit a veteribus Græcis, Ariſtotele præſertim, exculta? Quis autem, ſi Ariſtotelis logicam non dico cum graviſſimis hujus ſæculi ſcriptoribus; ſed cum ipſo Gaſſendo, Auctore Artis Cogitandi, Hamelio, Sylvano Regiſio, ceteriſque, qui prima fundamenta hujus inſtitutionis poſuerunt, comparet, non illico percipiat, quantum ſit inter eum, & horum quemque diſcrimen? Redundans ille, & obſcurus adeo, ut interdum vix intelligi poſſit: hi breviter, & perſpicue omnia, quæ cogitarunt, exponunt. In illo pauca quædam utilia innumeris ſupervacaneis ſunt admixta: in his, ſi pauca demas, pleraque utiliſſima ſunt ad recte dijudicandum. Illum judices myſteria ratiocinationis præſertim falſæ, quæ & innumera ſunt, & ingenia ſæpe depravant, aperire voluiſſe,

omniaque ad contentionem & tricas revocare: hos actiones mentis omnes ad finem, quem Logica ſibi poſuit, i. e. ad inveſtigationem veri recta dirigere. Quid, ſi eumdem Ariſtotelem cum aliquo ex recentioribus Eclecticis conferamus? Fremant omnes licet, fidenter dicam: Vel unus Heineccii, aut Wolfii puſillus de re Logica libellus, ſi ordinem, perſpicuitatem, & utilitatem rerum conſideramus, bibliothecas Ariſtotelis, Theophraſti, & Chryſippi omnes longe videtur ſuperare.

Quæ cum ita ſe habeant, rex JOSEPHE, difficile non eſt conſtituere, utri aliis præſtent: cum ex iis, quæ diximus, manifeſte deducatur, doctrinæ, & inventionis laudem utriſque ita eſſe communem, ut Veteres rudimenta quædam recte ratiocinandi; Recentiores vero abſolutam artem explorandi veri cum certi, tum probabilis, Veteribus prope intactam, excogitarint. Ut hæc una ars prudenter cogitandi, & verum in ſingulis diſciplinis inquirendi, hoc demum ſæculo & nata, & exculta eſſe videatur. Miſera enim eſt, & haud ſcio an etiam pernicioſa, Logica, quæ tam anguſtis terminis definitur, ut non niſi in diſputationibus locum habeat, nec ſcholæ fines egredi poſſit, atque ad uſum vitæ revocari.

Hæc

Hæc cauſa eſt, cur homines graviſſimi de Logica polienda tanto opere laborarint, quod magno rerum uſu intellexerunt, hujuſce artis præceptis non modo graviores diſciplinas inluſtrari, ſed etiam res hujus vitæ omnes contineri. Quid enim exercitus imperator, quid magiſtratus, quid ceteri homines, qui aut publica, aut privata negotia procurant, ſine ratione exercita, & perpolita boni aut cogitare poſſunt, aut efficere? Quid Rex, a cujus nutu omnia pendent, quo modo populos in officio continere, beatiſſimamque facere rempublicam, ſine purioris Logicæ luminibus, umquam poterit? Plenæ exemplorum ſunt hiſtoriæ, quæ oſtendunt, quam ſæpe hujus artis ignoratio fortiſſimas nationes in graviſſimas calamitates induxerit. Quibus ego uterer in præſentia, ſi ad alios, non ad te ſcriberem, qui hæc omnia habes explorata. Quamobrem optime illi de republica meriti putari debent, qui in eo laborant, ut tenelli puerorum animi talibus imbuantur inſtitutis, ut ſive aliquam ipſi reipublicæ partem adtingant, ſeu domeſtica curent negotia, cum laude reipublicæ poſſint inſervire. Quod nos hoc libro præſtare adorti ſumus, atque adeo juventutem noſtram excitare, ut eam viam inſiſtat, quæ ad finem perducit, quem nobis in eo condendo propoſuimus.

Ut

Ut autem illum tuo nomini inſcriberem, cum officium erga te meum, tum ipſa libri materies commonebat. Tu es enim is, qui horum præceptorum utilitatem penitus cognoſcis; & actionibus tuis, quid ea poſſint, confirmas. Tu vel a prima ætate intellexiſti, quem finem Logica habeat, quoque modo etiam ad artem regnandi referri poſſit. Quis enim umquam melius aut Politicarum cauſſarum nexum mente percepit, aut inminentia regno mala ſapientius declinavit? Quis acutius proſpexit, quo ex fonte poſſit utilitas florentiſſimi imperii cum populorum felicitate conjuncta derivari? Profecto ſi tuæ inſtitutum vitæ cum publicum, tum domeſticum, ſi induſtriam illam regnandi, qua in ipſo regni exordio ſingula prudentiſſime adminiſtras, penitus conſideramus, plane deprehendemus, quantus in re Politica Logicus ſis: nec illam te Logicam curare, quæ Scholæ diſputationibus inutilibus adquiſita, plerumque homines efficit in agendo ad inanitatem ſubtiles, minimeque expeditos: ſed utiliorem aliam, & dignitatis pleniorem, quæ ſine ullis ambagibus in re omni veritatem adtingat: quidque optimum factu ſit ad ſalutem imperii, ac dignitatem ſervandam, internoſcat. Itaque unus tu feciſti, ut experirentur Luſitani, vetus il-

lud

lud dictum hominis ſapientiſſimi: *Tum demum beatas civitates fore, cum Philoſophi regnarent, aut Reges philoſopharentur*. Nam tales homines in magiſtratus cooptaſti, qui publica negotia vigilanter adminiſtrarent: & talem te in regendis populis, tam ſollertem, tam prudentem oſtendiſti, qualis in re ſua privata nemo homo eſt.

Eant nunc qui cenſent, artem Logicam non niſi ad Scholæ diſceptationes eſſe accommodatam: atque a te Rege ediſcant, quantum ad imperii felicitatem rectæ rationis præſidium, & exercitatio conducat. Quos ego interdum non modo rationibus, ſed etiam exemplo tuo ſoleo confutare. Quare non magis opitulari Luſitanis noſtris mihi videor, quod iis clariſſimorum hominum trado præcepta; quam quod graviſſimo tuo judicio, atque auctoritate planum facio, quantum ea hominibus ſingulis, ad commode, beateque vivendum, adferant utilitatis.

Quamobrem hoc genus litterarum tibi gratum, & jucundum fore confido: quod iis legendis cognoſces, quidnam homines de tuis rebus geſtis, ac de tota vitæ diſciplina tuæ debeant judicare. Nec id ſane jejunum eſt & contemnendum, te graviſſimorum hominum ferre ſuffragia: immo vero contra nihil ma-

jus,

jus, nihil non meo ſolum, ſed omnium judicio præſtantius cogitari poteſt, quam quod Regis & facta, & conſilia bonorum omnium approbationem mereantur. Quamquam enim fortuna Reges in eo faſtigio collocavit, ut aliorum ipſi non indigere videantur; in hoc tamen indigent, quod nomen non niſi ab eorum judicio habeant, quos infra ſe poſitos intuentur: qui & dum præſentes adſpiciunt, ſingula pro merito æſtimant: & id ipſum, quod judicarunt, ad poſteras gentes ſcriptis ſuis tranſmittunt. Quapropter tibi non magis glorioſum ego puto, quod naſcendi ſorte regnaſti, quam quod intelligunt omnes, te propter animi magnitudinem, mentiſque excellentiam regnare debere. Quo magis confido te, qui tantum acumine ingenii, & exercitatione vales, quantum ab homine graviſſimis curis occupato ſperari vix poſſet, effecturum, ut gentes tuo imperio ſubjectæ iis ſtudiis, quibus animus colitur & expolitur, dent operam: quo facilius ad eamdem laudem perveniant aliquando: ac reipublicæ Luſitanæ, cujus membra omnes ſumus, pro virili parte prodeſſe queant. Vale, Rex optime, & litterarum patrocinium, ut conſtituiſti, perge ſuſcipere. Romæ Idib. Septembr. A. C. CIƆIƆCCL.

ALOY-

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS

LUSITANIS ADOLESCENTIBUS

Optimis diſciplinis inſtituendis.

QUID cauſſæ fuerit, Adoleſcentes ornatiſſimi, cur Logicam ad uſum veſtrum conſcripſerim; hac ætate præſertim, in qua ea ſe offert talium librorum copia, omnino ut dubii ſimus, quem debeamus præferre, breviter exponam.

Principio noſtratium neminem de hac materia ex Recentiorum ſententia aliquid lucubraſſe, exploratum vobis eſſe confido. Fuere quidem non nulli viri docti, & pii, qui de re Logica hoc, & ſuperiori ſæculo copioſe diſſeruerunt: ſed ii Peripatetica philoſophandi via contenti, recentiorem non adtigerunt: tum autem copia, & eruditione ſua doctis hominibus & exercitatis, quam tironibus, aptiores eſſe videntur. Cum ergo noſtrorum nullus hoc argumentum tractaverit, qui mihi vitio dat, quod primus apud vos de vera Philoſophia diſputarim, culpet potiori jure nobiles quoſque philoſophos Anglos, Batavos, Germanos, Gallos, & Italos: qui in tanta ſcriptorum multitudine, ſingulis annis aliquid novum & cogitant, & emittunt; quod ſibi perſuadent, nihil adhuc ab ullo Philoſopho eſſe conſcriptum, quod Logicam complectatur ex omni parte perfectam.

Accedit, quod inluſtriores auctores, qui de hoc argumento accuratius explicarunt, difficulter ad Luſitanos noſtros deferantur; ſaltim venales non proſtent: vel quod plerique omnes ab Heterodoxis conſcripti ſunt, & hac de cauſſa merito ab oculis abſconduntur; vel quod etiamſi Catholici ſint, tamen non ſunt publici ſaporis. Ut illi, qui hæc ſtudia amant impenſe, inopia bonorum librorum vel ab

his

his temperare cogantur, vel iis libris dare operam, quorum lectione ſapientius abſtinerent.

At enim, plurima ſe offerunt doctiſſimorum hominum ſcripta, quæ de Logica fuſe ac eleganter pertractant: ut ſi foret neceſſarium hujuſmodi ſtudiis in Luſitania dare operam, ea non alia legere deberemus, & adoleſcentibus explicare. Fateor, ſi ad id, quod quærimus, eſſent accommodata.

Sane fatemur & nos, magnam vim exſtare Logicorum librorum. Sed omneſne de ſingulis Logicæ partibus diſputant accurate? rerumne omnes habent delectum? vel, ſi habent, an cogitata ſua tam dilucide, & ſollerter diſponunt, ut pueris inſtituendis accommodata ſint? Id certe reprehenſores noſtri non efficient. Profecto non nulli ſunt homines, qui unam, vel alteram Logicæ partem diligenter expoſuerunt. Qui vero omnes ea ratione explicarit, ut nihil illis addi, nihil detrahi poſſe videatur, procul dubio habebis neminem. Quinimmo nec id facile præſtari poſſe, nullus, qui harum diſciplinarum peritus ſit, & recte judicare queat, vocabit in dubium. Augentur ſiquidem in diem hominum cogitata, diſciplinæ perpoliuntur, nec aliquid tam omni ex parte politum & elaboratum reperietis, quod non tempore, & uſu perfectius & limatius fieri poſſit.

Eorum etiam, qui lucem Logicæ hoc, & vicino ſæculo adtulerunt, laudantur profecto multa, fateor: multa tamen & merito ſuo reprehenduntur. [1] *Nam quidam multi ſunt in rebus nullius pretii diſputandis: utilia & neceſſaria vel prætermittunt, vel tangunt. Alii magna circuitione verborum cogitata ſua declarant: quædam incerta & dubia, quaſi perſpicua eſſent, admiſcent: ut ſi alia ab aliis ſeparare velis, & ad uſus tuos revocare, Logicus jam ſis oportet: Sunt etiam, qui dum exemplis, a gravio-*

[1] Conſule, quæ dicemus L.I. c.6. & ſeq.

gravioribus diſciplinis ſumtis, confirmare ſtudent præcepta, obſcurant potius, quam inluſtrant. Poſtremo alii, quod Geometrarum ratiocinandi viam diligentiſſime imitantur, ad puerorum ingenia, quæ talem methodum non deguſtarunt, nullo pacto idonei eſſe videntur. Adeo difficile eſt hujuſmodi rem pro merito explicare.

Quid ergo, deſperabimus Logicam addiſcere? minime: at tanto diligentiores in ea excolenda, & amplificanda eſſe debemus; quod in ea ſcriptorum ubertate verſamur, in qua cuilibet accuratius diſputaturo oratio deeſſe non poteſt. Atque quemadmodum Zeuxis illa Heracleotes, ut excellentem muliebris formæ pulcritudinem depingeret, ex omnibus virginibus formoſiſſimis, quæ Crotone erant, quinque delegit; quod non putaſſet omnia, quæ quæreret ad venuſtatem, uno in corpore ſe reperire poſſe; ita nos omnibus unum in locum coactis ſcriptoribus, qui in hoc argumento cum laude verſati ſunt, ex variis ingeniis excellentiſſima quæque libare debemus.

Neque vero is ego ſum, qui mihi perſuadeam, ita facile animi humani latebras, ut ita dicam, & receſſus explorari poſſe, ut, quo ille modo res omnes ſine errandi periculo percipere queat, & clare, & facile finiamus. Utrumque tamen, quantum in nobis fuit, perſecuti ſumus. Nam & ex omnibus auctoribus, qui nomine & memoria digni ſunt, quæ quiſque veriſſime, & commodiſſime dicere videbatur, excerpſimus: & iſta ipſa, quæ ſelegimus, ea diſtributione conſcripſimus, ut ad pueros informandos eſſent accommodata. Addent fortaſſe non nulli huic noſtro labori lectiſſima multa, ut breviori via pueri ad aliquam doctrinæ præſtantiam aliquando perveniant. Quis negat? vel quis id potius non optat? Saltim dum id non præſtant, gratiam habeant nobis, qui viam ſternimus, ut juventus noſtra melioribus ſtudiis ſine magno negotio imbui queat.

Quod

Quod ſi homines conſiderarent, quantum Reipublicæ intereſt, ut pueri a prima ætate recte de ſingulis rebus adſueſcant exiſtimare; ſtudioſe curarent non ut remedium Logicæ ſanandis animi morbis adhiberent; ſed ut ejuſmodi medicina, quantum per hominem licet, non indigerent. Saltim ne fierent deteriores præjudicatis opinionibus, quæ a nutricibus, & pædagogis inſtillantur puellis.

Rideatis vos licet, Adoleſcentes, vere ac ſummo doctiſſimorum hominum conſenſu hoc dico: præcipua Logices decreta non a præceptoribus in ſchola, ſed a nutricibus in cunabulis teneris mentibus inſtillari oportere: [1] *quæ ſi puellos, quorum habent curam, non adſuefacerent tum exemplo ſuo, tum ineptis præjudiciis & male res ſingulas percipere, & de iis inſipienter judicare;* [2] *fieri non poſſet, quin puer germanis rerum perfunderetur ideis, iiſque, uti debet, uteretur: ex quo progreſſus ætate cognoſceret ratiocinandi artis perceptiones abſtruſiores, & Logicus evaderet omni ex parte politus. Sed hominum ea eſt condicio, quod tales præceptrices in tenella ætate debent audire, quæ non aliis modo, ſed ne ſibi quidem ſapiunt. Ut neſciam, an plus boni adferant nobis, quod corpus alunt, & formant; an vero damni, quod aciem mentis quodammodo retundunt. Quamobrem Philoſophi eſt; præjudicatis opinionibus primæ ætatis occurrere: eaque tradere, quæ pueris, cum ab illa inſtitutione egrediuntur, opitulari poſſint. Quod ego præter cetera hiſce libris adimplere conſtitui. Propoſitum enim mihi fuit, non eruditorum palato, ſed puerorum, atque adeo reipublicæ utilitati ſervire. Fallar: ſaltim conatus ſum, & hoc nomine de vobis merebor.*

Ne-

[1] Exteri non nulli his temporibus hoc curant, ut nutrices puellos ſuos quam fieri poſſit non imbuant præjudiciis, ſed res, ut ſunt, exponant. Quod jam ſuo tempore admonuit Cicero, cujus ſententiam initio Logicæ poſuimus.

[2] Conferantur, quæ diſputabimus Logicæ L.V. p.1. cap.5. & 6.

Neque vero id ego agam in præſentia, ut vobis perſuadeam plurimis verbis, quantum pueri, qui hac via & ratione imbuuntur reliquis præſtent, qui Peripatetica ſolent erudiri. Nam præterquam quod id ante me viri litteratiſſimi luculenter demonſtrarunt; adeo unicuique pervium eſt, ut nullus eorum, qui hæc paullo diligentius conſideret, vertat in dubium. [1] *Jam ſi dubii eſtis, recte illi judicent, an non; aut ſi quam vos Veteris dialecticæ partem adtigiſtis, vobiſcum reputate, quantum ab ea Dialectica habeatis adjumenti, non dico ut in negotiis domeſticis, & forenſibus;* [*in his uſui non eſſe, perſpicuum eſt*] *ſed in ipſis gravioribus diſciplinis, in theologia Dogmatica, Polemica, Hermeneutica; in Jure & Civili, & Pontificio; in Hiſtoria, & Humanitatis ſtudiis, ſine ullo negotio vera, & falſa internoſcatis.* [2] *Tum demum percipietis, quantum damni facit homo, qui mancipat ſe talibus ſtudiis, & tempus, rem ſane pretioſam, tot tricis & cavillationibus addiſcendis conſumit.*

Nam ſi homines in arte tantum Syllogiſtica, & hujuſmodi diſputationibus, quibus vetera ſtudia continentur, oculati, & prudentes; in ceteris vero cæci, & inepti eſſe deberent; darem illis & hoc, ut illa & ſedulo, & ad faſtidium uſque imbuerentur. Cum vero hominis liberaliter educati ſit, re quaque propoſita, acerrimum ingenium adhibere, ne erret judicando; plane conficitur, eam demum Logicam reliquis eſſe præferendam, quæ id doceat: hominique oſtendat, quid prævidere debeat, ne in tot errores, in quos per tarditatem humanam delabimur, incurrat. Quod cum Philoſophia illa vetus non efficiat, relinquitur, alius diſciplinæ præſidiis rem iſtam eſſe conficiendam.

b *Non*

---

[1] Lege, quæ dicemus L.II. cap.7.

[2] Vide, quæ differemus L.V p.2, & L.VI. p.2. c.3. 4. 5. in quibus utilitas Recentioris logicæ oſtenditur.

Non dubito fore non nullos, qui aliqua in libello noſtro requirant: ac illud primum reprehendant, nos perenni atque perpetua oratione, ſine ullis ſyllogiſmis, explanare præcepta: deinde contendant, niſi veteri doctrina ac methodo eruditum, recte in diſciplinis ſeverioribus, præſertim in Theologia, ratiocinari poſſe neminem. Quibus nos breviter reſpondemus, graviſſimis Europæ viris, qui hæc diu multumque examinarunt, nullam aliam præter hanc diſputandi viam occurrere planam & certam, ut non in Theologia modo, ſed etiam in omni varietate diſciplinarum, atque in omni vitæ parte & recte percipiamus, & argumentando colligamus. [1] *Non enim in Theologia alia via, quam in reliquis diſciplinis, ratiocinari debemus, ſi modo, quid ſit Theologia, quid recte ratiocinari, penitus cognoſcamus.* [2]

Nihil eſt ergo cur vereamini, Adoleſcentes, ut ne vos multitudine obruam præceptorum, & copia doctrinæ reconditæ onerem ſupra vires. Ea dicam, quæ in medio poſita ſunt: quæ omnibus, qui ſane cogitant, ſunt pervia: quæque vos non in una, aut altera diſciplina, ſed in omnibus etiam Humanioribus [3] *doceant unamquamque rem pro merito æſtimare, quod ipſum eſt eſſe Logicum. Perſpicuitati autem ut ſerviam, nullus dubitabo eadem exempla, ſi rerum tractatio poſtulet, repetere. Si quid vero abſtruſum occurrat, quod uberiorem explicationem requirat, in ſcholiis, & corollariis exponam; ne rerum ordinem tanta doctrinæ copia interrumpam.* [4] *Idque non puero-*

---

[1] Confer, quæ diſputat P. Regnault Jeſuita in *Præfatione* ad Logicam, & *Dialogo I.*

[2] Vide, quæ dicturi ſumus L. VI. p. 2. c. 5.

[3] Hæc oſtendemus diverſis in locis, præſertim L. VI. p. 2. c. 3. & 4.

[4] Plurima his libris prætereuntes tetigimus, quæ longiorem ſermonem exigebant. Verum cum hæc vel ad Phyſicam, vel Metaphyſicam, vel

puerorum tantum, ſed docentium commodo faciam, ut in promtu habeant, unde obſcuriora loca inluſtrare poſſint. Ex quo & illud exſiſtit, ut noſtra hæc Logica, quamvis moroſis cenſoribus copioſa videatur, ſi rerum ordinem, & præcepta conſideramus, brevis ſit. [1] *Cum vero res eas offendero, quæ ab humana mente finiri nequeunt, a judicando temperabo. Malim ego videri lectori nimis timidus, quam inprudens, qui ea definiam arroganter, quibus inveſtigandis miſeri mortales apti non ſumus. Quod ſi aliquod præceptum offenderitis, quod facile & domeſtico labore intelligere nequeatis, memineritis nullam diſciplinam eſſe, quæ litteris, ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione, percipi poſſit.*

Quamobrem, Adoleſcentes, in hoc ſtudium toto animo incumbite: atque viam, quam vobis ſternimus, inſiſtite. Quam ſi pro eo ac poteſtis diligenter tenueritis, confido fore, ut eam mentem inde præcultam & præparatam habeatis, qua poſſitis in quacumque materia non modo acute cogitare, ſed exiſtimare prudenter. Mihi ſane cum conſidero, quanta vos ingenii vi ac ubertate valeatis, videor hoc vere dicere poſſe, earum, quas ego vidi, gentem nullam vobiſcum poſſe conferri. Quamobrem mihi perſuadeo vos, ſi avide bona ſtudia arripueritis, tantos in iis progreſſus eſſe facturos, ut in ipſis exteris gentibus & admirationem veſtri, & invidentiam ſuſcitare poſſitis. Quod ſi feceritis, & vobis, & publicæ rei haud mediocrem laudem

---

vel aliam diſciplinam ſpectent, non erat hujus loci ea copioſius exponere. Ex quo lector intelligens cognoſcet, quam difficile ſit Logicam perfectam tradere: quod in ea nimis multa tangi debeant, quæ non niſi ex diſciplinis ſeverioribus ſumi poſſunt, & inluſtrari.

[1] *Hiſtoriam Logicæ* initio poſuimus, ſine vero *Artem Syllogiſticam*, ſine quibus tamen noſtra hæc Logica conſtare poteſt. Ex ceteris vero, ſi præcepta ab exemplis ſeparentur, facile apparebit, quam paucis præceptis contineantur innumeræ res graviſſimæ, quæ hic traduntur. Quod adoleſcentibus recte explicare, prudentis & accurati præceptoris erit.

*dem conciliaveritis : mihi vero , qui intimis ſenſibus vos amo , maximum gaudium adferetis . Hanc igitur ſignificationem amoris erga vos mei accipite in præſentia . Reliqua, quæ veſtri gratia aliquot abhinc annis conſcripſimus , cum per valetudinem poterimus , perficiemus , & ad vos mittemus . Valete . Romæ Id.Mart.A.C.N.*CIƆIƆCCXXXXVIII.

Digitized by Google

IN HANC SECUNDAM EDITIONEM

PRAEFATIO.

CUM a bibliopola noſtro admonerer, Adoleſcentes ſtudioſi, velle ſe, diſtractis exemplaribus primæ editionis Logicæ noſtræ, alteram curare; ut ſi quid addendum, mutandumve, ut fieri ſolet, exiſtimarem, id pro lubitu meo facerem; quamquam longe diverſis curis impeditus, nihil minus hoc tempore, quam de examinanda Logica, cogitabam; tamen non putavi prætermittendam occaſionem amicis quibuſdam de me optime meritis morem gerendi. Nam cum ego ab iis aliquando requiſiviſſem, quidnam ipſi vel errati, vel obſcuri in Logica noſtra animadverterent, quod adoleſcentium, quorum inſtitutioni præerant, intelligentiam moraretur; humaniſſime reſponderunt, arbitrari ſe, nullum præceptum eſſe mutandum: ſed pauca quædam verba vel librarii, vel typographi vitio mutata, aut non loco poſita, aut omiſſa, eſſe emendanda: alia vero ex contextu poſſe ſuppleri, quæ rem planiorem faciant homini ſine doctore libros legenti. Cætera & optime cohærere, & adoleſcentibus eſſe planiſſima: nec me habere neceſſe minima quæque, ut primo intuitu non nullis obſcura videantur, ſeorſum & accurate explanare: cum quod eſſet infinitum negotium, tum quod in hac Philoſophiæ luce ineptiſſimum reputaretur: præſertim cum jam in præfatione monuerim, nullam diſciplinam eſſe, quæ ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione recte percipiatur.

Quorum ego admonitioni, hominum nempe, qui & intelligens judicium habent, & in puerorum inſtitutione multum ſunt verſati, eo magis parendum eſſe judicavi, quod & pauca requirerent, cum ego plura ſuſpicarer; & id ab eo requirerent, qui tum propria natura, tum exem-

plo magnorum hominum paratus eſſet errores omnes ſuos fateri, & emendare. Neque enim, Superis grates! in illa pedantarum *colluvie jam verſamur, qui quamquam de errore aliquo apertiſſime convicti, tamen dedecori ſibi ducebant, ingenue profiteri ſe erraſſe; aut mutare aliquid, quod iis per inprudentiam excidiſſet: ſed in clariſſima ſcientiarum luce verſamur, atque doctiſſimorum hominum ardenti ſtudio verum inveniendi, apud quos ſincera errati profeſſio non vitio tribuitur, ſed laudi. Itaque & Philoſophorum admonitis eruditi, & etiam propria obſervatione excitati, quædam, & clarius, & brevius tradi potuiſſe, planiſſime confitemur. Sed quid omnino in hac editione præſtiterim, paucis dicendum eſſe videtur.*

Principio errata vel librarii, vel typographi incuria commiſſa, quæ ſenſum penitus mutabant, etſi ex contextu tam eſſent perſpicua, ut non niſi ſtulti, aut pedantæ ea auctori tribuere poſſent; tamen diligenter correximus. Deinde tum verbum, tum explanationem aliquam ex contextu ipſo deſumtam paucis in locis addidimus, quo apertius ſenſa noſtra exponeremus. Tum notationem unam, & item alteram ad oram Libri adjunximus, quæ tironibus in judicando parum exercitatis indicarent loca, in quibus ea fuſius tractarentur: ne errore ſuo putarent, nos nobiſmetipſis non conſtare. Præterea quædam aliquanto brevius exponenda reputavimus, quod in aliis Libris noſtris paullo copioſius de iis diſputaremus. Ad hæc unum pro alio exemplum, quod ſignificantius eſſet, & utilius, non uno tantum loco poſuimus. Librum item ſecundum claritatis gratia diviſimus: & caput ultimum primæ partis Libri quarti tamquam omnino utile adjunximus. Ad extremum de ſermone etiam aliquantulum fuimus ſolliciti. Nam etſi probe ſciamus, multa Philoſophica, præſertim Logica, ipſis Ciceronis verbis exprimi poſſe; tamen cum hæc non niſi iis, qui in Ciceronis Libris Philoſophicis

phicis [ut Latinos alios perquam elegantes mittam] contriti ſunt, perſpicua eſſe poſſint; ceteris vero omnibus non inſolentia modo & obſcura, ſed flagitia videantur, qui ea non niſi alio ſenſu uſurpata umquam audierunt; horum etiam rationem babendam eſſe putavimus. Quare inter legendum verborum aliquem delectum, niſi ubi paullo obſcurior evaderet oratio, habere non dubitavimus, ne ſine ulla neceſſitate aut inopes, aut barbari videremur. Sed quam parce, quamque verecunde fecerimus, eorum, qui de his judicare poſſunt, eſto judicium.

Itaque & illud in volutando libro præ oculis ſemper babuimus, ut claritati, quantum per materiam licuit, ſerviremus, ut aliquam item hoc nomine a tironibus gratiam iniremus. Et illud etiam ſedulo curavimus, ne libri molem non modo non valde augeremus, ſed, ſi fieri poſſet, minueremus. Nam in ea ſumus opinione, Logicæ præcepta pauca; uſum vero & multum, & varium, & diuturnum eſſe adhibendum. Et in ea etiam opinione quotidie confirmamur, nos ea, quæ ad inveniendum verum, ac tradendum ſunt tum neceſſaria, tum utilia his libris vel expoſuiſſe, vel tetigiſſe. Vt niſi eorum, quorum gratia ſcribimus, non neceſſitas modo, ſed facilitas ad diſputandum, exempla magis magiſque clara, & inluſtria a nobis flagitarent; delendum potius aliquid, quam addendum, exiſtimarem.

Non quod in Recentiorum quorumdam eam ſententiam, qui neſcio quas epitomas Logicas, ubi rerum ſumma capita tantum continentur, adoleſcentibus proponunt, ex quibus ſe de rebus omnibus recte judicare poſſe, adſeveranter contendunt. Qui quam turpiter fallantur, conflictio cum adverſario declarat, ad quam cum iſti juvenes deveniunt, obmuteſcunt, ut ſæpiſſime expertus ſum. Sed modum in omnibus eſſe ſtatuimus. Aliud enim eſt, ſibi ipſi verum placide inquirere; aliud longe diverſum, cum adverſario bene parato in pugnam deſcendere. Cum-

que neſcio quo fato adhuc cum Sophiſtis ſæpiſſime pugnandum ſit, qui non virtute ſua, ſed errore hominum ſubſellia occupantes, tot inter alia artificia, quibus in occupatione ſe defendunt, etiam artem illam ſuam irretiendi, ut utilem, ut exquiſitam, ut pernecεſſariam extollunt; oportet & eorum linguam noſſe, & tum petitiones, tum declinationes omnes cognitas habere, ne ab exigua adverſariorum exercitatione aliquid, quod a virtute ſua non poſſunt, ipſi gloriæ tironum damno conſequantur.

Quamobrem cum ſingulari Dei beneficio, atque doctiſſimorum hominum incredibili humanitate illud expertus ſim, quod numquam putavi fore, ut tum a ſapientiſſimis Epiſcopis, tum a graviſſimis Scholarum moderatoribus libri omnes noſtri in dies magis, magiſque benigne in ſcholis recipiantur, & adoleſcentibus exponantur; exiſtimavi me illis viciſſim hoc debere, ut ſcholarum earumdem conſuetudini ſervirem, atque breviorem viam ad diſputationes ipſas inſtituendas pueris complanarem. Vos itaque, Adoleſcentes bonæ Philoſophiæ cupidi, labore hoc noſtro in hac nova editione adornanda fruimini commodo veſtro, quod vobis felix fauſtumque ſit. Valete.

APPRO-

APPROBATIONES.

Libros quinque DE RE LOGICA a Viro Clariſſimo Aloyſio Antonio Vernejo ad uſum Luſitanorum Adoleſcentium conſcriptos, ut morem gererem Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, ſemel iterumque pervolvi: nec quidpiam offendi, quod cum Orthodoxæ Religionis regulis optime non cohæreat. Sed admiratus ſum viri doctiſſimi ſubactum judicium, eruditionem, ac præſertim perſpicuitatem, & ordinem, quo hujuſce facultatis hiſtoriam, humanæ mentis functiones, regulaſque, quibus errores, eorumque occaſiones præcavere, verumque invenire, atque inventum via ac ratione diſponere docemur, ita tractat, & explicat, ut Dialecticam exhibeat longe reliquis utiliorem, tutioremque. Quippe non ſolum ex celebrioribus ſcriptoribus, quod optimum erat, ſelegit, novo ordine, noviſque inventis auxit & illuſtravit; ſed monet etiam, quod optandum erat, ne libri ab Eccleſia proſcripti, qui hanc materiam diſputant, ab Adoleſcentibus legantur: imo vero caute etiam ab iis, quibus facta ſit legendi poteſtas. Quamobrem publico bono libros hoſce quam cito in lucem emitti debere cenſeo: & quantum in me eſt, ut in vulgus edantur, rogo.

Datum Romæ ex Ædibus Sanctæ Mariæ de Aracæli Kal. Oct. 1748.

F. Philippus de Carboneano Ord. Min. Reg. Ob. Lector Jub. Sac. Cong. Ind. Conſ. Supremæ & Un. Inq. Qual. & in Collegio Urbano de Propaganda fide Philoſophiæ Profeſſor.

Mandante Reverendiſſimo Patre S. Palat. Apoſt. Magiſtro attente, ac meditate, quum opus fuit, perlegi quinque Libros DE RE LOGICA AD USUM LUSITANORUM ADOLESCENTIUM Viri Clariſſimi Aloyſii Antonii Verneii Archidiaconi Eborenſis: in quibus nil prorſus inveni Catholicæ Eccleſiæ doctrinis, aut morum optimis regulis adverſum. Imo etiam quando res poſtulat, ut in illis Heterodoxi ſcriptoris liber, aut opinio laudetur, demiratus ſum religioſiſ-

gioſiſſimum ſtudium adoleſcentes, qui inſtituendi iiſdem ſuſcipiuntur, monendi, librum non niſi impetrata ab Eccleſia facultate eſſe evolvendum; &, ſi per illam liceat, caute ſolum: ſtudium inſuper opponentis Conciliorum ſanctiones, & Patrum teſtimonia aut periculoſis ſententiis, aut hominibus minus docte res penſitantibus: quæ ſane in hujuſmodi libris nec ſemper invenies, nec præcipue quum inveniri deberent. Ad hæc Opus præ ſe fert exquiſitiſſimum doctrinarum delectum. Et optima quævis, quæ ſubacti ingenii viri deprehendunt in Scriptoribus, qui de re Logica, aut de aliis diſciplinis ad illam quoquo modo ſpectantibus, hactenus tractarunt; ordine, ſive, ut ajunt, methodo omnino ſingulari tironum commodo in eo diſponuntur. Et quum ars Logica excogitata ſit juvenibus ita inſtituendis, ut & aliorum ſcripta intimius penetrare; præſtantiam, ſi quæ ſit, in illis detegere, in propriis vero lapſus omnes ſive methodi, ſive ratiocinationis declinare addiſcant; quod exemplis facilius quam præceptis docetur; ea propter doctiſſimus Vernejus in omnium fere diſciplinarum & artium primi ſubſellii Auctoribus, quorum lucubrationes memorat, nævos erroreſque ſæpe notat: non quidem ea fini ut præclariſſimos viros, ſicuti veteri proverbio dicitur, naſo ſuſpendat adunco; ſed ut inſtitutum ſui libri retineat: & politula etiam adoleſcentium ingenia magis acuat. Quare mea quidem ſententia (quandoquidem Majorum juſſionibus ea requiritur) non ſolum ſtatuerem, præfatos DE RE LOGICA libros typographorum opera vulgari merito poſſe; ſed & quam citiſſime debere: ne diutius litterarum Reſpublica ſingulari bono privetur.

Dat. Romæ in Ædibus D. Andreæ de Valle III. Id. Nov. anni a partu Virginis CIƆIƆCCXLVIII.

D. Antonius Franciſcus Vezzoſi Cler. Reg.

Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Magiſtri imperata facturus, legi, atque pervolutavi libros ſex DE RE LOGICA a viro doctiſſimo Aloyſio Antonio Vernejo ſingulari judicio, & perſpicuitate conſcriptos. Ac tantum abeſt, ut in eruditiſſimo opere aliquid deprehenderim, quod ſacroſanctæ religionis noſtræ decretis, morum-

que

que regulis minus conſentaneum videretur, ut ubique potius ſpectata auctoris pietas eluceat, ego vero ex hac lectione incredibilem animo cæperim voluptatem. Quæ auctor nunc addidit, egregia ſunt, & illuſtria; atque, ut paucis multa complectar, ejuſmodi, ex quibus ſtudioſi Dialecticæ adoleſcentes, ſi ea quidem in ſuccum, & ſanguinem convertere voluerint, maximos, atque jucundiſſimos ſapientiæ fructus percipient. Intelligent etiam, optimo cuique nihil eſſe debere religione antiquius, admonente identidem pio, atque graviſſimo Auctore, proſcriptæ memoriæ libros non ſolum non ſumendos in manus, omnique ſtudio refugiendos, ſed etiam caute ab iis legendos, aut pro re nata adeundos, qui hanc a legitimis Magiſtratibus veniam impetraverint. Quæ cum ſint, ego ſic exiſtimo, opus ſuis omnibus expletum partibus, & rerum magnitudine, copia, delectu, ſcriptioniſque elegantia, addo etiam doctrinæ ſplendore, atque integritate perutile, dignum ſane eſſe, quod in publicam hominum lucem iterum emittatur.

Ex Collegio Nazareno IV. Idus Apriles 1757.

Liberatus Faſſoni De Cl. R. Scholarum Piarum Theologus.

REIMPRIMATVR,

Si videbitur Rmo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.

REIMPRIMATVR.

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Palatii Apoſt. Socius.

INDEX.

INDEX CAPITUM

Quæ hiſce libris continentur.

LIBER PRIMUS

De Hiſtoria Logicæ.

CAP. I. *DE partitione, & conſilio operis.* pag. 1
CAP. II. *De Logica vetuſtiſſimorum hominum.* 4
CAP. III. *De Logicæ origine apud Græcos.* 6
CAP. IIII. *De Logica Chriſtianorum, & Arabum.* 16
CAP. V. *De Logica Scholaſticorum, & tentata a quibuſdam emendatione.* 18
CAP. VI. *De emendatione Logicæ.* 21
CAP. VII. *De utilioris Logicæ inſtauratione.* 25

LIBER SECUNDUS

De Natura, & Neceſſitate Logicæ.

CAP. I. *Quibus partibus conſtet animal ratiocinans, & quæ ſedes animi.* 33
CAP. II. *Quid faciat mens hominis, ejuſque operationum diverſitas.* 38
CAP. III. *Quid ſenſerint Philoſophi de modo, quo mens humana rerum ideas adquirit; & quid veriſimilius.* 43
CAP. IIII. *Aliis argumentis efficitur ideas noſtras non eſſe innatas.* 48
CAP. V. *Quo modo ſe habeant ſenſus ad ideas adquirendas.* 53
CAP. VI. *Quam ſint fallaces humanæ cognitiones, & qua de cauſſa.* 57
CAP. VII. *Quænam Logica reliquis ſit anteponenda.* 58

LIBER TERTIUS

De Ideis, & earum Signis.

PARS PRIMA

De Ideis.

CAP. I. *De ideis reſpiciendo ad originem.* 62
CAP. II. *De ideis ut re ſunt.* 63
CAP. III. *De modo, quo ideæ menti objecta repræſentant.* 65
CAP. IIII. *De ideis referendo ad objecta, h. e. de ideis Subſtantiæ, Adjunctorum, Relationum.* 70
CAP. V. *De aliis ideis referendo ad objecta, h. e. de ideis Singularibus, Particularibus, Univerſalibus.* 77

LIBRI TERTII

PARS ALTERA

De idearum Signis.

CAP. I. *De natura & utilitate, ac uſu Vocum.* 84
CAP. II. *De generibus vocum, quibus homines utuntur.* 91
CAP. III. *De uſu vocum in Philoſophia præſertim.* 93
CAP. IIII. *De vocabulis idearum Obſcurarum, Clararum, Confuſarum.* 103
CAP. V. *De vocabulis Subſtantiarum, Modorum, Relationum.* 106
CAP. VI. *De vocabulis idearum Abſtractarum.* 115

LIBER QUARTUS

De Judicio, & Ratiocinatione.

PARS PRIMA

De Judicio.

CAP. I. *De natura Judicii.* 119
CAP. II. *De judicio verbis expreſſo, ſeu de Propoſitione.* 121

CAP.

Digitized by Google

Cap. III. *De Propoſitionis materia.* 125
Cap. IIII. *De Propoſitionis forma.* 131
Cap. V. *De Propoſitionis quantitate.* 132
Cap. VI. *De quibuſdam Propoſitionibus, quæ in uſu ſunt apud Philoſophos.* 138

LIBRI QVARTI

PARS ALTERA

De Ratiocinatione.

Cap. I. *De natura Ratiocinationis.* 146
Cap. II. *De ratiocinatione verbis expreſſa, ſeu de Syllogiſmo.* 150
Cap. III. *De modo inveſtigandi firmitatem Ratiocinationis.* 156
Cap. IIII. *De modo inveſtigandi ideam Mediam.* 167

LIBER QVINTVS

De Cognitione Veri.

PARS PRIMA

De Vero Certo.

Cap. I. *De conſecutione Veri generatim.* 174
Cap. II. *De gradibus, per quos ad Verum pervenimus.* 178
Cap. III. *De modo cognoſcendi verum Certum.* 181
Cap. IIII. *De fallaciis Senſuum, quæ veri cognitionem retardant.* 187
Cap. V. *De adfectibus Voluntatis, qui veri adſecutionem impediunt.* 195
Cap. VI. *De fallaciis Mentis, quæ obſtant, ne verum inveniamus.* 202
Cap. VII. *De modo verum certum Experimentis conſequendi.* 212
Cap. VIII. *De modo verum certum Demonſtratione comparandi: & de Fallaciis refutandis.* 217

Cap.

Cap. VIIII. *De effectu Demonſtrationis, ſeu Scientia: ubi de Fide generatim.* 228

LIBRI QUINTI

PARS ALTERA

De Vero Probabili.

Cap. I. *De vero Probabili generatim.* 231
Cap. II. *De probabilitate Hiſtorica.* 233
Cap. III. *De librorum Mendis: & modo ſecernendi integros a corruptis; veros a ſuppoſiticiis.* 238
Cap. IIII. *De teſtimonio Divino.* 244
Cap. V. *De probabilitate Hermeneutica.* 247
Cap. VI. *De probabilitate Morali, & Phyſica.* 258

LIBER SEXTUS

De Inveſtigatione, & Explicatione Veri.

PARS PRIMA

De Inveſtigatione Veri.

Cap. I. *De Meditatione recte inſtituenda.* 264
Cap. II. *De Lectione rite inſtituenda.* 271
Cap. III. *De Diſputatione debito modo inſtituenda.* 277

PARS ALTERA

De Explicatione Veri.

Cap. I. *De modo tradendi verum, maxime viva voce.* 287
Cap. II. *De modo tradendi verum Libris conſcriptis.* 295
Cap. III. *De pedantiſmo Rhetorico profligando.* 309
Cap. IIII. *De pedantiſmo Philoſophico profligando.* 324
Cap. V. *De uſu Logicæ.* 333

APPEN-

APPENDIX

De Arte Syllogiſtica.

CAP. I. *De Syllogiſmorum Figuris.* 341

CAP. II. *De Legibus Syllogiſmi generatim.* 343

CAP. III. *De Legibus Figurarum ſigillatim.* 348

CAP. IIII. *De ſyllogiſmis Singularibus, & Compoſitis.* 357

ALOYSII

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER PRIMUS

DE

HISTORIA LOGICAE.

CAPUT I.

De partitione, & conſilio operis.

DIſputaturus de rudimentis Logices ad uſum Luſitanorum adoleſcentium, libros ſex ſcribere conſtitui. Horum in primo exponam, quo modo Logica occeperit, & fuerit propagata: quæ illius viciſſitudines, quæque emendationes exſtiterint. In altero oſtendam, quonam pacto mens humana rerum ideas adquirat, quamque mira Arte opus habeat ne cognoſcendo fallatur. In tertio demonſtrabo, quanta ſit idearum diverſitas: tum demum de idearum ſignis, id eſt de uſu vocum ediſſeram. Quarto libro de judiciis, & propoſitionibus,quibus judicia fiunt nota,tractabo: deinde argumentationis myſteria breviter aperiam. In quinto de inveſtigatione veri, tum illius, quod certo nobis conſtat, tum quod probabilitate continetur, diſputabo. Poſtremo vero libro de methodo inveniendi, ac tradendi verum ſermonem faciam.

Curabo, ut, quæ hiſce libris præcepta tironibus tradidero, vel perſpicua ſint, vel firmis argumentis communiantur. Cum vero illud occurret, quod non niſi ex aliis diſciplinis duci poteſt; quid verum, aut veriſimilius ſit, monebo lectorem, neminem decipiam. Eum vero, qui penitus hæc noſcere cupiat, ad illa loca, in quibus eadem vel in Phyſiologia, vel Theologia diſputabimus, remittam.

Brevitati etiam, tum & tironum mei ſatietati, eorumque ingenii indoli conſulam; hac lege, ut ſi aliquid ſe offeret, quod non nihil diſputationis habere cognovero, id explicem aliquanto fuſius. Non enim longus eſt liber, qui ea, quæ neceſſaria ſunt, tradit.

Utar eo ſermone, qui, etiamſi non exquiſite Latinus ſit, verumtamen ad id, quod cupimus, explicandum accommodatior eſſe videatur. Idque duplici nomine faciam: primo, ne adoleſcentes, qui legent, duplici labore fatigem: eoſque cogam ad Philoſophum intelligendum, Grammaticum quærere interpretem. Scio enim pleroſque, qui ad hanc diſciplinam animum adjungunt, vix præcipuis grammatices Latinæ regulis eſſe imbutos, quæ viam ſternant, ut quædam Latine conſcripta leviter percipiant: puritatem vero, ac elegantiam non habere: immo nec intelligere, quænam hiſce vocabulis poteſtas ſubjecta ſit.

Alterum vero eſt, rei ipſius incredibilis difficultas. Scimus enim Romanos homines, & bene Latine loquentes, ut erat Cicero, cum Philoſophiam Latinis litteris excolere cœpiſſent, verba illa Græca Romano more finxiſſe: invexiſſe nova, & Romanis auribus non cognita: quod putarent, hanc veniam illis eſſe dandam, qui res novas explicare conabantur, ut etiam verbis novis, cum opus eſſet, uterentur. [1] Porro tam multa nos, veteribus Romanis nova & inaudita, in præſentia diſputamus; ut vel Cicero ipſe, ſi hic ſit, nobiſcum *barbariſſaret*: & nova verba eſſe fabricanda, quæ hujuſmodi res exprimerent, luculentiſſime confirmaret.

Sane

[1] „ *Quod ſi in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, conceſſum a Græcia eſt, ut doctiſſimi homines de rebus non pervagatis inuſitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis eſt concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere?* „ Cicero de Finib. L.III. cap.2.

Sane importuni ſunt, qui nihil pronunciare volunt, quod non Romanis verbis, iiſque Romana republica ſtante familiariſſimis, explicari poſſe exiſtimant. Qui tamen vel in conſeſſu Philoſophorum obmuteſcere debent; vel plane fateri, aliis illa verbis eſſe nominanda. Ut enim rhetores, ac philoſophi Græci, tum & ipſi Romani rhetores, & conſulti vocabulis artis, rudiori populo incognitis, ſua ſenſa expreſſeruut; ita Romanis philoſophis, ideſt iis, qui Romana lingua philoſophantur, nulla juſta de cauſſa id erit negandum.

Invaluit enimvero uſus, ut quæque artes peculiaribus vocibus uterentur. Quis enim umquam riſit opifices, qui, dum de rebus ad artem ſuam ſpectantibus loquerentur, domeſticis vocabulis & inſtrumenta, & res ipſas, in quibus verſantur, notarent? Vel quis potius non rideret eum, qui de arte fabrili loquens, idque ad fabros, qui litteras ignorant; miſſis vocabulis, quibus artificia ſua tueri ſolent, id aliis verbis, ſolis Philoſophis uſitatis, ornate vellet ac copioſe explicare? Ne ergo moroſus aliquis requirat a me ſermonem purum, & omni ex parte Latinum: illud potius curabo, ut verbis Philoſophorum propriis, &, quam fieri poſſit, perſpicuis, ſenſa mea declarem: & corpus diſciplinæ, quo potero clariori, ordine contexam. Quod ſi ſemel id adſequor, ut tirones mea legentes, quæ ego cogito, intelligant; tunc me optime ad ſenſum Rhetorum, & Philoſophorum [1] bene locutum eſſe exiſtimabo. [2]

Sed antea quam opus ipſum incipio, creatorem, & gubernatorem humanarum rerum Deum demiſſe invoco & rogo, mihi ſcribenti ne deſit, ſed mentem ſua luce perfundat ut hiſce lucubrandis non errem: quin potius præceptiones

[1] „ *Stoicorum autem non ignoras, quam ſit ſubtile, vel*
„ *ſpinoſum potius, diſſerendi genus, idque cum Græcis, tum*
„ *magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt, imponen-*
„ *daque nova novis rebus nomina. Quod quidem nemo me-*
„ *diocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cujus*
„ *uſus vulgaris communiſque non ſit, multam novitatem no-*
„ *minum eſſe: cum conſtituantur earum rerum vocabula, quæ*
„ *in quaque arte verſentur.* „ Cicero ibidem.

[2] *Vide, quæ diſputabimus* L.VI. P.II. cap.2. & 3.

eas tradam ; quæ puerorum mentes non modo ad iſta , quæ mundo continentur , penitus intelligenda ; ſed , quod maxime curare debemus , ad cæleſtia illa , & beatum adſpectum conditoris quodammodo perducant : nec ſinat , ut aliquid , quod ab legibus a Romana eccleſia ſancitis alienum ſit , vel nobis inprudentibus , excidat . Quod ſi per humanam infirmitatem erraverimus , quidquid dixerimus , condemnamus : ac nos , noſtraque omnia vel jam vulgata , vel poſtea vulganda Pontificis Maximi judicio libentiſſime ſubmittimus . Quod ſi interdum nos auctorem aliquem , qui propter hæreſim non niſi cum venia memorandus ſit , laudabimus ; hominis eruditionem laudamus , inprobitatem deteſtamur : nec legendum proponimus , niſi ſi per Eccleſiam licebit .

Vos autem , Adoleſcentes lectiſſimi , & moneo , & hortor demiſſe , ac enixe Deum invocetis , qui vobis bonam mentem largiatur . Niſi enim ab eo fonte rem omnem deduxeritis ; niſi ejuſdem monitis , & præceptis mentem veſtram imbueritis ; ſcitote, numquam vos Philoſophiam illam, quæ nulli errori obnoxia eſt , fore conſecuturos . Faxit Deus , ut res votis reſpondeat : & quemadmodum veſtri gratia , & ut vos ad optima ſtudia perducerem , hujuſmodi laborem aggredimur ; viciſſim vos mihi , meiſque conatibus reſpondeatis : & ad finem mihi , vobiſque propoſitum , tota mente & omni animo contendatis .

CAPUT II.

De Logica vetuſtiſſimorum hominum .

QUamquam quæ hoc libro dicturi ſumus , in ipſo Logicæ corpore locum habere poſſent , ſi ordinem , quo res ſunt inventæ , perſequi vellemus ; [1] tamen ne præceptionum ordinem ea eruditione rumperemus , de conſilio doctorum hominum , de his hoc loco diſputare conſtituimus : & a principio hiſtoriam Logicæ uſque ad præſens tempus perpetua oratione deſcribere . Eſt autem Logica , *Diſciplina, quæ mentem perpolit , ut in omni loco , & tempore verum*

[1] *Hoc eſt , poſt caput 6. Libri II.*

verum conſequatur. [1] Cujus nos ortum, & viciſſitudines breviter hoc libro demonſtrabimus.

Antediluviani homines, vel quod ab Adamo haberent ea, quæ ad recte intelligendum ſunt neceſſaria, quo vitam commodius & jucundius tranſigamus; vel quod de hujuſmodi præceptionibus non cogitarent, paſtoritiæ vitæ, & curis domeſticis intenti [id enim veriſimilius eſt] de moderandis cognitionibus mentis nihil tradiderunt.

Exacto diluvio, cum multiplicari cœpiſſent homines ſuper terram, illud unum curarunt, ut urbes conderent, bene habitarent, novas regiones peterent, pro iiſque occupandis bella committerent. Nullus meditationi, aut diſputationi locus reliquus erat.

Non niſi poſt Olympiadas, quæ IↃCCLXXVI. annis ante vulgatam rationem æræ Chriſtianæ incepere; verius dicam, non niſi quingentis circiter ante Chriſtum annis de emendandis actionibus mentis cogitarunt homines. Nam qui primum diſciplinas excolebant, obſervandis ſiderum curſibus, aut prædicendis rebus futuris, aut moderandis populis, plerumque erant occupati.

Fuere Græci, qui primi huic ſtudio ſe dederunt. Nam cum Græcorum reſpublicæ a populo adminiſtrarentur; apud quem non ſapientia, ſed loquacitas ſæpiſſime fructum fert; evenit ut homines huic ſe garrulitati totos darent: atque quamcumque adverſarii argumentationem confutandi, ſuaque propugnandi, inproviſa facultate mirandum in modum delectarentur.

Quæ cum animadverterent alii, & adjumenta quærerent, quibus vera, & falſa probari, aut refutari ſolerent; artem iſtam *Dialecticam* adumbrarunt: quæ primo quidem non ut verum inveniret, ſed ut facile quiſque diſputaret, & adverſarium reprehenderet, adhiberi cœpit: poſtmodum veluti per gradus ad utiliora perventum eſt. Veriſimile eſt, non uno eodemque tempore factum id fuiſſe: ſed errorem aliquem ab uno animadverſum, ab alio alium: ſic ut ſenſim errores notarentur, & ars ratiocinandi abſolveretur.

[1] Hæc definitio duas partes clare complectitur, & *verum inveniendi*, & *tradendi*.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Logicæ origine apud Græcos.

I. EOrum vero, qui præcepta ad ordinem redegerunt, primus, quantum ex Hiſtoria [1] poſſumus definire, fuit *Zeno* Eleates, Parmenidis auditor, adoptione filius: qui floruit Olympiade LXXVIIII. Sed qualis fuerit hominis Dialectice, neſcimus. Tantum nos docent veteres, eum tradidiſſe quaſdam regulas conſecutionum: dialogos primum ſcripſiſſe: docuiſſe, vel ſaltim auxiſſe artem Eriſticam ſeu contendendi. Merito ut ſuſpicemur, *Zenonem* laqueorum vel inventorem, vel amplificatorem fuiſſe, nihil amplius.

II. Eodem tempore, quo Eleatici philoſophi pro cavillationibus, & acuminibus ſudabant, aliam Logicæ methodum excogitavit *Socrates* Athenienſis: vir ille ſummus, de quo ſcriptores cum Ethnici, tum noſtri ad unum omnes dicunt, nullum exſtitiſſe Philoſophum, qui eum redderet judicii ſoliditate, ac utilitate præceptorum.

Florebat *Socrates* tempore, quo Græcia Sophiſtis abundabat: [2] nimirum hominibus, qui ſe ſcire gloriabantur, quod re ipſa neſciebant: ac verbis obſcuris, eruditionem magnam præ ſe ferentibus, re autem vera omni poteſtate vacuis, inperitis inponebant; perinde quaſi rerum omnium perceptam animo cognitionem haberent: ac verbis illis ſuis arroganter pollicebantur, poſſe ſe efficere, ut cauſſa inferior dicendo ſuperior evaderet. Horum ſuperbiam ut retunderet, factus a natura *Socrates* videbatur: ceteriſque monſtravit viam, qua poſſent Sophiſtarum cavillationes facillime confutari.

Atque vir ille ſapientiſſimus acumine ſummo ingenii artem quamdam excogitavit, quæ eo magis efficax eſt, quo minus

---

[1] *Ariſtoteles apud* Laertium L.IX. ſect.27. *Laert. in* Vita Zenonis. *Sext. Empiricus* Adverſ. Math. L.VII. ſect.7. *vide Gaſſend.* de Orig. & Varietate Log. c.2.

[2] *Protagoras Abderites*, *Prodicus Chius*, *Gorgias Leontinus*, *Hippias Eleus*, *Thraſymachus*, *alii*, *de quibus Philoſtratus* in Vitis Sophiſtar., & Eunapius de eodem argumento.

minus præfert artificium. Nam non aperto marte inimicum aggrediebatur, verum dextere manuducebat, ut errorem ſuum fateretur. Quod ut facilius conſequeretur, mellito ſermone, multo lepore, & ſumma dexteritate *Socrates* utebatur: tarditati ſuæ tribuens, quod ea non adſequeretur, quæ adverſarius ſuus plane intelligeret. [1] Interim nihil dubium, nihil obſcurum relinquebat: ſed omnia ſibi diſtincte explicari poſtulabat: ac ex eo, quod ſibi ille dederat, quicum diſputabat, aliquid conficiebat; quod ille ex eo, quod jam conceſſiſſet, neceſſario approbare deberet.

Quod ſi adverſarius interrogationibus fatigatus indignabatur, *Socrates* humaniſſime reſpondebat, paratum ſe eſſe adſentiri veritati, modo eam perſpicue intelligeret. Coactus igitur Sophiſta tacebat: & qui aderant, ridebant hominis inpudentiam, quod ea obtruderet arroganter, quæ nec ipſe, qui opponebat, intelligeret.

Itaque Socratica diſputandi ratio in hoc verſabatur, ut perpetua ironia utens res diſperſe & diffuſe dictas inductione cogeret, & ſub unum adſpectum ſubjiceret. [2] Id ut tutius adſequeretur, 1. Vocabula omnia definiebat, ne ex ambiguo loqueretur. 2. Ex iis, quæ ab adverſario explicata erant, alias propoſitiones per neceſſariam conſecutionem ducebat, donec ad præcipitium hominem duceret. 3. Inductione, quæ erant dicta, colligebat, quo planius oſtenderet, pro qua parte veritas ſtaret.

Porro *Socrates*, qui mitiſſimus erat, & prorſus factus ut homines ad ſe ipſos minutulis interrogatiunculis revocaret; hac methodo tanto cum operæ pretio uſus eſt, ut Sophiſtarum confringeret inpudentiam, & inſcitiam patefaceret. Quod ipſi exitiale fuit: namque invidum illud, & ambitioſum hominum genus mortem Philoſopho machinatum eſt. [3]

Ab Socrate plurimæ Philoſophorum familiæ profectæ ſunt: nam illius diſcipuli aliis, & aliis in locis ſcholas aperuerunt. Nos eos tantum commemorabimus, qui artem

A 4 Logi-

[1] „ *De ſe ipſe detrahens in diſputatione, plus tribuebat* „ *iis, quos volleb at refellere, donec eos propriis verbis con-* „ *viciſſet*.„ Cicero Acad. L.IIII. cap.5.

[2] *Cicero* de Invent. L.I. cap.31.

[3] *Xenophon* Apologia. *Laertius* L.II. ſect.42.

Logicam excoluerunt, ut *Academici*, *Megarici*, *Cyrenaici*, *Peripatetici*, *Stoici*.

III. Academicorum princeps fuit *Plato* Athenienſis, Socratis auditor. Hic vero funeſto præceptoris caſu edoctus, qui ab Athenienſibus Philoſophiæ cauſſa occiſus fuerat, dedita opera ſententiam ſuam colloquiorum ſpecie involvit: ut tot colloquentium interpellationibus lector occupatus, quid ille ſentiat, diſcernere non poſſit.

Platonis autem Dialecticæ hæc ratio eſt. Dividere rem, de qua diſputatur: tum definire, ac nomina inponere: poſtremo inductione quædam inferre. [1] Ad hæc nominum origines ſtudioſe perſcrutari. [2] Fallacias quoque, quæ ratiocinationes vitiant, obſervare. [3] Hæc vero non ordine expoſuit, ſed ſparſim ut occaſio tulit: non ſyllogiſmis, ſed interrogationibus confecit: ac in dialogis ſuis horum omnium uſum demonſtravit. Immo in *Cratylo* ait, eum eſſe bonum Dialecticum, qui bene interrogare, & bene reſpondere noverit. Itaque *Platonis* Logica reapſe erat Socratica. Interdum tamen quædam, ſed aſtute, definiebat: idque in Academia fere ſemper obtinuit.

IIII. Megaricorum conditor *Euclides* Megarenſis, & is Socratis diſcipulus. Hic rixandi viam, & vafras quæſtiunculas nectendi, quam ab Eleaticis philoſophis didicerat, [4] quaque in Græcia Sophiſtæ delectabantur, ut erat ingenio acri & acuto, mirifice auxit, & primus in artem reduxit. Dialogis utebatur: ac frequentibus conſecutionibus *ergo*, *ergo*, *ergo*, id, quod propoſuerat, conficiebat. [5] Hoc erat hominis ingenium, ad diſcordiam in diſputando, & cavillationes pæne factum. Quod ſtudium, qui ei in ſchola ſucceſſerunt, plurimis additis laqueis, ac ſophiſmatis amplificarunt: ſed quæ adeo erant inepta, ut vel tiro oculatus nullo negotio ea ſolveret. Sane nihil hoc nomine *Euclidi* debemus: quippe qui tot fallacias introducens, de Logica arte male meritus eſt.

V. Cy-

[1] *In* Theet. Tom.I. p.146. Politic. Tom.II. p.262. Phædro Tom.III. p.266. [2] *In* Cratylo Tom.I. p.383.

[3] *In* Euthydemo: *immo & in* Sophiſta Tom.I.

[4] *Walchius* Hiſt. Logic. §.III.

[5] *Balius* Dict. verbo Euclides:

V. Cyrenaici auctorem habent *Ariſtippum*, Cyrene Africæ urbe natum: qui Athenas veniens Socratis audiendi cauſſa, Philoſophiæ hoc doctore una cum aliis operam dedit. Deinde poſt varias peregrinationes Athenis ludum aperuit, [1] ex cujus patria *Cyrenaici* philoſophi appellati ſunt. Hic Socraticam philoſophandi methodum ſecutus, Morali philoſophiæ addiſcendæ potiſſimum animum intendit: verumtamen Rationalem non eſt adſpernatus. [2] Hæc autem Logica in hoc verſabatur, ut de criteriis veritatis præſertim ageret: quæ in adfectionibus animi, hoc eſt in ſenſu doloris, & voluptatis, poſita eſſe putabant Cyrenaici. [3]

VI. Peripateticorum caput eſt *Ariſtoteles* Stagirites, Platonis auditor: qui Logicam artem fuſe perſecutus eſt, ut optime de illa meritus habeatur. Sane reliquis, qui poſt fuere, plurimam lucem adtulit. Conſcripſit [4] CXXIII. libros de re Logica, quorum præcipui deſiderantur: XVI. tantumodo exſtant.

In primo, qui *Categoriarum* inſcribitur, de iis tractat, quæ ſpectant ad ideas rerum in ordinem reducendas. *Perihermenias* I. deinde, in quo explicat vim nominum, & verborum, quæ ad propoſitiones componendas ſunt neceſſaria. Præterea II. *Priorum Analyticorum*, in quibus de ſyllogiſmo generatim diſputat. II. *Poſteriorum Analyticorum*, in quibus de ſyllogiſmo demonſtrativo. His addit *Topicorum* libros VIII. id eſt, argumentorum ſedes tradit, ex quibus argumenta ſumi debent ad probabilia quæque probanda. Reliqui ſunt *Elenchorum* libri II. id eſt laqueorum, quibus Sophiſtæ utuntur ut alios capiant. Hæc *organum* Ariſtotelis appellant.

Quæ debemus *Ariſtoteli* hæc ſunt. In prima parte Logices docet nos, ideas, quas habemus, ad ordinem referre, nominibus inſignire, quo expeditius utamur in fabricandis ſyllogiſmis. In altera parte exponit, quam varie vocabula in propoſitionibus ſita ſint: quænam illa ſint, quæ univerſales;

---

[1] *Laertius* L.II. ſ. 62. [2] *Laertius* ſ. 92.

[3] *Ex veteribus illorum Logicam exponit Sextus Empiric.* Adverſ. Mathem. L.VIII. ſ. 191. ſeqq. *Ex recent. Chriſt. Thomaſius*, Introd. in Phil. Ration. c. 6.

[4] *Videatur Franciſcus Patricius* Diſcuſſ. Peripat. Tom. I.

ſales, aut particulares ideas deſignant; & quot genera propoſitionum inde naſcantur. In tertia enumerat copioſe modos, quibus propoſitiones copulari poſſunt, ut fiant ſyllogiſmi: adeoque artem ſyllogiſticam accurate, quamvis obſcure, ediſſerit. Itaque Logica *Ariſtotelis* pro ſcopo habet, rectum ſyllogiſmum facere.

Reprehenditur autem *Ariſtoteles* multis nominibus. Principio non docet, quomodo ſingula & recte, & facile percipiamus, erroreſque vitemus in ideis comparandis. Illud autem peccat magis, quod vocabulis pro lubitu utitur: iiſque, quaſi eſſent rerum ideæ, omnia definit. Nam, ut ſcite Clercius, [1] *Iſagoge* Porphyrii, & *Categoriæ* erant nihil aliud, quam Lexicon, cujus ope nomina quædam rebus tribuebant: & memoriter ex regulis ſeu veris, ſeu falſis ratiocinabantur. Adeo res omnibus notas, quaſi reconditam doctrinam, venditabant Peripatetici.

Culpatur ſecundo, quod abrupto ſermone, & conſtructione vocum a vulgari Græcorum longe diverſa uſus fuerit: breviter, ac obſcure dedita opera ſcripſerit: [2] vocabula non definierit. Sæpe eodem nomine res diverſas, ſæpe varia nomina eidem rei tribuit. Interdum vocibus utitur, quibus nulla ſignificandi poteſtas ſubjicitur. Homo enim gloriæ plus, quam par erat, cupidus, cum ſyſtema novum vellet condere, & præter ceteros acumine prædicari, veterum Philoſophorum ſententias corrupit, ac mutilavit, quo facilius eorum dogmata carperet. Cumque meliores excogitare non poſſet, ad ſacram anchoram confugit, nempe ad verba incertæ ſignificationis, & univerſalia, & nova, quibus cogitata ſua occultaret, & ineruditis egregie inponeret, ſuſpicantibus aliquid & novum, & exquiſitum iis verborum involucris contineri. [3] Quod ii ſolum negabunt, qui numquam Ariſtotelem libero judicio legerunt.

Culpatur tertio, quod multus ſit in tradendis propoſitionibus, & rebus nullius pretii: quaſque homines facilius quotidiano uſu callent, quam animadvertant, cum docentur: immo

[1] Logic Præf. n.4. [2] *Gellius* L.XX. *c.5.*

[3] Legatur *Viveſius* de Cauſ. corrupt. art. L.I. & *ipſe Ariſtoteles* contra Zenonis, Xenophanis, & Gorgiæ ſententias.

immo vero multo difficilius ea intelligunt, ſi tam multis præceptionibus onerentur.

Culpatur quarto, quod Criterium veritatis non adtingit; ſed tantum ordinem propoſitionum. Quare ſi quis de aliqua re erat dicturus, Peripatetici non conſiderabant rei naturam & proprietates, ac ex iis principiis diſputationem finiebant, ſed ex regulis artis: & in hoc tam anxii erant, ut finem nullum facerent diſputandi.

Culpatur quinto, quod longas, & intricatas de ſyllogiſmis regulas conſcripſerit: nullis exemplis familiaribus inluſtraverit: immo obſcuriſſimis plerumque verbis uſus fuerit: ſæpe eadem inculcaverit: plurima inutilia dixerit. Cum tamen paucis præceptis, & clariſſimis rem illam omnem poſſet ab ſolvere magno cum operæ pretio.

Culpatur ſexto, quod in Topicis, ubi uſum Logicæ demonſtrare ſibi propoſuit, nihil minus, quam germanum uſum, oſtenderit; ſed artem tantum cavillandi, & irretiendi adverſarium.

Ne multa, loqui tantum docebat *Ariſtoteles*: & grammaticam Philoſophicam potius, quam artem ratiocinandi conſcripſit. Plurimum docet, cavere nonnullas Sophiſtarum ſui temporis moleſtas argumentationes. [1] Nuſquam vero docet recte judicare, & ratiocinari, idque methodo. Etenim non viam ſternit, qua ad rerum cognitionem pervenire poſſimus: alias & alias cognitiones ex rebus ipſis perſpicue cognitis comparemus: quod erat Logici. Sed hoc tantum, ideas, quas habemus, veras, falſas, ad certum ordinem reducere, nominibus inſignire, tum etiam ex quibuſdam cognitionibus alias promere, idque ex quibuſdam regulis, ne decipiamur deducentes. Quod perbelle fieri poteſt, etiamſi Logicus prave & obſcure rem noſcat, atque percipiendo fallatur. Itaque nemo homo eſt, qui, tametſi univerſam *Ariſtotelis* Logicam ad faſtidium uſque pervolutavit, ſentiat ſe talibus præſidiis eſſe munitum, quibus, materia aliqua ad differendum poſita, argumenta in promtu habeat. Quod ego pace

[1] *Ariſtoteles* de Interpret. c.6. *fatetur, ſe hujuſmodi librum ſcripſiſſe*, contra moleſtias Sophiſtarum: πρὸς τὰς σοφιστικὰς ἐνοχλήσεις. *Et hic eſt ſcopus totius Logicæ Ariſtotelis, ut conſideranti patebit.*

pace tanti viri dixerim, cujus ingenium, & eruditionem ſuſpicio: & unum doleo, tanta ingenia in tam leves ſententias incidiſſe. [1]

VII. Stoici *Zenonem* Cittieum parentem habent, qui Cratetis Cynici auditor fuit, atque etiam Academicos [2] Megaricos [3] aliosque audivit. Familiam reliquit inluſtrem, quæ uſque ad Auguſti ævum cum honore pervenit: immo unum vel alterum poſt ſæculum Stoici clariſſimi extiterunt.

Logicam, Ethicam, & Phyſiologiam complexi ſunt. Sed in Logica præcipue Stoicorum cura omnis conſumebatur. Præter ceteros Chryſippus celebratur. Is enim adeo in *Dialectica inſignis fuit, tantæque apud omnes æſtimationis; ut plerique dicerent, ſi apud Deos uſus eſſet Dialecticæ, non futuram aliam quam Chryſippeam*. [4] Id tamen nos docet Laertius [5] hominem CCCXI. libros de re Logica ſcripſiſſe. In quibus quot inanes & moleſtæ diſputationes haberentur, vel ipſe librorum numerus harum rerum æſtimatori æquo probabit.

Quædam non inepta de origine idearum, de proprietatibus vocum, de definitionibus, & diviſionibus, de criterio veritatis, de ſyllogiſmis hypotheticis [his enim tantum utebantur] de fallaciis, *Stoici* ſubtiliter tradidere. Hæc tamen ab

---

[1] *Nolim, Adoleſcentes, hæc omnia flagitia Ariſtoteli tribuatis: ſed partim hominis philoſophandi viæ, partim viciſſitudini temporum, & hominum inſcitiæ, & avoritiæ, qui Philoſophi libros vel celarunt, vel depravarunt. De quibus cum in* Apparatu *noſtro* L.I. *c.6. copioſe diſputaverimus, vos ad eum locum remittimus. Qui tamen hiſtoriam hanc Ariſtotelicam noſcere cupit, legat Franciſcum Patricium* in Diſcuſſionibus Peripateticis, *&* *Fabricium* Biblioth. Græc. Vol.II. p.109. ſeqq.

Hæc de Ariſtotelis contextu moneo: nam quod ad interpretes tum Arabes, tum Scholaſticos, parum in iis haberi, quod ſit Ariſtotelicum; omnino iis, qui hiſtoriam Philoſophicam adtigerunt, extra controverſiam eſt poſitum: ſi paucos excipios, de quibus infra L.VI. p.2. c.4.

[2] *Laertius L.VII. ſect.2.* [3] *Ibid. ſect.25.*

[4] *Laert. in* Chryſippo. [5] *L.VII. ſect.4.*

ab aliis accepere: nec aliquid, quod ſciamus, poſt tot ac tantos in Logica conſumtos labores, aut *Chryſippo* debemus, aut reliquis *Stoicis*, quod dignum ſit laude.

Culpantur igitur multiplici nomine. 1. Quod communi æſtu abrepti novam ſectam condendi, nova verba & abſtruſa, novas ſignificationes, & inanes, novos laqueos captandi adverſarium, & miras ſyllogiſmorum, ac ratiociuationum formas commenti ſunt, quibus *Sophiſticen* immane quantum ampliarunt. 2. Plurima inutiliter de Grammatica, & Rhetorica admiſcuere Logicæ, quæ confuſionem pariant. 3. Hunc ſibi finem propoſuere, perpetuo altercari, idque ad oſtentationem, non ad veritatem inveſtigandam. 4. Syſtema doctrinæ non dederunt, nec via ac ratione diſputarunt. Modo perpetuo contenderent, & adverſarium ſuum verbis implicarent; de reliquis nihil penſi habebant.

Profecto non aliunde melius, quam ex Cicerone *in Tuſculanis Diſputationibus, & Paradoxis, & Finibus Bonorum & Malorum*, tum ex illa pro *Muræna* oratione, in qua *Stoicorum* ineptias exagitat lepidiſſime, colligi poſſe cenſeo, quam mirifice *Stoici* ineptirint: quot cavillationes fabulati fuerint, ut res non paradoxas modo, ſed incredibiles, & aperte falſas magno apparatu verborum indoctis perſuaderent. Quod plane probat, inſignes eos ſimulatores fuiſſe. [1]

VIII. Poſt hos venit *Epicurus* Athenienſis, qui Xenocratem, & Pamphilum Platonicos, & Theophraſtum Peripateticum, & Nauſiphanem Pyrrhonis diſcipulum audivit, a quo Pyrrhoniorum dogmata accepit. Quidquid vero Academici, & Stoici, Epicureorum obtrectatores, dixerint de *Epicuro*, id certum nobis eſt, veterum neminem cum ipſo eſſe comparandum: adeo præclara ſunt hominis in artem Logicam merita. Quod & Cl. Walchius, qui hanc hiſtoriam contexuit, profitetur: immo vero illius *Canonica*, quam refert Laertius, [2] quale hominis fuerit ingenium, quam acre judicium, luculenter demonſtrat.

Sane *Epicurus* garrulitatis Stoicorum pertæſus, & ineptas

---

[1] *De erroribus, & ineptiis Stoicorum agit luculenter Joannes Franciſcus Buddeus* in Analectis Hiſtoriæ Philoſophicæ: *& Jacobus Thomaſius*, de Exuſtione Mundi Stoica.

[2] *L. X. ſect.* 30.

Digitized by Google

ptas cavillationes rejiciens, in quibus ipſi inpudenter exſultabant, perinde quaſi præter ceteros & eruditione, & ingenii acumine pollerent; paucos canonas collegit de perſpicuitate ſermonis, & recto ordine ratiocinandi, eoſque Sophiſtis oppoſuit: quod ſibi perſuaſit, nihil aliud requiri, ut tirones, ſi illos recte perciperent, Stoicorum vafris quæſtiunculis occurrerent, eorumque jactantiam labefactarent. Et quamquam nec de recte inſtituenda ratiocinatione, nec de cavendis fallaciis data opera diſputet, quod ipſum animadvertendum eſt; fatendum eſt tamen, ſuum illi ſtudium feliciter ſucceſſiſſe.

Omnino ergo Epicuri *Canonica* ad hæc pauca revocatur. Omnis quæſtio, quæ in Philoſophia tractatur, vel de re eſt, vel de voce. De re *an vera ſit*, quærimus: de voce, *quid ſignificet*. Veritas autem vel eſt exſiſtentiæ, vel judicii. Veritas exſiſtentiæ eſt, *quod quælibet res ſit ipſum, quod eſt, non aliud*. Unde hoc ſenſu illud verum eſt, quod exſtat. Veritas judicii eſt, *quod judicium, & propoſitio vocalis ſit conformis rei enunciatæ*.

Res autem omnes vel ſunt *naturales*, vel *morales*: hoc eſt, vel ad contemplationem naturæ, vel ad conſuetudinem vitæ pertinent. Utraſque ut adſequamur, recte judicandi inſtrumentum, quod *criterium* vocatur, eſt adhibendum; quod in modo percipiendi conſiſtit. Naturales percipiuntur aut *ſenſu*, [1] aut *mentis anticipatione*. Morales percipiuntur appetitu & *paſſione*, vel voluptatis, in rebus, quæ alliciunt; vel moleſtiæ, in illis, quæ avertunt.

Itaque triplex poſuit criterium veritatis, *ſenſionem, anticipationem, & paſſionem*: quibus ſuos canonas adhibuit, per quam accommodatos ne judicando falleremur, [2] quos ordine exponemus.

Canónes de *Senſu*.

I. *Senſus numquam fallitur: ac proinde eſt omnis ſenſio; omniſque phantaſiæ ſeu apparentiæ perceptio, vera.*

II. *Opi-*

---

[1] Senſus *objectam rem trahit ad mentem*: ſenſio *autem rem percipit*. *Utrumque vocabulo* ſenſus *deſignat Epicurus*.

[2] *Hos ex Laertio, & Empirico collegit Gaſſendus*, in Lib.X. Laertii, & in Syntagm. Philoſoph. Epicuri, & in Originibus Logicæ c.7. *Confer. Stanlejus* Hiſtor. Philoſ. P.XII.

II. *Opinio eſt conſequens ſenſum, ſenſionique ſuperadjecta, in quam veritas, aut falſitas cadit.*

III. *Opinio illa vera eſt, cui vel ſuffragatur, vel non refragatur ſenſus evidentia.*

IIII. *Opinio illa falſa eſt, cui vel refragatur, vel non ſuffragatur ſenſus evidentia.*

Canones de *Anticipatione*, ſeu *Mente*.

I. *Omnis, quæ in mente eſt, anticipatio ſeu prænotio dependet a ſenſibus: idque vel incurſione ſui, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione.*

II. *Anticipatio eſt, ipſa rei notio, ſive definitio, ſine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, immo & nominare non licet.*

III. *Eſt anticipatio in omni ratiocinatione principium, quaſi nempe id, ad quod attendentes, inferimus unum eſſe idem, aut diverſum; conjunctum, aut disjunctum ab alio.*

IIII. *Quod inevidens eſt, ex rei evidentis anticipatione demonſtrari debet.*

Canones de *Appetitu*, ſeu *Paſſione*.

I. *Ea voluptas, quæ nullam habet adnexam moleſtiam; amplectenda eſt.*

II. *Ea moleſtia, quæ nullam habet voluptatem adnexam; fugienda.*

III. *Ea voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem moleſtiam parit, fugienda.*

IIII. *Ea moleſtia, quæ aut majorem avertit moleſtiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda.*

Canones de *Vocibus*.

I. *Dum loqueris, delige voces communes, & perſpicuas: ne aut ignoretur, quid velis; aut interpretando tempus fruſtra teras.*

II. *Dum audis, id enitere, ut vim ſubjectam vocibus teneas: ne te aut præ obſcuritate lateant, aut præ ambiguitate deludant.*

CA-

CAPUT IIII.

De Logica Chriſtianorum, & Arabum.

HI ſunt celebriores Philoſophi e veteribus, qui in Logica vel invenienda, vel polienda curam, cogitationemque poſuere, idque ad Auguſti Cæſaris uſque ætatem. Singulari tamen fato evenit, ut veteres Epiſcopi, a primis uſque Chriſtiani nominis ſæculis, etſi Ariſtotelem damnarent in multis, illiuſque irretiendi ſtudium ſumme pernicioſum eſſe Eccleſiæ reputarent, [1] Ariſtotelicam nihilominus Dialecticam fuerint ſecuti. Cauſſa hæc fuit.

Nata erat Alexandriæ, ad quam, quaſi ad bonarum artium mercatum, ſtudioſi litterarum confluebant, exeunte ſæculo Chriſti II., & III. ineunte, ſecta quædam, quæ *Eclectica* vocabatur: & cujus inſtitutum erat, Platonicam, Stoicam, Ariſtotelicam, Pythagoream, & Orientalem philoſophiam, tum etiam religiones omnes in concordiam vocare: & quædam ex ſingulis excerpere, mutare, & ad alias applicare. [2] Hæc autem Ariſtotelem in Dialecticis, & Zenonem Platoni, ceteriſque, qui nihil de ea abſolutum reliquerant, anteponebat: & per Chriſtianum orbem diffuſa fuit.

Patres, qui probe noſcerent, uniuſcujuſque ſectæ ſyſtema plurimis erroribus inquinari; quique in iiſdem ſcholis eruditi animadverterent, Eclecticam philoſophiam aptam eſſe, quæ Ethnicos, talibus ſententiis imbutos, ad religionem Chriſtianam facilius traduceret; [3] ejuſmodi philoſophandi viam probarunt, legendi ex ſingulis ſectis, quæ meliora videbantur. Ex quo evenit, ut ipſi cum Eclectica ſecta [meliori tamen, quam illa erat Alexandrina] Peripateticam Logicam ſint amplexati. Acceſſit, quod cum Hæretici V. ſæculo Ariſtotelicis, & Stoicis præſidiis abutentes, docto-

[1] *Launojus*, de Varia Ariſtotelis fortuna c.2. *plures adducit Patres*. *Conferatur Epiphanius*, Hæreſ.76. §.2. & 10. *Nazianzen.* Orat.26. & 34. *Petavius*, Dogmat. Theolog. L.I. & proleg. c.3.

[2] *Vide Godofr. Olearium*, Diſſert. de Secta Eclectica.

[3] *Clem. Alex.* Stromat. L.I. p.282.

Digitized by Google

doctores noſtros, tum & dogmata Chriſti inpudentiſſime aggrederentur; occaſio fuere doctoribus Orientis, ut eadem Dialectica ſedulo imbuerentur, quo adverſariorum argumentationibus, & irriſionibus occurrerent.

Hinc nata alia Dialecticæ forma ex Stoica, & Ariſtotelica compoſita. Quæ a ſæculo VII. in quo generalis barbaries, ac ignoratio litterarum hominum, maxime Occidentalium, mentes occupavit; vel remiſſe diſputata, vel majori ſtudio exculta per plura ſæcula in Orientali eccleſia perduravit. Ex quo poſtrema Orientalis imperii ætate vix alius quam Ariſtoteles legebatur.

Eadem Dialectica VIII. ſæculo vergente, & initio VIIII. in Occidente obtinuit, cum a Carolo Magno imperatore, ejuſque filiis Univerſitates ſtudiorum inſtitutæ fuere. Im no uſque ad XII. ſæculum, quamvis reliqui Ariſtotelis libri Occidentalibus eſſent ignoti, [1] ea, quam diximus, Dialectica tradebatur. Idque eo ardentius, quod Chriſtiani doctores ſibi perſuadebant, B. Auguſtinum eamdem diſcipulis commendaſſe: propterea quia circumferebantur libri quidam de *Dialectica Auguſtini* plane Stoica, [2] qui ob Auguſtini nomen in ſcholis exponebantur. [3] Quæ conſuetudo per plura ſæcula obtinuit. [4]

Sæculo autem VIIII. *Arabes*, qui per id temporis magnam Orientis partem, & Africæ, & Hiſpaniæ occuparant; cum Græcorum libros in Syriacum verſos [5] illis in locis offenderent, alioſque a Chriſtianis magna vi auri coemerent, in Arabicum ſermonem verti curarunt: [6] & in ſcholis, quas in regno ſuo erexerant, ambitioſe explicarunt: in his Ariſtotelem, qui præter ceteros Philoſophos ipſis placuit. Cumque & Græcam linguam, & Græcæ philoſophiæ hiſtoriam

 igno-

[1] *Rigordus* in Vita Philippi Auguſti, *apud Launojum* de Fortuna Ariſtot. c. I.

[2] *Dialecticam, quæ Auguſtino tribuitur, non eſſe Auguſtini, docuerunt Benedictini* Tom. I. Oper. Aug. p. 614. *ille namque aliam Dialecticam condidit.*

[3] *Launojus* de Scholis celebr. c. LIX. art. I. p. 178.

[4] *Launojus* de Var. Fort. Ariſt. c. 5. p. 197.

[5] *Fabric.* Bibl. Græc. Vol. I. p. 814.

[6] *Leo Afric.* de Vir. Inluſtr. Arab. c. I.

ignorarent, atque ab omni præſidio interpretandi eſſent imparati; Ariſtotelem invita Minerva interpretati ſunt. Quare Græci hominis libros ſatis obſcuros & depravatos, ſuis interpretationibus ineptis obſcuriores fecere.

CAPUT V.

De Logica Scholaſticorum, & tentata a quibuſdam emendatione.

AB his *Scholaſtici*, ſeu Chriſtiani Occidentis philoſophi & Ariſtotelis libros, & eorum interpretationes ſæculo XII. accepere. [1] Verum cum eamdem viam, quam Arabes, inſiſterent; atque ex nimio Dialecticæ, & Metaphyſicæ contentioſæ ſtudio apti non eſſent Ariſtoteli dilucidando; Logicam obſcuram illam quidem & intricatam, novis acuminibus & laqueis implicarunt. Nam cum Græcum contextum non legerent, aut ignoratione Græci ſermonis intelligere non poſſent; quæ utiliora in Ariſtotele erant, neglexerunt; tantum Sophiſticen coluerunt, & ampliarunt. Quo quantum damni diſciplinæ omnes fecerint, etiam in præſentia non ſine animi dolore experimur. Quare tametſi Ariſtotelicorum nomen ſibi ſumſerunt, nihil minus erant quam Ariſtotelici: ſi unum & item alterum excipias, qui ſapientius ceteris diſputavit. Eaque Logica uſque ad XV. ſæculum in honore fuit: niſi quod ſub finem ejuſdem ſæculi non nulli Platonicam differendi viam ſuſcitare conati ſunt.

Nihil profecto debemus Scholaſticis: immo culpantur multis de cauſſis. [2] Nam præterquam quod iis omnibus vitiis, quibus Ariſtoteles, & Arabes inquinantur, & ipſi adſperſi ſint, addunt flagitia non nulla.

1. Phi-

---

[1] *Plurimi Chriſtiani ad Saracenos confugiebant, ut Philoſophiæ operam darent: quod inter alios fecit Adelardus Anglus, monachus Benedictinus, qui philoſophorum Græcorum libros quoſdam ex Arabico Latinos fecit* XII. *ſæculo. Vide Guilelm. Malmesburienſem*, de Geſtis Reg. Angl. L.II. c.10. *& Gaſſend.* Exercit. adverſ. Ariſtotel. E. III. p.74.

[2] *Confer. Ludovicus Vives.* de Cauſſis corruptarum artium. *Gaſſendus, & Launojus locis cit.*

1. Philoſophandi juſtam libertatem tollunt: illud curant, ut Peripateticorum ſententias, & verba exoſculentur, eiſque indivulſe adhæreant. 2. Non docent perſpicue intelligere: nec inſtrumentum recte judicandi, id eſt criterium veritatis, adtingunt. 3. Nulla de arte Critica præcepta tradunt. 4. Res, quæ nullo modo intelligi, nulli uſui eſſe poſſunt, ardenter diſputant; ut illud eſt, de *Procemialibus, Signis, Prædicabilibus, Categoriis, Modalibus, Arte inveniendi medium*. [1] 5. Amant vocabulis uti, quibus vis nulla ſignificandi ſubjecta eſt, & quæ vel ipſi, qui uſurpant, difficulter explicabunt: cumque nomina nuſquam definiant, perpetuo altercantur inter ſe de verbi ſignificatione. 6. Eorum Logica non habet pro fine verum perſcrutari: ſed tantum de rebus & perſpicuis, & certis contendendo diſputare.

Fine XV. ſæculi, & inito XVI. *Laurentius Valla* Romanus, & *Rodulphus Agricola* Germanus, & paullo poſt *Ludovicus Vives* Hiſpanus, & *Marius Nizolius* Brixellenſis, viri, ut erant illa tempora, oculati, in Logica balbutire cœperunt: Scholaſticorumque ineptias vehementer condemnarunt, atque ad meliora cogitanda homines commoverunt.

Sed præter ceteros medio fere ſæculo XVI. *Petrus Ramus* Gallus rem Logicam inluſtravit. Primum omnium Ariſtotelis errores notavit; quod eo libro præſertim fecit, quem inſcripſit: *Ariſtotelicæ Animadverſiones*. Deinde in *Inſtitutionibus Dialecticis* novam artem propoſuit differendi. Id ægre ferentes Pariſienſes, qui in Ariſtotelis verba juraverant, hominem ad magiſtratum, quaſi majeſtatis reum, ſemel & iterum detulerunt: immo tantum negotii illi ſuſci-

 tarunt,

[1] „ *Quis enim ferre poſſit diſputationes illas de univerſalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de principio individuationis, de diſtinctione quantitatis a re quanta, de maximo & minimo, de infinito, de intentione & remiſſione, de proportionibus & gradibus, deque aliis hujuſmodi ſexcentis, quæ ego, etiam cum nec eſſem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis, & diligentiæ adhibuiſſem, animo vel informare non poteram. Puderet me dicere non intelligere, ſi ipſi intelligerent, qui hæc tractarunt.* „ Melchior Canus Dominicanus Cl. Scholaſticus ſæculi XVI. *de Locis Theologicis L. VIIII. c. 7.*

tarunt, ut quamvis Senatus decreto abſolutus de crimine; & Profeſſoris regii munere ornatus, vix reliquum vitæ ſiverint quieſcere. Poſtremo in illa ſeditione Pariſienſi, religionis quidem nomine, reapſe vero Philoſophiæ invidia ab adverſariis occiſus eſt, anno CIƆIƆLXXII.. [1] Cumque nec mortuo parcerent, lacerum Philoſophi cadaver indigne habitum in Sequanam abjecerunt. [2]

Ramus igitur veterum exemplo Oratorum, & Philoſophorum, quos adſidue legebat, Rhetoricam, & Dialecticam conjunxit. [3] Itaque Logicam partitur in *inventionem*, & *judicium*. In prima parte locos explicat, ex quibus argumenta ſumi debent: viamque docet argumenta recte atque ordine inveniendi: quod exemplis confirmat ex Oratoribus, & Poetis. Deinde *inartificiale* argumentum, ſcilicet teſtimonium cum Humanum, tum Divinum, tractat.

In altera parte, quæ argumentorum diſpoſitionem continet, primo agit de axiomatibus, ſeu propoſitionibus, earumque differentiis, & proprietatibus. Deinde de ſyllogiſmi natura breviter. Tum de ſyllogiſmo ſimplici, complexo, disjuncto, ac reliquis argumentationis ſpeciebus aliquanto copioſius differit. Poſtremo methodum in univerſum exponit.

In prima parte accurate ſcribit Ramus: præſertim ſi illi adjungas explicationes, quas in *Scholis Dialecticis* ipſe tradit. In altera parte propoſitionum formas, & ſyllogiſmos compoſitos liquido explicat. Profecto ita ſe a ſervitute liberavit Peripatetica, ut ſi aliquid in Ariſtotele, & aliis bonum eſſe cenſeret, id ſibi ſumeret, & eclectice philoſopharetur: tum demum ab inutilibus & alienis veſtigationibus nobiliſſimam ſcientiam ad uſum forenſem, & domeſticum revocavit; vir ille quidem in notandis Ariſtotelis erroribus per quam oculatus. Quare vel hac de cauſſa laudari meretur Ramus, quod exemplo & periculo ſuo Pariſienſes incitaverit, ut emendationem Philoſophiæ tentarent: quod profecto evenit.

Reprehenditur tamen, quod totam artem ad diſceptationem

[1] *Teiſſier*. Elog. Tom.I. pag.405.
[2] *Thuanus*, Hiſtor. ad an.1572.
[3] *Legatur* ipſius Præfatio Logic. Inſt.

tionem reduxerit. Quod artem Criticam non explicarit. Quod artem Syllogiſticam, cum de ſyllogiſmo tractat, negligenter, & obſcure tradiderit. Quod ſyllogiſmum neceſſarium, & contingentem, uti propoſuerat, non explanarit. De fallaci vero nihil dixerit. Præterea Methodi leges præter modum generales ponit, nec a Peripateticorum loquendi formulis, & obſcuriſſimis verbis cavet. Etiam in eo reprehendendus videtur, quod tam male de Ariſtotele loquatur, & defendere in propatulo non dubitarit, *Quæcumque ab Ariſtotele dicta eſſent, commenticia eſſe*: cum tamen præcipuas regulas ab ipſo Stagirite arripuerit. Quod is penitus intelliget, qui & Rameam logicam perpenderit, & exempla, quibus Joannes Miltonus Rami adſecla præceptoris inluſtrat ſcripta, recte expenderit & conſiderarit.

Veruntamen fatendum eſt, Philopſophos, qui poſt fuere, non magis a *Bacone Verulamio*, quam a *Ramo* excitatos fuiſſe, ut ſapientius philoſopharentur. Quod ipſemet *Baco*, ceteroquin minime *Ramo* favens, judicavit de *Ramo*. [1] Tametſi Verulamii obſervatores iſtiuſmodi laudem noſtro conantur eripere. Et hæc Ramea logica per Germaniam, Angliam, Scotiam, & alias regiones longe, lateque propagata eſt. [2]

CAPUT VI.

De emendatione Logicæ.

INeunte ſæculo XVII. floruit *Franciſcus Baco*, Baro de Verulamio, Anglus: qui Logicam quamdam edidit, quam *Novum Organum* inſcripſit, idque Phyſiologiæ augendæ potiſſimum conformavit. Methodus ita ſe habet.

Primo præjudicatas opiniones, quæ *idola* vocat, revocat in dubium. Hæc autem vel ſunt *idola tribus*, ſeu naturæ humanæ omnis; vel *ſpecus*, ſeu ſingulorum hominum; vel *fori*, quæ uſu hominum comparantur; vel demum *theatri*, quæ ab doctorum hominum falſis opinionibus naſcuntur. Deinde ut aliquid efficiat, inductionem Socraticam uti-

[1] *De* Augment. Scient. L. IIII. c. 2.
[2] *Bælius*, Diction. verbo Ramus.

utilem eſſe contendit, ſyllogiſmum non item. Idque hoc nomine, quod inductio conſtat ſingularibus ideis, quas omnes intelligunt: contra ſyllogiſmus univerſalibus, quas ſoli Philoſophi internoſcunt.

Bona & utilia quædam nos docuit *Verulamius* in iſto opere. Quædam tamen peccat & potiſſimum tria. [1] Quod inductionem ſyllogiſmo anteponat, cum ea non niſi ex ſyllogiſmo, quo innititur, vim habeat. Quod de ſyllogiſmo, & methodo non agat. Quod inſolitis verbis, partitionibus adfectatis, & obſcuriſſimo dicendi genere uſus ſit: adeo ſine interprete nequit intelligi. Tamen de Verulamii, & Rami fontibus, qui poſtea ſcripſere, omnes hauſerunt.

Eodem pæne tempore ſcripſit *Petrus Gaſſendus* Gallus, vir eruditiſſimus, mortuus anno CIↃIↃCLV. Edidit primo librum hoc titulo: *Exercitationes adverſus Ariſtotelicos*: in quo vulgatæ Logicæ nævos perſpicue, & perite enarrat. Deinde librum *de Origine, & Varietate Logicæ*: in quo illius hiſtoriam ad ſua uſque tempora perducit. His addidit alium de *Logicæ Fine*: in quo & criteria veritatis, & qui iis tradendis excelluerint, exponit. Poſtremo *Inſtitutiones Logicas*: ubi de rerum imaginatione, propoſitione, ſyllogiſmo, & methodo agit. Non nulla nova, alia vero majori luce perfuſa lectori exhibet Gaſſendus, idque clare, atque ordine: quæ omnia canonibus quibuſdam complectitur. Quod autem quædam inutilia addiderit, quædam exemplis non bene inluſtraverit, quædam vero per viam tantum tetigerit, id ei, ut temporibus illis, condonandum videtur. Sane ejus docendi viam poſteriores Philoſophi amplexati ſunt. Quare recentioris Logicæ inſtaurator ſummo jure habitus eſt.

Thomas Hobbeſius Anglus, magnum ingenium, eodem tempore floruit, & ipſi Gaſſendo arctiſſime fuit devinctus. Niſi quod pietatem in Deum ab eo non didicit: erat enim *Hobbeſius* non obſcure in Epicureiſmum inclinans. Scripſit de re Logica librum titulo *Computationum*: in quo eamdem pæne docendi viam, quam Gaſſendus, tenet, nec male de Logica meretur.

Renatus Carteſius Gallus, vir clariſſimus. Hic ſane etiamſi

[1] *J. Georgius Walchius*, Hiſt. Logicæ, *quæ exſtat in ejus* Parergis Academ. editis Lipſiæ an. 1721. pag. 639.

etiamſi a Verulamio, aliiſque plura didicerit, [1] nihilominus novi ſyſtematis, ingenioſi illius quidem, utinam veri! auctor audit. Scripſit præter Phyſicam, libellum *de Methodo rationis recte dirigendæ, & inquirendæ in ſcientiis veritatis*. Moritur anno CIↃIↃCL.

Hæc ſunt quæ laudantur in Carteſio. 1. Quod rejectis præjudiciis auctoritatis, & vetuſtatis, ad veritatem inveſtigandam tota mente feratur: nec aliorum judicio, ſed ſuo res explicet & finiat. 2. Primus docuit, verba illa, quibus poteſtas nulla ſubjecta eſt, reſpuere: & tum vocabulis, tum ideis clarioribus uti, & ordine ratiocinari. 3. Multa egregie de Critica arte docuit.

Reprehenduntur in eo hæc. 1. Abſolutam Logicam non dedit, ſed ſpecimen quoddam. 2. Inmodico condendæ ſectæ ſtudio abreptus, novavit multa in ſententiis, immo & in verbis, quæ arbitratu ſuo definivit non ſine obſcuritate: cumque perpetuo inventor videri cupiat, ſæpiſſime veterum, & recentiorum Philoſophorum cogitata, non indicatis fontibus, pro inventis ſuis obtrudit lectori, non ſine plagii ſuſpicione. [2] 3. In quibuſdam ſibi non conſtat: nam etſi evidentia principia adfectet, interdum tamen ea ratiocinationibus, ſive, ut ipſe vocat, demonſtrationibus adjungit, quæ non modo evidentia non ſunt, ſed vix probabilia, aut tolerabilia videntur. 4. Nimium tribuit menti humanæ: quam domeſticis præſidiis res omnes arcanas reſerare poſſe credit: proinde falſa non nulla inculcat. 5. Hypotheſes generales ſummum poſſibiles, non veriſimiles, nulliſque experimentis firmatas, frequenter inducit: iiſque inædificat ſyſtema ſuum magno cum Phyſicæ damno. [3]

Verum quidquid ſit de vitiis Carteſii, quæ ingentibus aliis virtutibus eum redimere certum eſt; illud extra controverſiam videtur poſitum, illius diſcipulos Criticam artem, & Liberam philoſophiam vehementer excoluiſſe. Quorum

 nomi-

[1] *Legatur Cl. Leibnizius*, Leibniziana pag. 181.

[2] Leibniziana pag. 181. *Vide etiam Bailletum, in* Vita Carteſii Tom. II. pag. 138.

[3] *De Carteſio judicium recte fecit P. Daniel, e Societate Jeſu, in* Itinere Carteſii part. 3. *Conferatur Huetius*, Cenſura Philoſoph. Carteſianæ.

Digitized by Google

nomina, & ſcripta ſi vellem diligenter percenſere, vix id juſto facerem volumine: quare unum, & alterum adducam inſigniorem. Qui plura cupit legat Walchium, [1] qui recentiores Logicos accurate & ordine recenſet.

Igitur e Carteſianis eminet præter ceteros *Auctor Artis Cogitandi*: quæ tam multis tribuitur, ut, quis eorum fuerit auctor, merito ignoretur. Veriſimilius eſt, duos, aut tres e Portu Regio philoſophos, præſertim *Nicolium*, communi ſtudio librum compoſuiſſe Gallice, editum Pariſiis anno CIƆIƆCLXIIII. cujus *Braunii* Latina converſio anno CIƆIƆCCIIII. vulgata præferri ſolet. Quatuor illa in partes dividitur, in quibus de ideis, judiciis, argumentatione, ac methodo diſſeritur: &, ut verum fatear, plerumque ex methodo Gaſſendi.

Commendatur in eo 1. Perſpicuitas, & ordo. 2. Temperat ab inutilibus quæſtiunculis, & vocabulis nihil ſignificantibus. 3. Res inluſtrat exemplis familiaribus, quæ multum juvant tirones: niſi dum quædam ex Mathematica petita offert. 4. Fine tertiæ partis falſarum ratiocinationum cauſſas ſubtiliter & veriſſime perſcrutatur; & plurimam lucem reliquis, qui poſt ſcripſere, accendit: tametſi abſolutam de illis tractationem non dedit. [2] 5. In quarta parte, ubi de *methodo*, tradit multa, quæ artem Criticam inluſtrant, & ſuperiorum nulli in hoc concedit. 6. Ariſtotelicorum flagitia quædam ſummo acumine detegit, & confutat.

Increpatur tamen in multis. 1. Carteſianiſmum ultra quam par eſt propagare ſtudet, nec ab præjudicatis opinionibus temperat aliquando. 2. Multus eſt in ideis, & propoſitionibus, & ſyllogiſmis explicandis: reſque eas, quæ nulli uſui ſunt, explanit copioſe, ubi etiam falſa non nulla docet, maxime de propoſitionibus. 3. Criticam artem juſto volumine non tradit.

Alter Carteſii diſcipulus *Nicolaus Malebranchius*, Gallus, paullo poſt, & anno CIƆ.ƆCLXXIII. opus vulgavit hoc titulo: *De la Recherche de la Verité*: id eſt, *de Inquirenda Veritate*. Latine poſtea converſum eſt a Lenfantio. Primis quin-

[1] Hiſt. Logicæ L.II. c.1.

[2] *Vide Chriſt. Thomaſ. in* Caut. c.10. §.9.

quinque libris cauſſas errorum luculenter demonſtrat. Sexto vero methodum Syntheticam, & Analyticam perſequitur.

Sane *Malebranchius* ſummo acumine plura, & recondita explicat: & cum arti Logicæ, tum Criticæ lucem plurimam adſpergit: tum etiam nitide & perſpicue cogitata ſua exponit. Reprehenditur vero in quibuſdam, & merito. 1. Senſuum certitudinem negans, Scepticiſmo patrocinatur. 2. Arguitur de crimine Enthuſiaſmi, propterea quia nos in Deo omnia videre ait. In quo quid ille ſibi velit, nec ipſe profecto intellexit, nec ullus qui libere judicet, poſt longum examen hucuſque potuit intelligere. 3. Videtur etiam quibuſdam, libertatem tollere, cum cauſſas *occaſionales* inducit, & motiones omnes animi, & corporis Deo tribuit. Veruntamen plurima tolerabiliorem ſenſum habere poſſe, viri doctiſſimi exiſtimarunt. [1] 4. Potius in vitandis erroribus, quam in inquirenda veritate cogitationes ſuas defixit. 5. Etiam in eo requirunt, perfectum artis Criticæ corpus.

CAPUT VII.

De utilioris Logicæ inſtauratione.

HÆC erant tantum rudimenta emendationis Logicæ. At poſtea quam Eclectica phyſiologia vergente XVII. ſæculo obtinuit, non defuere etiam, qui Logicam libero judicio tractarent, & ab omni liberarent ſervitute: quod noſtro hoc ſæculo maxime invaluit. Horum princeps eſt *Joannes Lockius* Anglus, mortuus anno CIƆIƆCCIIII. Quatuor is libros de hoc argumento Anglice edidit anno CIƆIƆCXCIIII. quos Petrus Coſte in Gallicum ſermonem tranſtulit, hoc titulo: *Eſſai de l'Entendement Humain*: quaſi dicas, *Tentamen de Mente Humana*: Burridgius vero Latine convertit.

Primo libro docet, ideas omnes vel per ſenſus haberi, vel meditatione ex iis, quæ ſenſibus adquiruntur, derivari. 2. Oſtendit minutatim, quomodo quælibet idea comparetur. 3. De vocibus, earumque proprietatibus diſputat, ubi Criticen diligenter exponit. 4. De humana cognitione generatim, & particulatim: de veritate, ratione, fide, & his ſimilibus fuſe pertractat. Hic

[1] *Leibnizius, aliique.*

Hic auctor non niſi ab experientia, & meditatione philoſophandum eſſe ſtatuit: quibus ducibus non pœnitendos progreſſus in Philoſophica veſtigatione fecit. Diligenter ſiquidem odoratur vires humanæ mentis. Summo acumine rerum cauſſas rimatur: & plurima aliis non obſervata, aut negligenter tacta dilucidat. Via ac ratione cogitata ſua declarat, ac perſpicue, quod docet, exponit. Tum demum ingenue, uti decet Philoſophum, quæ ignorat, præ ſe fert, decipit neminem. Quod quantum laudis habeat in homine, qui de re Logica, & Phyſica diſputat, dicant ii, qui hiſce ſtudiis vitam agunt, &, ne indocti judicentur, perpetuo contendunt, & altercantur. Primus certe, ut mihi videtur quidem, *Joannes Lockius* docuit Logicos, non erubeſcere confiteri ſe multa neſcire: eiſque perſuaſit, eſſe quamdam doctam ignorantiam, ſapientiuſque eſſe, quædam neſcire, quam ſcire.

Verum, quæ eſt humanæ mentis infirmitas, ipſe, qui reliquis viam recte judicandi ſternit, arguitur in non nullis. 1. Sunt, qui hominem accuſent, quod magno verborum ambitu res nullius uſus in inveſtigatione veri explicet, nec ſemel eadem dicat. Verum hæc excuſatione non carent, præſertim ſi reputemus Lockium ſibi propoſuiſſe, præjudicatas ſententias Carteſianorum, & Gaſſendianorum, quæ latiſſime mentes tenebant, evertere. 2. Etiam ei vitio dant, quod mentem, & voluntatem non bene expoſuerit. 3. Quod hominis libertatem male explicarit. 4. Quod hominis a beſtia diſſimilitudinem haud recte ſtatuerit. Quæ ſi vera ſunt, ut ſunt, merito ſuo in proſcriptorum librorum numero ponendus eſt, & non niſi cum venia memorandus. [1]

Ex Lockiana diſciplina *Joannes Clercius* magnus Philoſophus exſtitit: etiamſi ex Arte Cogitandi, & Malebranchio etiam profecerit. Primus hic judicandi præcepta juſto volumine comprehendit, anno CIↃIↃCXCVI. primum vulgato, poſtea vero auctius, quam *Artem Criticam* inſcripſit. Præterea edidit Logicam: ubi primo de ideis, poſt de judicio, & propoſitione, deinde de methodo, poſtremo de argumentatione diſſerit.

Lau-

[1] *Sapientius ceteris quædam notavit in Lockio Chriſt. Thomaſius*, Caut. c.x. §.13. *adde Walchium l.c. p.672.*

Digitized by Google

Laudatur primum, quod rem & Logicam, & Criticam acri judicio, perſpicue, & breviter explanaverit. Quod inutilitatem plurium regularum Logices oſtenderit. Quod de invenienda veritate quædam utiliter præſcripſerit. Quod exemplis omnino utilibus aliqua præcepta inluſtrarit. Accuſatur tamen his rationibus. 1.In explicandis ideis, & propoſitionibus, ea ex Scholaſticis deſumit, quæ neceſſaria non ſunt. 2.Reconditam eruditionem adfectat, ea ex veteribus ſumens exempla, quæ tirones non intelligunt. 3. Tam in Logica, quam in Critica conſulto quærit exempla, quibus Romanam eccleſiam vellicare, & velit nolit ad invidiam adducere poſſit. In quibus Logicus ipſe, & ſatis oculatus, tamen ex nimio contradicendi ſtudio non modo contra regulas vulgatas, ſed, quod miremini, contra ſuas etiam ſæpiſſime peccat, ea maxime pro exploratis ponens, quæ in quæſtione ſunt. 4.Sunt qui in eo reprehendant, quod Criticam, & Logicam duplici volumine explicarit: quod tamen alii viri docti laudarunt, maxime qui ejus mentem penitus perſpexerunt. Quæ ſi demas, non temere aliquem ex recentioribus cum Clericio conferas.

Idem pæne inſtitutum tenuit *Mariotte* Gallus, vir doctus ſane, & ſcriptis ſuis Phyſicis orbi litterario bene notus. Logicam hic Gallice edidit anno CIƆIƆCLXXVIII. h. t. *Eſſai de Logique*, h.e. *Tentamen Logicum*: quam in duas partes diviſit. In prima parte propoſitiones quædam continentur vel evidentes, vel certæ, quæ vel regulas oſtendunt recte ratiocinandi, vel ſunt veluti baſes, in quibus Phyſica, & Moralis diſciplina fundatur. In altera via ſternitur, cujus ope ex prædictis propoſitionibus aliæ colligantur, quibus ſcientiæ augeantur, & inluſtrentur. Ac primum de modo res clare diſputandi explicat. Deinde docet, quo pacto principia inveniantur, quibus propoſitiones dubiæ confirmentur. Ad hæc de modo argumentationes componendi. Poſtremo loco de ſophiſmatis, & errorum cauſſis pertractat.

Quædam in homine celebrantur. 1. Studium Eclecticam logicam poliendi. 2.Quod breviter, & clare ſenſa ſua exponat. 3.Quod Geometrica methodo ea contexat. 4.Quod Logicam non nuda contemplatione definiat, ſed ad uſum convertat, ac utilitatem diſciplinarum 5.Quod exemplis nimis multis res, quas tangit, inluſtret.

Subac-

Subaccuſatur tamen multis de cauſſis. 1. Logicam ſuam ad Phyſicam inluſtrandam tantum conformat. 2. De veritate Probabili, & arte Critica non agit. 3. Non docet quo modo veritatem certam in omnibus perſequamur. 4. Nec etiam modum tangit veritatem cum aliis communicandi. 5. Sæpiſſime exemplis e ſublimiori & intricatiori Matheſi ductis res involvit magis quam explicat: nec id ſolum, ſed etiam addit problemata quædam Phyſica explicatu difficilia, idque magno tironum incommodo. 6. Viam recte ratiocinationes fabricandi confuſe ſatis pertractat. 7. Errorum cauſſas exponens, eas, quæ a ſenſibus oriuntur, enumerat tantum, ceteras ne tangit quidem. In iis autem exponendis adjungit quædam, quæ cum puriori Phyſica non cohærent.

Quod in Anglia Lockius, in Belgio, ac in Gallia Clercius, & Mariotte, id ipſum in Germania viri clariſſimi hoc ſæculo præſtiterunt, ut inducendæ, & confirmandæ Eclecticæ philoſophiæ, Logicæ præſertim, operam navarent. Ac primum *Chriſtianus Thomaſius* vir doctiſſimus, qui anno CIↃIↃCCXXVIII. Halæ denatus eſt, edita *Introductione ad Philoſophiam Aulicam* anno CIↃIↃCLXXXVIII. Logicam a nævis & erroribus, quibus eam Scholaſtici, vel Carteſiani infuſcaverant, liberavit: atque a ſervitute, quam ſervivérat, in libertatem vindicavit. Quod illi feliciter ſucceſſit. Itaque multa egregia docet: niſi quod in hiſtoria Philoſophica interdum cæſpitat.

Deinde vulgavit *Introductionem in Philoſophiam Rationalem*, maxime ex Recentioribus collectam: in qua planam ſe, ſine ſyllogiſtica, cogitandi, & ratiocinandi prudentiam ad verum inveniendum tradere profitetur: atque inter logicam Carteſianam, Peripateticam, & Epicuream medium tenuiſſe præ ſe fert. Cui addidit demum *Praxin Philoſophiæ Rationalis*: in qua de methodo & inveniendæ, & communicandæ veritatis explicat. Sane inluſtris auctor, qui in omni varietate eruditionis excellebat, ea tradit, quæ Logicæ poliendæ, & augendæ opitulari poſſunt: & multa tum nova, tum nove dicta ſcite & convenienter adjungit: & ſyſtema quoddam Logicæ novum condit. Videtur tamen doctorum potius, quam tironum, gratia hujuſmodi libros compoſuiſſe. Adtamen libere philoſophandi ſtudium vehementer accendit.

Tho-

Thomaſio jungo *Andream Rudigerum* Germanum, de-
functum anno CIↃIↃCCXXXI. Hic initio noſtri ſæculi edidit
Philoſophiam Syntheticam: ubi multorum errata detexit, &
confutavit. Deinde libellum *de Senſu Veri, & Falſi*: in quo
artem Logicam nova methodo explanavit, & ſe primum o-
mnium ratiocinationem *Mathematicam*, & *Philoſophicam* ac-
curatiſſime diſtinxiſſe præ ſe fert.

Negare non poſſumus, *Rudigerum* eſſe virum doctum,
acutum, & qui multa utilia, & nova in hoc libro expoſuit,
quæ alibi difficulter quæſiveris. Tamen ſi quid judicare poſ-
ſumus, exiſtimamus, eum tironibus parum prodeſſe: doctis
eſſe utilem, qui certa ab incertis valeant ſeparare. Nam il-
lud novandi ſtudium, & a trita via recedendi, quo *Rudige-
rus* agebatur; quin obſcuram diſputationem faciat, & homi-
nem fundere ineptias cogat ſæpiſſime, fieri non poteſt. Quod
ipſum in Rudigero notamus: qui ea de cauſſa in ſingulis Phi-
loſophiæ editionibus & ſententias, & viam ratiocinandi ſæ-
pe mutavit, ſed meliora non dedit. [1]

Idem judicium facio de *Joan. Jac. Syrbio*, qui & *Inſtitu-
tiones Philoſophiæ Rationalis Eclecticæ*, & *Synopſim Philo-
ſophiæ Rationalis* divulgavit Jenæ CIↃIↃCCXX. in quibus
Logicam, & Metaphyſicam luculenter pertractat. Idem de
Nicolao Hieronymo Gundlingio, qui edidit *Viam ad Veri-
tatem Logicam, Ethicam, & Juris Nat.* Idem de *Joanne
Franciſco Buddeo*, qui anno CIↃ IↃCCIII. Halæ emiſit *Inſtru-
mentalis Philoſophiæ Elementa*, in quibus de invenienda, in-
terpretanda, & tradenda veritate breviter, ſed accurate di-
ſputat. Idem de ceteris, qui per id tempus floruerunt, &
ſcriptis ſuis aliquod ſibi nomen fecerunt. Hi enim homines,
ut ingenio, judicio, ac doctrina Philoſophica pollerent, &
philoſophiam Eclecticam in Germania mirandum in modum
amplificarent; tamen cum ſibi propoſuiſſent nova ſyſtemata
condere; ea aliquando obtruſerunt, quæ nullius ſunt uſus:
& Lectorem non tironem, ſed in veterum lectione haud pa-
rum exercitatum, requirunt: quamquam in his moderatior
multo ceteris, immo & utilior ſit *Buddeus*.

Hos ſequitur *Chriſtianus Wolfius* Germanus, magnum
nomen.

---

[1] *Alia eruditorum judicia habes in* Hiſt. Litter. noſtræ
ætatis P. VI. art.2.

nomen. Scripſit Logicam Germanica lingua: quæ in Gallicum, & Italicum ſermonem translata eſt: & quam plurimis in locis auctam, & emendatam poſtea Latinam fecit. Profecto *Wolfius* eſt vir ſubtiliſſimus, & ingenioſi auctor ſyſtematis. Quod vero ad Logicam adtinet, hæc in eo celebrantur.

1. Nemo homo accuratiores vocabulorum definitiones dedit. 2. Nemo veritates acutius detexit. 3. Nemo clarius demonſtravit, & methodo, quæ ad Mathematicam magis accedat.

Reprehenditur tamen his nominibus. 1. Artem inveniendi, & ſcientiam probabilium a Logica ſeparavit: Criticam perfectam non dedit. 2. Minutarum ac inutilium rerum demonſtrationes fuſe conglutinavit. 3. Exemplis e gravioribus diſciplinis ſumtis ſententias ſuas confirmat: quod tantum abeſt ut inluſtret, ut res potius obſcuret. 4. Ex nimio Algebræ ſtudio barbaras voces, & barbare conformatas in Logicam introduxit. 5. Eodem vitio laborat, quo reliqui, qui Mathematicis ſtudiis nimium ſunt addicti, videlicet ea methodo, & eo ſermone uti, qui ab uſu familiari hominum alienus eſt: adeo ut ad imbuendos tirones prorſus inutilis videatur. 6. Potius in vocabulis, quam in cogitationibus regendis, operam conſumſit. Logica vero vulgata lingua conſcripta multo, mea quidem ſententia, inſtituendis tironibus eſt accommodatior. Quod idem de inmenſa illa ſerie Wolfianorum judicium faciendum eſt. Niſi quod recentiſſimi quique, maxime, qui Gallice ſcripſerunt, veluti *Joannes des Champs*, non breviores modo, ſed clariores magiſtro ſunt.

Poſtremo *Joannes Petrus de Croſa* nominandus eſt, qui Gallice Logicam ſcripſit h. t. *Syſteme de Reflexions*, anno CIƆIƆCCXII. quam deinde Latine edidit caſtigatam. Hic auctor laudem habet, quod omnia, quæ ad Logicam, & Criticam requiruntur, diſputaverit. Arguitur tamen 1. Quod plurimis verbis res admodum claras explicat: ſæpe eadem repetit. 2. Quod multa inutilia adjungit, quæ negotium obſcurant. 3. Quod ſenſa ſua, quo eruditus videatur, adfectatis periodis obvolvit: adeo etiam Latine ſcientibus eſt obſcurus, nec patienter legi poteſt. Quare provectioribus, non tironibus, accommodatum eſſe cenſemus.

Non numero hoc loco eos, qui ſibi perſuaſere, præcepta Logices ex principiis Mathematicis eſſe ducenda: & ad id

Digitized by Google

id conficiendum libros non nullos ediderunt : quorum in numero ſunt *Tſchirnauſenius*, *Leibnizius*, aliique. Satis enim exploratum eſt omnibus, qui de his judicare poſſunt, hujuſmodi homines, etiamſi acumine, & eruditione recondita valerent, multaque meditatione eſſent ſubacti; nihilominus a præjudicatis opinionibus ſuis in hanc ſententiam fuiſſe inpulſos: atque ex nimio Matheſis amore exiſtimaſſe, experientia ipſa refragante, non niſi ex Mathematicis principiis ad Philoſophicas diſciplinas, immo ad omnes vitæ partes lucem derivari poſſe: nec niſi ea methodo adjutum poſſe hominem res, ut ſunt, percipere. Quibus ego poſſum alios opponere hiſce litteris bene eruditos, & anticipatis judiciis vacuos, qui e contrario ſentiunt, & nimiam religionem illorum exagitant.

Ac de Logica quidem ab initio uſque ad noſtra tempora hucuſque. Ex quo fit notum, quibus illa gradibus a ſumma humilitate ad apicem illum, in quo eam regnare demiramur, pervenerit. Nobis hæc pauca adnotaſſe ſatis fuerit. Plures minorum gentium Logicos nominare poſſemus: [1] ſed propoſiti memores finem facimus diſputandi. [2] Poſtulamus autem ab iis, qui hæc in manus ſument, ut viris litteratiſſimis, quos prætereuntes nominavimus, vel brevitatis cauſſa omiſimus, eruditionis, & ingenii laudem, vel nobis monentibus, adtribuant.

Unum prætermittere non poſſumus, quin Adoleſcentes moneamus, nimirum plures eorum, quos laudavimus, ſcriptores, & non nihil adjumenti Logicæ diſciplinæ adtuliſſe confirmavimus, eſſe Hæreticos: nec niſi, ſi per leges licuerit, idque caute, legendos eſſe. Nec tamen ægre nos eorum lectione caremus. Nam quidquid iidem boni cogitarunt, id viri

[1] *Legatur Stollius, Walchius, Struvius, alii, qui recentiores Logicos fuſe percenſent.*

[2] *Propoſitum nobis fuit, ab Eclecticis, qui adhuc in vivis ſunt, cenſendis & examinandis, quoad ejus fieri potuit, abſtinere: cum quia ex iis, quæ de anteſignanis diximus, facile judicium fieri poteſt; pauca enim, ut mihi videtur quidem, mutarunt: tum etiam ne aliquid aut gratiæ, aut ſimultati dare videremur. Rectius, & incorruptius poſteri judicabunt.*

viri non nulli Catholici ſcriptis ſuis admiſcuerunt. Nos tamen unoſquoſque nominavimus, primo, ut Logicæ hiſtoriam non mutilam texeremus: deinde, ut viris doctis, quibus tantum eſſet otii, ut lucubrationes noſtras pervolverent, fidem noſtram probaremus, ea auctoribus ſuis vindicantes, a quibus accepimus.

Cum hæc formis æneis vellem deſcribere, quæ aliquot ante annis conſcripſeram, forte quadam legi artem Logicam viri doctiſſimi Antonii Genuenſis, in Neapolitana academia profeſſoris Philoſophiæ, quam ipſe haud ita pridem diſcipulorum commodo vulgavit. Doleo me hominis Logicam antea non vidiſſe: multo enim labore me levaſſet, quem quidem exanclavi rebus quibuſdam examinandis: quippe qui legendis illius libris, duo, quæ nobis exciderant, ex ipſius ſententia emendavimus.

Ego vero & amo Genuenſem, propterea quia ob animi dotes dignus eſt qui ametur: & hoc nomine præſertim, quod iiſdem fere opinionibus, eadem philoſophandi via uterque utimur. Nam cum ego Genuenſem ad loquendum de recentioribus ſtudiis aliquando provocarem, adeo conſentientem ſemper habui, ut non duo Philoſophi diſputantes, ſed eadem mens in duobus corporibus ratiocinans eſſe videremur. Unum illud intererat, quod ego libentiſſime hominem audiebam, quippe qui judicandi acie, ac doctrina plurimum valebat. Ille vero auditorem adtentiſſimum me habebat, doctorem non item. Et quamvis aliquando me laudaret, id ego hominis amori, & humanitati, non merito meo accepłum referebam.

Cauſſam vero conſenſus in philoſophando, ſi quæritis a me, Adoleſcentes humaniſſimi, non dicam: niſi illud eſt, quod eoſdem pæne libros legimus, idque libero judicio: nec ut omnia, quæ in iis continentur, ſi Catholica decreta ſepares, vera eſſe judicemus, neceſſitate ulla cogimur. Quod ni ab eodem fonte biberemus ambo, ac eodem animo eſſemus comparati, qui fieri poſſet, ut tanto conſenſu diſputaremus? Sed de his alias: redeo ad Logicam. Quamvis Genuenſis novas ſententias, quæ illius eſt modeſtia, & amor veritatis, auditoribus ſuis obtrudere noluerit; tamen tam acri judicio ſua legit, eoque ordine, quæ cogitavit, expoſuit; ut in eorum numero, qui de arte Logica præclare ſunt meriti, ponendus ſit.

ALOY-

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER SECUNDUS

DE

NATURA, ET NECESSITATE LOGICAE.

CAPUT I.

Quibus partibus conſtet animal ratiocinans: & quae ſedes animi.

Corpore, & ſpiritu conſtat hoc animans, quem vocamus *Hominem*. Nihil magis obvium, nihil in familiari ſermone frequentius: uſque adeo ut & bajulus in trivio, & anicula ad focum, & puerulus in ſinu matris hiſce vocabulis utuntur. Veruntamen expeditum non eſt, quid ſit *corpus*, quid *ſpiritus*: immo non ii modo, qui ineruditi ſunt, ſed eorum, qui litteris dant operam, & Philoſophi nomen expetunt, plerique, ſi mentiri nolunt, fateri debent, nihil ſe præter auditum habere. Pauci ſiquidem ſunt, qui rem expenderint, atque ſine ullo præjudicio, quid iſtud præferat, examinarint. Nos vero totam hanc diſputationem Phyſiologis reſervamus intactam: & hanc in præſentia amplectimur notionem, quæ hominem parum exercitatum requirit:

C nec

Digitized by Google

nec ex Metaphyſicorum officina , ſed ex horumce ſermone ; qui res libero judicio expendunt , rem iſtam finiemus .

Igitur id vocamus *corpus* , quod tres habet dimenſiones, longitudinem , latitudinem , altitudinem , & inſuper introductioni alterius corporis , ſeu penetrationi undique repugnat . Aliter , & ad puerorum intelligentiam accommodatius , *corpus* eſt , quod in homine videtur : quod colorem habet , & molem , vel caro , vel os , vel capillus , vel unguis , vel aliud ſit . Quidquid ergo & videri , & tangi poteſt , eſt *corpus* .

Contra vero *ſpiritus* eſt , id , quod in homine eſt, & corpus non eſt ; nec ab ullo videtur : ſentitur tamen eſſe , ex rebus , quas efficit ; quæ multæ ſunt , & conſpicuæ .

Etenim experimur eſſe in nobis rem aliquam , quæ cognoſcit , & vult . Nam & nos , & amicos , ceteraque , quæ extra nos ſunt , cognoſcimus omnia : & de hoc tam ſumus perſuaſi , quam qui maxime . Præterea , experimur nos multa velle , ac nolle . Nam & bona amicis optamus , & nobiſmet ipſis bene cupimus : etiam illud , membra noſtra pro lubito noſtro torquemus . Etenim certo ſcio, me brachium movere , ſi volo : ſi vero nolo , non movere : idque tam facile , quam hæc dico . Proinde eſt in me aliquid , quod præeſt machinationi huic , eamque regit & moderatur .

Viciſſim & corpus noſtrum ſi appulſu externi corporis adficitur voluptate , aut dolore , id ope organorum machinationis noſtræ , quos *ſenſus* vocant , animus ſentit . e g. Si ſcalpas digito femur , vel humerum , tum etiam ſi ignem cuticulæ admoveas [modo paralyſi non ſis adfectus] hæc corporis adfectio ab animo ſentitur .

Sic alternis ſe habent . Nam & corpus menti obtemperat : eaque , quæ illa imperat , exequitur : & viciſſim animus quidquid ſenſuum ope percipitur , ſentit ipſe , id eſt ſentiendo intelligit . Quod ipſum , alter ab altero moveri & pendere , illud eſt , quod vocatur complexio animi , & corporis . [1] Itaque quidquid illud ſit , quod intelligit , & vult,

[de

---

[1] *De complexione animi & corporis diſputatum eſt vehementer a philoſophis Recentioribus , quorum ſententias alio loco exponemus . In præſentia nobis ſatis eſt dicere , hanc corpo-*

[de quo alio loco erit dicendum] illud certum eſt, eſſe in homine rem aliquam, quæ cognoſcit, & vult, quem vocamus *animum*. [1]

Diſputant acriter Philoſophi de eo, *quanam in parte humani corporis poſitum illud ſit, quem animum nominamus*: eaque diſputatio jam ab antiquo tempore magnorum hominum ingenia maceravit.

Pythagoras [2] & Plato [3] in capite poſuere. Strato in ſuperciliorum intervallo. [4] Parmenides [5] Democritus [6] Epicurus [7] in medio pectore. Diogenes Apolloniates in arterioſo cordis ventriculo. [8] Ariſtoteles [9] vel in corde, vel in cerebro, vel alia media corporis parte animi ſedem eſſe dixit. [10] Alii alio loco collocarunt.

Peripatetici vero, id eſt Scholaſtici, ſaltim ab XIII. Chriſtiani nominis ſæculo, animum in toto corpore eſſe contendunt. Moventur talibus argumentis. Primo, quia quamcumque corporis partem tangamus, animus ſentit: quod eſt ſignum, eum ibi eſſe. Deinde, quia intelligi non poteſt, quo pacto animus ſit *forma ſubſtantialis* corporis humani, id eſt, ſit id, quod corpus regit, niſi totum corpus occupet. Poſtremo, quia concilium Viennenſe, & Lateranenſe V. finiunt, animum noſtrum eſſe *formam* corporis humani. Quæ tria explicari non poſſunt, niſi animus in toto corpore ſit.

corporis ab animo, & viciſſim animi a corpore pendentiam, quæ omnibus certa & perſpicua eſt, eam ipſam, quidquid tamdem illa ſit [nemo enim id umquam explicabit] & eſſe, & vocari conjunctionem, ſeu unionem animi & corporis.

[1] Mens, animus, anima rationalis, ſpiritus, intellectus, & *hujus generis alia hoc loco quaſi homonyma uſurpantur: & ſignificant rem*, quæ in homine cognoſcit, & libere vult.

[2] *Laert.* de Placit. Philoſ. L. VIII. ſ. 30.

[3] *Cicero* Tuſcul. L. I. c. 10.

[4] *Plutarch.* de Placit. Phil. L. IIII. c. 5.

[5] *Idem* ibid. [6] *Idem* ibid. c. 4.

[7] *Lucretius*, L. III. v. 441. [8] *Plutarch.* ibid. c. 5.

[9] „ *Neceſſe eſt in medio moventis eſſe principium animæ.* „ *Ariſt.* de Motu Animal. c. 8. & 9.

[10] *Hi omnes* animam *nominant: ſed an idem mente intelligant ac deſignent, an aliter, exploratum non eſt.*

Digitized by Google

Verum non opus eſt hujuſmodi rationes ad Lydium lapidem revocare: nemo enim talibus argumentis cogi poteſt ut cenſeat, animam per totum corpus eſſe diſſitam. [1] Quidquid dicant illi, qui Ariſtotelis, & Dicæarchi ſententias,

---

[1] *Concilium Viennenſe ſub Clemente V. an. 1311. damnavit veterem Ariſtot. ſent. tributam Petro Joanni Olivæ Fratri Minoritæ.* [*Wadingus* Annal. Minor. *an.* 1278. *&* 1297. *ab invidis confictam fuiſſe refert*] *Nempe Ariſtoteles dicebat:* Animam ſentientem, & cogitantem, ſeu *intellectum patientem*, eſſe partem conſtituentem, & eſſentialem, & formam hominis: Animam vero intelligentem, ſeu *intellectum agentem*, non eſſe partem conſtituentem, eſſentialem, & formam hominis, quæ eum eſſentialiter diſtinguat a beſtiis; ſed foris advenire, & eſſe reipſa ſeparatam ab homine, ſed illi adſiſtentem, & conjunctam intellectui patienti per imagines phantaſiæ &c. Propterea non eſſe formam hominis. *Quod etiam Alexandro Aphrodiſienſi, Averroeſio, & aliis Peripateticis placuerat.* [*vide Conimbric.* de Anima L. II. c. 1. q. 7.] *Concilium autem, duos uno verbo errores complectens, definit*, Animam intellectivam eſſe formam hominis: *id eſt, eſſe partem conſtituentem, & eſſentialem hominis. An vero ſit etiam forma* informans corpus *eo ſenſu, quo Scholaſtici accipiunt, nuſquam dicit Concilium.* Bail. Concil. Tom. I. p. 337.

Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X. an. 1513. ſeſs. 8. confirmavit Viennenſe, & diſtinctius duas illas ſententias damnavit. 1. Animam humanam [*intellectum patientem*] eſſe formam hominis, ſed eſſe mortalem, 2. Animam intellectivam [*intellectum agentem*] eſſe inmortalem, ſed unicam in cunctis hominibus: *nempe*, intelligentiam univerſalem orbis Terræ. *Hæ duæ ſent. ſæculo* XV. *&* XVI. *invaluerant in Italia, ut refert Ficinus* præfat. in Plotinum: *ambaſque, vel alterutram defendebant Achillinus, Pomponatius, Fortius, Cæſalpinus, Cremoninus, aliique Rigido-Peripatetici. Qui, ut invidiam declinarent, addebant, verum id eſſe ſecundum Ariſt. non tamen ſecundum fidem Catholicam.* [*Pomponat.* de Fato L. III. c. 1. & de Inmort. Anim. c. 15.] *His erroribus tantum occurrit Concilium, ut ex primis decreti verbis apertum eſt: nec de alia quæſtione fuit ſermo. Vid. Bail. l. c. & Labbæus* ad Concil. Later. V.

tias, alio veſtitu adornatas, in ſcholas introducere conati ſunt. Sed de his alio loco.

Elapſo ſæculo Carteſius animum in glandula *pineali*, quæ in ſuperiori cerebri parte reperitur, [1] reſidere exiſtimavit. [2] Verum nec id aliis multis perſuadere potuit: propterea quia Anatome oſtendit, alteri uſui datam eſſe eam glandulam: quæ in aliquibus vitiata fuerit, in aliis petra erat, [3] defuerit in quibuſdam: qui omnes tamen, dum viverent, perbelle intelligebant. Alii alias cerebri partes illi dederunt. [4]

Ego vero exiſtimo, hujuſmodi rem ex iis eſſe, quæ a nobis explicari non poſſunt. Oporteret enim, ut ideam claram haberemus animi noſtri. Tum ut clare perciperemus, quo modo intelligit, & corpori conjunctus eſt, idque moderatur. Præterea, cognoſcenda erat machinatio humana, cerebri præſertim. Quæ adeo ſunt obſcura & involuta, ut, quid pro certo adfirmemus, non habeamus.

Tantum dicimus, veriſimile eſſe, animum exſiſtere in capite: propterea quod etiamſi membra aliqua cultro ſecentur, nihilo ſecius homo intelligit. Item ſi nervus, vel arteria vehementer ligatur, & in ea parte, quæ eſt infra nexum, tangitur, homo non ſentit: ſi ſupra nexum, ſentit. Ut videatur dicendum, niſi in capite, animum nec ſentire, nec intelligere: [5] proinde in eo eſſe.

Illud obſcurius, an in toto cerebro, an in aliqua ſui parte, tamquam in arce, animus collocari debeat. Philoſophi plerumque in hoc conveniunt, debere unam partem conſtitui, quæ ſedes ſit animi, & veluti ſenſuum origo, ſeu internus ſenſus. Veriſimile autem eſt, in *corpore calloſo* ſedem eſſe animi. Nam, ut experimentis nimis multis conſtat, etiamſi reliquæ cerebri partes, ut *ſubſtantia corticalis*,

[1] *Juncta illa eſt inferiori parti utriuſque* thalami *nervorum opticorum*, *ſupra* tuberculos quadrigemellos.

[2] De Adffect. Part. I. art.31.

[3] *Kingius* Tranſ. Phil. Rep. des Lettr. An. 1687. p.39.

[4] *Williſius*, *Vieuſſenius*. *Roſſetus*. *conf.* Boerhaavius Prælect. Academ. Tom. IIII. §. 569. & *ibi Haller*.

[5] *Boerhaav.* Prælect. Acad. T. II. § 284. & *ibi Haller p. m.* 595. & 602. *ſeqq. qui adferunt exempla*.

ſis, ut *medullaris*, ut *teſtes*, ut *corpora ſtriata*, ut *nates*, ut *glandula pinealis*, ceteræ vel morbo, vel alia de cauſa male fuerint adfectæ, tamen infirmi bene percipiebant, & ratiocinabantur, ac ſenſibus utebantur: immo eorum non nulli a morbo ſunt liberati. Contra in iis ægris, in quibus *corpus calloſum* vel diminutum, vel compreſſum, vel alia de cauſa vitiatum repertum eſt, ægri vel memoria laborarunt, vel dementes evaſerunt, vel uſum aliquorum ſenſuum perdiderunt; eumque amoto impedimento interdum recuperarunt. [1] Ex quo veriſimile eſt, animum eo loco eſſe, ubi actiones ſuas, nimirum ſenſum, & intelligentiam, manifeſtat. Et de conjecturis hucuſque. [2]

CAPUT II.

Quid faciat mens hominis, ejuſque operationum diverſitas.

PORRO plurima fortaſſe agit animus dum eſt in corpore, quæ nos omnino ignoramus: quippe qui nec ipſam animi naturam & proprietates clare & diſtincte intelligimus. Tantum ſcimus, animum noſtrum peculiare hoc habere, ut intelligat, ac intelligendo alias & alias cognitiones eliciat. Has in duas veluti claſſes diſpertimus, *perceptionum*, & *judiciorum*.

Nimirum, cum mens objectam rem præſentem ſibi facit, eam.

[1] *La Peyronie* in Comm. Acad. Scient. Pariſ. *An.* 1741. *Conſ. Boerhaav.* Prælect. Acad. T. IIII. §. 568. & ibi *Haller pag. m.* 425. *& ſeqq.*

[2] *Incerta hæc ſunt omnia & obſcura: neque enim ex vulneribus cerebri, neque ex morbis, neque ex fatuorum ſectionibus aliquid certo cognoſci potuit. Nam primum nervorum cum arteriis in cerebro conjunctio [hæc ſedes animi eſſe non nullis videtur] non uno tantum loco conſpicitur. Deinde morbus certæ ſedis nervorum modo hunc, modo alium ſenſum, modo omnes, modo motus ſupprimit. Præterea magna vulnera in cerebro ſine ſenſuum detrimento oſtendunt, late patere* ſenſorium commune, *& etiam diminutum ſufficere.* Boerh. *l.c. T.IIII. §.*570. *&* 574. *& T.II.§.*296. *& ibi* Haller *p.*672.

tamque percipit, quin ad aliam referat; e. g. cum *ſolem*, aut *equum* cognoſcit; hæc cognitio vocatur *perceptio*. [1] Cum vero unum ad aliud refert, & percipit convenire alteri, an non; e. g. cum dicit, *Sol eſt lucidus*, *Sol non eſt equus*; hæc cognitio eſt *judicium*.

Quid autem reapſe ſit *idea*, quid *perceptio* [idem de *judicio* dicendum] magna diſſenſio eſt. Sunt, qui *ideas*, & *perceptiones* idem eſſe cenſeant, & dicant, conſiſtere in motibus ſenſuum, & cerebri. [2] Sunt, qui *ideas*, & *perceptiones* eamdem mentis cognitionem dicant: ita tamen, ut eadem cognitio dum ad mentem fertur, quæ percipit; appelletur *perceptio*: dum ad objectam rem, cujus eſt imago, & quæ percipitur; *idea*. [3] Alii omnino *perceptiones* ab *ideis* ſejungunt, & putant, Deum humanæ menti ideas rerum inprimere. [4] Poſtremo alii ideas *materiales* ajunt, eſſe adfectiones ſenſuum, & cerebri: *intellectuales* vero, quæ *materialibus* reſpondent, eſſe perceptiones *materialium*. [5] Reliquis ſententiis ſuperſedemus.

In tanta doctiſſimorum hominum diſſenſione, aliquid certi velle proferre, arrogantis eſſet. Ne tamen de verbis contendamus, ut plerique faciunt, certa & perſpicua ab incertis & involutis ſeparabimus.

Principio certum eſt, motiones ſenſuum cerebrum adficere, & illi aliquid inprimere, ex quo mens percipit res, quæ ſenſus pulſant. Id ita ſe habere, vel ex hoc aperte efficitur,

[1] Idea *eſt imago objecti, quæ menti meæ præſens eſt cum aliquid percipio: vel ſit imago rei tantum cognitæ, ut* equi; *vel quæ animum adficit, ut* doloris, *&* voluptatis. *Verum Logici* ideam, *&* perceptionem *confundere ſolent, quia de utraque eadem præcepta traduntur*.

[2] *Hobbeſius*, Leviathane P. I. cap. 3. 4. & in Elem. Phil. c. 25. art. 2. *& alibi*. *Cui addi poteſt Lucretius, ceteri.*

[3] *Arnaldus*, de Veris & falſis ideis: & *Lockius*, de Mente Human. Præfat. & L. II. c. 8. §. 7. 8.

[4] *Malebranchius*, de Inquir. Verit. L. III. *Hanc Impreſſionem tamen alii alio modo exponunt*.

[5] *Wolfius, a quo non diſſentiunt Scholaſtici: qui tamen ideam* materialem *vocant* phantaſma expreſſum: *&* ſpiritalem *vocant* intellectionem.

citur, quod morbus capitis acutiſſimus, vel cranii fractura; vel ejuſmodi morbi, qui in cerebro & capite evenerunt, interdum memoriam rerum delerunt omnem, interdum vero rerum intelligentiam abſtulerunt. [1] Quod etiam in dementibus & veſanis evenit, qui cerebri vitio incondite & inconſulte loquuntur. Cumque animus nec ægreſcat, nec mutetur; relinquitur, aliquid in cerebro inprimi, ex quo nos rerum formas & ideas percipimus. Duplex igitur ex ſenſu oritur adfectio: altera cerebri, quam vocare poſſumus *ideam materialem*: altera mentis, quæ eſt ipſa *cognitio*, *perceptio*, *idea ſpiritalis*.

Quale autem illud ſit, quod in cerebro; quale etiam illud, quod in mente ſit; id eſt, quo pacto mens objecta corpora ſenſibus percipiat; nemo homo intelligit, nec expediet. [2] Unum certo ſcimus, utrumque reapſe fieri. Quod adtinet ad vocabula *idea*, & *perceptio*, utroque ſignificamus eamdem mentis actionem, ſed comparate: nam dum cognitionem referimus ad mentem, quæ eam elicit, vocamus *perceptionem*: dum ad rem, ex qua remote profluit, & cujus imaginem offert, *ideam*.

Omnino autem certum eſt, humanam mentem has duas cognitiones elicere, natura, ut ita dicam, differentes: nec aliud facere, quam has notiones alio & alio modo copulare. [3] Quare ſi cognitionum naturam, & differentiam conſide-

---

[1] *Confer. Montagne*, Eſſais *L.II. c.13. & Haller ad Boerhaav.* l. c. T. IIII. §.581. *qui plura exempla commemorant*.

[2] *Quanta in caligine & ignoratione de origine, ac natura idearum verſemur, oſtendunt evidenter tot graviſſimorum hominum tam variæ tamque diſcrepantes ſententiæ; in quibus, quid falſum ſit facilius, quam quid verum, dicere poſſumus. Qui autem rem liquido explicare voluerunt, nihil aliud fecerunt, niſi rem obſcurom ſatis & intricatam longo verborum ambitu reddere obſcuriorem: reapſe nos doctiores non fecerunt, ut alio loco probabimus. Quare, quæ certa experientia conſtant, ponenda ſunt: cetera iis, qui divinare amant, relinquenda.*

[3] *Eſt in eadem ſententia Ariſtoteles, qui duas tantum operationes mentis eſſe ait*, De Anima L.III. c.6.

ſideramus, duæ tantum ſunt mentis operationes, *percipere*, & *judicare*. Si varium earumdem uſum, quoque modo mens humana iis utatur, curioſius inveſtigamus; multo plures operationes mentis numerari poſſunt.

Nam animus noſter interdum plures ideas rerum longe differentium componit: ut cum humano capiti leoninum corpus, & alas pavonis adjungit, ac novum animal fingit. Hæc eſt alia mentis operatio.

Interdum e contrario ideam unam ab alia mens veluti disjungit: ut cum albitudinem parietis cogitamus, quin de pariete cogitemus: aut longitudinem ſpatii intelligimus, non ita vero materiam: aut cum de rerum numero loquimur, quin res numeratas memoremus. Eſt alia operatio longe diverſa.

Aliquando ab uno judicio ad aliud mens progreditur, & poſtea quam judicavit hoc modo: *Petrus eſt animans*: conſiderans rurſum, quid ſignificet illud *animans*, ſic colligit: *Petrus eſt vivens*, *Petrus eſt ſentiens*. Hæc operatio vocatur *diſcurſus*, & eſt quinta mentis operatio.

Aliquando judicia, ac ratiocinationes ordine ponit, quo facilius perſpiciat, an alia ex aliis deducantur. Hæc vocatur *methodus*, & eſt ſexta mentis operatio.

Aliquando poſtea quam in utramque partem diſputavit, nec plane intellexit, e qua parte ſtet veritas, dubitat, ſeu a judicando ſe continet. Hæc autem *dubitatio* eſt nova mentis operatio.

Aliquando mens ſe ipſam adtentius conſiderans, plane cognoſcit, ſe aliquid percipere. Hæc operatio vocatur *reflexio*, ſeu *conſcientia*.

Poſtremo, ut alia mittam, cum mens rem iterato percipit, & inſuper conſcia eſt, eamdem ſibi jampridem cognitam eſſe, hæc operatio vocatur *reminiſcentia*. Ex quo manifeſtum fit, plures, quam vulgares Logici ſuſpicantur, eſſe mentis operationes. [1]

Ca-

[1] *Probe memoria tenenda eſt poteſtas, ac diverſitas nominum, quæ facultates mentis ſignificant, & identidem in hac diſputatione occurrunt.* Phantaſia, *ſeu* imaginatio *eſt; vis illa mentis, qua res omnes corporea imagine expreſſas nobi*

bi

CAPUT III.

Quid ſenſerint Philoſophi de modo, quo mens humana rerum ideas adquirit: & quid veriſimilius.

AC ſane mens humana rerum omnium ideis perfunditur. Sed illud ſupereſt examinandum, illane inſitas ſibi, & ingenitas hujuſmodi ideas habeat, an ab externa cauſſa accipiat, & quomodo.

Atque illud extra controverſiam poſitum videtur, animum noſtrum non hoc habere, ut ſe ipſo ſit idea & perceptio rerum: nam ſi eſſet, omnes omnia intelligeremus, & ſemper, & eodem modo: quod ſecus eſt. Nam homines ſunt alii aliis acutiores: quidam vero ita hebetes, ut ſtipitem, non hominem, præferant: præterea plurimi ea ediſcunt, quæ neſciebant. Quæ plane conficiunt, ideas ab animo adquiri.

Ut vero exponant Philoſophi, quo pacto mens hujuſmodi ideas adquirat; multi multa dixere, quæ in præſentia pro merito expendere, nec lubet, nec vacat. Tantum, quæ ad id, quod quærimus, percipiendum viam ſternunt, delibabimus.

Plato, qui animos humanos per ſidera ſparſos eſſe putaſſet.

---

bis repræſentamus. Ingenium *eſt, mentis ſollertia in inveniendo & excogitando*. Judicium *eſt, facultas ſeligendi ea, quæ recta ſunt, iiſque pro rei dignitate utendi*. Memoria *eſt, facultas res iterato cognoſcendi, ita ut mens ſentiat, ſe id ante percepiſſe: cujus actus eſt* reminiſcentia.

Phantaſia *ab exercitatione non dependet, ſed natura omnibus ineſt*. Ingenium *partim a natura eſt, partim exercitatione comparatur*. Judicium *non niſi multa meditatione, & uſu doctiſſimorum Philoſophorum conſequi poteſt*. Memoria, *quod a cerebri temperamento pendeat, & ipſa exercitatione adquiritur, vel augetur*.

Et hinc perſpicuum eſt, cur illi, qui ingenio admodum valent, judicio plerumque non item. *Nam* Ingenium *in excogitando, & componendo occupatur: contra* Judicium *in ſeparando recta a non rectis: quæ longe inter ſe diſcrepant*.

taſſet, [1] adſeruit, rerum omnium ideas æternas eſſe, & innatas, ſeu ſingulis mentibus a Deo inpreſſas fuiſſe, in quibus ipſæ clariſſime omnia intuerentur. Poſtea vero cum mens neceſſitate quadam ad humanum corpus deſcendit, ideas illas omnes contagione corporis miſceri: nec niſi diuturna meditatione, & ſenſuum exercitio ordinem & claritatem recuperare, & ſui notitiam excitare. Hinc illud Platonis: *Nihil aliud eſt diſcere, niſi recordari*. [2]

Platonis ſententiam ſed emendatam ſuſcitavit Carteſius. [3] Cenſuit enim, animos creari a Deo quidem, cum corpori conjunguntur: ſed eodem tempore Deum illis inprimere ſemina quædam idearum, quæ, niſi a motibus ſenſuum excitentur, percipi non poſſint.

Carteſii ſententiam amplexati ſunt plures, ſed non eodem modo. Quidam exiſtimant, menti hoc datum divinitus, ut, motis ſenſibus, & cerebro, ideas generet. Contra quidam a Deo ideas creari dicunt, & animo inprimi ſenſuum gratia. Aliqui mentem in Deo, cui eſt *eſſentialiter* conjuncta, tamquam in imagine corpora videre putant. Alii res ſenſiles ſine ulla imagine a mente cognoſci defendunt. De quibus alias.

Sunt tamen Philoſophi cum veteres, tum recentiores, qui in contraria ſunt ſententia: & ideas omnes vel per ſenſus, vel meditatione, ex iis, quæ per ſenſus ingrediuntur, comparari dicunt: id tamen alia & alia ratione expediunt.

Principio Stoici innatas ideas negarunt, [4] & conſtanter adfirmarunt, nihil eſſe in mente, quod non per ſenſus accipiatur. Ariſtoteles autem cenſet, animam eſſe duplicem. Altera dicitur *intellectus patiens*, qui rerum omnium formas recipit: altera *intellectus agens*, ſeu cognoſcens, qui phantaſmata quodammodo inluſtrat ut cognoſcantur. [5] Porro

---

[1] In Timæo. [2] *Cicero*, Tuſcul. L.I. c.24.

[3] Medit.III. p.17. ac in Princ. Phil. Parte I. art.3.

[4] *Plutarch.* de Plac. L.IIII. c.11.

[5] *Quamvis Ariſtotelis verbis utantur Scholaſtici, tamen uterque intellectus in eorum ſententia eſt diverſus ab eo, quod ait Ariſtoteles, qui cenſet*: „ Intellectum patientem eſſe mor„ talem: agentem vero non eſſe partem hominis. „ L.III. de Anima c.5. & 6. *Vide me ſupra* c.1. in Nota de Concilio Vienn.

Porro intellectus natura talis eſt, ut nullam in ſe rerum ideam habeat inpreſſam; ſed ſit veluti tela, in qua imago nulla depicta eſt, ſed poſſunt omnia depingi. Exiſtimabat igitur, mentem non niſi a ſenſibus rerum omnium formas & imagines habere. Unde vulgatum illud Peripateticorum enunciatum: *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*. [1]

Lucretius vero putat, ex ipſis rebus objectis avolare ſimulacra quædam, quæ ſenſus ingrediuntur, & motus ſimiles in cerebro faciunt: quod ipſum eſt idea. [2]

Scholaſtici hoc modo rem explicant. Imago objectæ rei, ſeu ſpecies in ſenſus incurrens ſimul cum ſenſu generat ſenſionem. Senſio mittit ad phantaſiam ſpeciem quamdam ſui vicariam, quæ vocatur *phantaſma inpreſſum*. Phantaſia dum hanc recipit, producit *phantaſma expreſſum*, ſeu cognitionem materialem. Intellectus *agens* cum *phantaſmate* gignit *ſpeciem intelligibilem* ſpiritalem: quam intellectus *patiens* in ſe recipit, & tali præſidio generat cognitionem *ſpiritalem* objecti corporis, cujus ope cognoſcit illud.

Quod ſi nihil ſimile habet imago, quæ in phantaſia pingitur, cum illa, quæ in mente ſentitur; e.g. cum cogitamus *chimæram*, *& aureos flutus*, quæ per ſenſus non habentur, propterea quod non ſunt; tunc eodem modo ſe res habet. Nimirum intellectus, qui mirabilem conjungendi, & dividendi facultatem habet, duas illas ideas *hominis & belluæ*, *auri & flutuum* conjungit: proinde illa cognoſcit, & enunciat quaſi exſtarent.

Atque huic ſententiæ, quæ a ſenſibus omnia repetit, eodem pæne tempore, quo Carteſius pro Platonica inſtauranda laborabat, lucem plurimam adtulit Petrus Gaſſendus, eamque doctiſſime confirmavit. Sed omnium maxime Joannes Lockius fine ſuperioris ſæculi ideas innatas acerrimo ingenio profligavit: contendens, ab hoc duplici fonte, *ſenſu*, & *meditatione*, ideas omnes proficiſci.

Hæc philoſophandi ratio recentiſſimis Philoſophis adeo placuit, vix ut alia cum honore nominari poſſit. Ego vero, miſſis magnis nominibus Philoſophorum, ſic cenſeo, veriſimile

[1] *Ariſt*. de Anima III. c.5. & 8.

[2] De Rer. Nat. L. IIII. *initio*, *& præſertim* v.730. *& ſeqq*.

mile eſſe ideas omnes ortum a ſenſibus ducere. Moveor talibus argumentis.

I. Nam ſi, remotis omnibus præjudiciis, infantem examinamus, plane intelligemus, per ſenſuum feneſtras in illius animum ideas omnes primo inlabi: nec niſi multo poſt tempore, & grandiorem factum, ex iis, quæ ſenſuum ope accepit, ideas alias ratiocinando derivare.

Conſideremus ergo hominem infantem. Quid in eo mentis deprehendis? Ille vero præter ſenſum guſtus, & tactus, quibus frequentius utitur, indicium nullum facit intelligentiæ: ſtipitem diceres, an belluam? Jam vero fantem & balbutientem contemplemur. Quid tum? garrit continenter: *buas* ac *papas*, *mammas* & *tatas* dicit: nutrices & ejuſmodi alia nominat, & agnoſcit. Cur ita? quia centies in hora ad aures illi occinunt hiſce nominibus: digito res monſtrant: blanditiis, & bellariis, ut animadvertat, alliciunt: proinde cognoſcit. Quid mirum? canis etſi bellua frequenti adſpectu herum dignoſcit: cur non puer?

II. Quo vero intelligas, nullam notionem e ſinu ſuo educere puellum, ſed omnes ab objectis, quæ extra ſunt, accipere; vel hoc unum animadverte, puerulos nihil concupiſcere, aut loqui, niſi de iis, quæ auditu, viſu, ceteris denique ſenſibus perceperunt: in reliquis cæcutiunt prorſus. Decipiuntur facile, propterea quod ideas ſimulationis, infidelitatis non dum habent. Ut corpore, ſic mente progrediuntur. Quod argumentum ſatis magnum eſt cur dicamus, a ſenſibus primævas ideas ducere originem.

III. Hoc igitur modo rerum omnium, quæ in mundo ſunt, habentur perceptiones & ideæ: quas mens neſcio quo in loco conſervat, ut inde, cum opus fuerit, ſumat. Homines ſiquidem, ut experientia compertum habemus, non prius ratiocinantur, quam per ſenſus ideas rerum acceperunt: auditu præſertim, quo utuntur plurimum. Cum vel dum in cunis vagiunt, multa ad aures filiorum matres, multa nutrices vociferentur, & tam ſæpe repetant, ut prorſus fieri non poſſit, quin aliquando intelligant: meditationis veſtigium nullum apparet. Ex quo efficitur, animum infundi homini omnis ideæ ac notionis expertem: eſſeque veluti *tabulam raſam*, ut Peripateticorum verbis utar, in qua pingi multæ imagines poſſunt, nulla tamen picta eſt.

IIII. Ne-

IIII. Neque vero id mentis vitio, ſed idearum inopia uſuvenit. Nam quæ àpte pueruli acceperunt, tam clare intelligunt, quam homines faciunt. Puello ſiquidem lactenti, qui nihil dum loquitur, nec multa cognoſcit, perſuadere nulla arte poteris, *acetum eſſe lac*. Diſcernit profecto facillime unam ideam ab alia: nec ullo pacto induci poterit, ut acetum pro lacte ſugat: propterea quia adſiduo guſtandi uſu acceperat ideam claram ſaporis *lactis*. Quod ſi rerum ceterarum imagines illius animo objicerentur, profecto cognoſceret. Non cognoſcit, non igitur habet.

V. Adde huc, puellos omnia, quæ vident, mirari: tintinnabuli ſonitu, vel alterius rei, quæ tintinnat, valde commoveri, ac veluti in ecſtaſim rapi. Admiratio autem novitatis indicium eſt certum: miramur enim, quæ non vidimus: quæ vero quotidiana ſunt, prorſus contemnimus. Cumque pueri omnibus, etſi vulgatiſſimis, capiantur; fit conſequens, illos earum rerum ideas non habere.

VI. Præterea in puellis plerumque perceptio tantum eſt: judicium ſeu exiſtimatio aut nulla, aut prorſus exigua, id eſt, fluctuans & incerta. Quorum ſi cauſſam inveſtigamus, reperiemus eſſe, quia plurimis ideis rerum carent: nam judicium ſine ideis non habetur.

VII. Cum ergo dicimus, perveniſſe animum *ad uſum rationis*; non ita dicimus, quaſi animo nova adhibeatur facultas ratiocinandi: hæc namque eſt ipſamet natura mentis, ſine qua eſſe illa non poteſt. Hoc igitur vocamus *uſum rationis*; pervenire animum ad eum ſtatum, in quo tam multis abundat rerum ideis, ſenſibus adquiſitis, ut alias cum aliis conferre, ex iis vero alias deducere, & aliqua exercitatione derivare ſciat. Id tali exemplo perſpicuum fiet.

Fingamus hominem omnis artificii peritiſſimum, ſed inſtrumentis, quibus artem exerceat, deſtitutum. Quid illi deficit, ut artes ſuas tractet? nihil niſi inſtrumenta, & materia. Non aliter de animis hominum licet judicare. Creat Deus mentem intelligendi, & ratiocinandi artificem peritiſſimam: quia tamen non eam ſinit intelligere, niſi ex motu organorum machinationis noſtræ, quæ veluti feneſtellas animi eſſe voluit; hinc mens iſta ſupellectile carens, intelligere nihil poteſt. Maxime vero, dum temporis progreſſu hujuſmodi ideis ditatur, & expedita efficitur, cogitat & judicat,

dicat. Eſt enim judicium animi actio, qua intelligo e.g. ideam *viventis* convenire ideæ *Petri*, idque mecum reputo & conſtituo. Quid autem judicem, ſi nec *Petri*, nec *viventis* habeo ideas?

Quare cum videamus, nihil judicare infantes, nihil conſtituere: dum vero pueri ſunt, tum & dum ex pueris excedunt, ſenſim judicare de rebus, quas vel viſu, vel auditu habent; conſequitur, animum ideis caruiſſe: quibus demum, cum eas habet, ſcite utitur & perexpedite.

VIII. Neque vero puelli modo, ſed adoleſcentes, & provecti ætate per totum vitæ curſum rerum ideas accipiunt: nec niſi de iis, quæ per ſenſus acceperunt, aut ex acceptis collegerunt, loquuntur. Numquam audivi hominem, qui de rebus loqueretur, quas non ſenſuum exercitatione adquiſiverit. Illi ipſi, qui de rebus ſæpiſſime loquuntur, quæ nec eſſe, nec intelligi poſſunt; quique vocabulis utuntur plerumque, quibus vis nulla ſignificandi ſubjicitur; a magiſtris habuere, quæ dicunt: vel ex præceptorum inſtitutis commentando deduxerunt. Interroges, quonam modo iſta habuerint: audies reſpondentes, rerum initia a magiſtris, reliqua meditatione ſe eſſe commentatos. Ut addubitare non poſſimus, rem, ut ipſi fatentur, ſe habere.

VIIII. Illæ ipſæ ideæ, quæ, quod clariſſimæ ſunt, & omnibus perviæ, innatæ videntur, ſi rem adtentius conſideramus, eodem modo comparantur. Quid enim clarius, quam *ſe eſſe*, *ſe eſſe cogitantem*? tamen hujuſmodi ideæ non niſi poſt ſenſuum adſiduum uſum, & poſt multam meditationem adquiruntur. Nemo enim accurate cogitat, *ſe eſſe*, *ſe eſſe cogitantem*, niſi qui ſtudiis contritus eſt, atque in ea ætate, quæ meditationi eſt accommodata. Porro hac ætate tot jam per ſenſus ideas habuit, tot meditatione adquiſivit; ut ſi negat ex illis, quas acceperat, ejuſmodi ideam fluxiſſe, audiendus non ſit.

X. Atque, ut de me ipſo loquar, numquam mihi venit in mentem Philoſophice cogitare, *me eſſe*, & *cogitare*, niſi poſtea quam id in libris Philoſophorum legi; & ab aliis, qui docebant, accepi. Ceteri vero, qui in contrariam ſententiam diſputant, ſi verum fateri volunt, dicent aperte, ſe eodem prorſus modo hujuſmodi ideas habuiſſe.

XI. Omnino ergo duo ſunt fontes, ex quibus idea omnis pro-

profluit, *ſenſus*, & *meditatio*. Nam plurima uſu, & experientia adquirit homo: meditatione vero bene multa, & forſan majora, ex iis, quæ ſenſibus accepit, mens educit. Nam cum ideas, quas per ſenſus habuit, ſcrutatur, incredibile dictu eſt, quam multas ideas ex aliis ſeparet & promat: quot ſimul colligat, quamque differentes. Ad hæc duo principia humana omnis cognitio revocatur.

Verum humana mens ea condicione eſt, ut id ipſum, quod facit, frequentiſſime non advertat. Nam cum homines a tenera ætate adſueti ſint res quaſque aliorum mente judicare; atque ex diuturno cum iis, qui præjudiciis imbuti ſunt, uſu iiſdem erroribus irretiantur; exſiſtit & illud, ut non niſi pauciſſimi, qui forte quadam res libero judicio examinarunt, ea intelligant, quibus, ſi rem uti par erat meditarentur, adſentiri omnes deberent.

CAPUT IIII.

Aliis argumentis efficitur, ideas noſtras non eſſe innatas.

HOc ipſum in hac diſputatione fit manifeſtum. Nam qui de ideis innatis tanta animi contentione diſputant, ſic diſputant, ut, quid illi vocent *innatum*, non alii modo, ſed ne ipſi quidem plane intelligant: ita varii ſunt eorum explicandi modi. [1]

Ac primum ſi eſſe *innatum* ſignificat, *facultatem contemplan-*

[1] *Idearum innatarum patronos plane non intelligere, quid dicant; vel hoc nomine efficitur, quod tam varii ſunt eorum explicandi modi, ut vix duos conſentientes invenias. Carteſius quaſdam tantum facit innatas. Multo plures Henricus Morus. At Sylvanus Regiſius non niſi tres ponit innatas. Purchotius alio modo ſe explicat: alio & longe diverſo Leibnizius. Quid ceteros numerem? cum ipſum litterati norint, non modo in numero, ſed in definitione ideæ innatæ ſumme diſſentientes eſſe Philoſophos. Quod ſi recte philoſophari vellent, aut omnes facerent innatas, aut nullas. Nam qua data porta plurimæ ideæ ingrediuntur, eadem & reliquæ vel hoc, vel illo modo ingredi poſſunt.*

templandi formas objectorum, [1] erit quidem aliquid *innatum*: at id non eſt idea, ſed natura mentis. Si vero *innatum* denotat *cognitionem aliquam, quæ perpetuo adſit menti*, vel me tacente intelligitur, nullam eſſe ideam innatam. Nulla enim hujuſmodi cognitio perpetuo menti noſtræ obverſatur.

Unum ſupereſt, ut innatæ vocentur ideæ, *quæ nec ſenſibus, nec meditatione adquiruntur: ſed ſe ipſis interdum menti occurrunt*. Hujuſmodi autem ideas eſſe innatas, modo exſtarent, fatemur: exſtare vero, id Philoſophi ægre efficient.

Nam primum docere debent, idque firmiſſimis argumentis, idearum, quas adducunt, nullam homines a majoribus ſuis notitiam accepiſſe: deinde, nec ex iis, quæ per ſenſus habuerunt, comparari potuiſſe. At id communi experientiæ adverſatur. Nam cum pueruli vel a primo nativitatis tempore domeſticos audiant, ab iiſque ideas etiam abſtractas accipiant; deinde ad libros, & præceptores animum adjungant, qui eos plurimis imbuunt ideis; dubium non eſt, ab his fontibus ea deduci, quæ poſtea ſciunt. Res tali exemplo fiet clarior.

Fingamus hominem, qui a prima ætate non niſi cum muſicis verſatus, ſcite fidibus canere, vel fiſtula, vel tibia, vel cithara; vel aliud inſtrumentum muſicum dextere pulſare. Interrogatus tamen, a quo accepit, a nullo dicat, ſed natura eſſe muſicum. Quis illi credet? quis non dicet inſanum? Nimirum quia veriſimile non ſit, hunc a muſicis educatum, non ab illis, quæ callet, accepiſſe. Eodem modo de puello judicabimus. Cum enim a prima exſpiratione auræ vitalis alios audiat, qui rerum ideas inculcant, inepti ſimus ſi putemus, a ſe, non ab aliis, habuiſſe.

Id ipſum experientia confirmat. Nam qui inter feras nutriti fuere, aut nati ſurdi, & muti, caſu aliquo cum homini-

D

[1] „ *Carteſius ait, ideas innatas non eſſe aliquid diver-*
„ *ſum a facultate cogitandi, ſed earum cogitationum formas:*
„ *quæ cogitationes nec ab objectis externis, nec a voluntatis*
„ *determinatione procedunt; ſed a ſola facultate cogitandi.* „
Reſp. ad Art. 12. Programmatis Belgici, anno 1647.

minibus loqui didicerunt, [1] non modo nullum harumce idearum indicium fecere, ſed veluti infantes recenter nati conſi-

[1] *Ex multis, quæ proferre poſſemus, exemplis duplex dabimus.* 1. *Anno* 1694. *in nemoribus ad* Lithuaniæ, *& Ruſſiæ confinia ſitis, inter gregem urſorum capitur juvenis, decem circiter annos natus, adſpectu ferino, manibus, pedibuſque incedens, loquelæ expers, & nullum rationis faciens indicium. Baptizatur illico, & humano vivendi ritui aſſuetus, poſt longum tempus verba quædam rauca prorſus inhumana cœpit proferre, & ea, quæ dicebantur, intelligere. Interrogatus de vita ſilveſtri, ejus non magis recordabatur, quam nos eorum, quæ infantes cogitavimus. Deſcribit hominem* Bernardus Connor, *in* Evangelio Medici Art. 55. *qui aliud ſimile addit exemplum, fide Joannis Petri Van Denbrande, Legati Batavi in Britannia, qui anno 1669. Varſaviæ vidit hominem ſilveſtrem, inter urſos captum. Nam frequens eſt in Lithuania, ut pueri, in agro ab incautis parentibus relicti, ab urſis famelicis devorentur. Quod ſi urſa eſt lactans, aliquando eos ad gregem ducit, & ferarum more educat.*

Hoc exemplum probat luculenter, hominem dum ſermonis uſu caruit [qui eſt admodum neceſſarius, ut mens adtendat ad ideas, ac ex earum conſideratione univerſales notiones adquirat, ſine quibus uſus rationis non conſtat] nullas, nedum innatas, ideas habuiſſe.

2. *Juvenis natus ſurdus, & mutus a parentibus Catholico ritu educatur, adeo ut more noſtro ſe muniret ſigno crucis, & aqua luſtrali frontem adſpergeret: tum & in genua procumbens precantis more diu eſſet. Caſu campanarum ſono in aures adſtantis inlapſo, auditum recuperavit. Poſt quatuor menſes cum verba inperfecta edere didiciſſet, accurate a Theologis interrogatus, non ſolum nullam de Deo, de anima, ac honeſtate actionum ideam habuiſſe reperiebatur; ſed nec animum umquam ad ea adtendiſſe, & multo minus eadem examinaſſe: contentus imitari, quos videbat: nihil amplius habens, quam meram intuitionem, & perceptionem rerum.* Hiſt. Academ. Reg. Pariſienſis anno 1703.

Hoc exemplum aliquid amplius efficit, quam præcedens. Itaque mihi perſuadeo, ſi plurimi ſurdi, & muti uſum ſermonis

conſiderantibus videbantur. Ut addubitare jam non poſſimus, has innatas ideas non niſi in intermundiis illis exſtare Epicuri. [1]

COROLLARIUM I.

Conſequitur ex dictis, adverſariorum unam eſſe omnium depulſionem: propterea quod omnes ea dicunt, quæ experientiæ adverſantur. Nihilominus addemus aliqua tironum gratia.

COROLLARIUM II.

Hinc falſo adfirmat Auctor Artis Cogitandi, & Wolfius, ſi tamen ex animo id dicit, [2] *mentem creare ſuas ideas.*

Nam nullus hominum primæ productionis ideam claram habet: nullus intelligit, quid ſint cognitiones mentis. Itaque inprudenter adfirmat eſſe, quod non intelligit, nec ſentit. Deinde, ſi mens cognoſcit, quod creat, jam primam ideam non creat. Si non cognoſcit, faciet, quod ignorat. Cumque ideæ ſint imagines rerum, tam eſt veriſimile, mentem, quin cognoſcat, producere imagines; quam eſt veriſimile, pictorem ſtilo adumbrare hominem poſſe, quem num-

nis divino præſidio compararent, monſtraturos plane, quam male judicant, qui ex ſignis non nullis, quæ faciunt, mirabilia, & vix credibilia & ſuſpicantur, & narrant. Ex his vero exemplis, quæ adducimus, utilia multa, & ſubtilia pro ſuo acumine deducit Wolfius, Pſycholog. §. 461. fol. 214. *Confer.* Acta Erudit. Lipſiæ, anno 1707. pag. 507.

[1] *De ideis innatis in* Pneumatologia *diſputabimus, ubi oſtendemus, ne ipſam quidem Dei ideam eſſe innatam, ſed vel auditu, vel ratiocinatione comparari. Lockius,* Eſſai de l'Entendement Humain. L. I. integro, *totam iſtam de ideis innatis controverſiam acute, & copioſe examinat.*

[2] *Wolfius non uno tantum loco faſſus eſt, ſe* Harmonia Præſtabilita *Leibnizii uti tantum veluti hypotheſi: adeoque nullum dogma eidem inponere velle. Confer. ejus* Reſponſio ad Accuſationes Langianas. p. 64. Collect. Ludov. & *idem Ludovicius,* in Hiſt. Phil. Wolfianæ, Lipſiæ 1737. §. 324.

quam vidit. 3. Præterea hæc Wolfiana ſeries neceſſaria cognitionum *fatali* neceſſitati mentem ſupponit, quod ferri non poteſt. [1]

Corollarium III.

Hinc falſo exiſtimat Malebranchius, mentem noſtram; eſſentialiter unitam Deo, in eo omnia videre.

1. Etenim intelligi nequit, quid ſit, eſſe *eſſentialiter* unitum. 2. Mens non videt in Deo tamquam in ſpeculo. Nam ſpeculum omnibus intuentibus eamdem rem offert: homines tamen non omnia vident omnes. Indocti enim etſi anxie quærant, ea non vident, quæ docti intelligunt: proinde quidam aliquid adfirmant, quidam id ipſum negant. 3. Falſum eſt, Divinam lucem non plus exhibere, quam motus cerebri poſtulant. Nam Deus eſt, qui hos motus excitat occaſione rerum naturalium, ut ipſe ait. Igitur non dependet a motu cerebri. [2]

Corollarium IIII.

Hinc falſo ait Lucretius, e corporibus avolare continenter idola, & in ſenſus incurrere.

Nam

---

[1] *Defendit præter ceteros Leibnizium, qui primus hæc excogitavit, Bilfingerus*, in Harmonia Animi, & Corporis humani ex mente Leibnizii. 12. *Wolfius defendit ſe ipſum quodam ſcripto, de quo paullo ante. Accuſant ſtrenue Wolfium, & Leibnizium plurimi Philoſophi, quos videas apud Langium*, Recenſio XXVI. ſcriptorum adverſus Philoſophiam Wolfianam editorum. Halæ 1725. 4. *ut alios omittam.*

[2] *Plures confutarunt Malebranchium, ſed non omnes punctum tulere. Laudatur præ aliis Leibnizius*, in Epiſtola ad Remondum, Recueil Tom.II. pag.326. ſeqq. & *in* Examine principiorum Malebranchianorum. *Immo prudenter multa in eo reprehendit Reimmannus*, Cat. Bibliot. ſuæ p.999.

Digitized by Google

Nam hæc idola ſunt corpora. [1] Cumque continenter a ſuperficiebus avolarent, hæ demum raderentur, & perirent funditus. 2. Simulacra alia in alia incurrerent, & perturbarentur rerum formæ & cognitiones. Res abſtractæ, ut ratiocinationes, volitiones, cetera intelligi non poſſent, quia ex his ſimulacra ad ſenſus non veniunt. At hæc experientiæ repugnant.

COROLLARIUM V.

Hinc falſo dicunt Scholaſtici, ex phantaſmate corporato fieri ſpeciem intelligibilem, quam intellectus patiens recipit, & cum qua producit ſpeciem expreſſam.

Nam nemo homo intelligit, quid ſit, ex re corporea educere rem ſpiritalem. Nullis documentis, nulla experientia efficitur, humanam mentem talem vim habere, ut poſſit dare rei corporeæ facultatem producendi ſpiritalem naturam. 2. Præterea intellectus *agens*, & *patiens*, ſi eos audimus, eſt una res. Quare ſi ex phantaſmate corporeo educit ſpeciem intelligibilem inpreſſam, cur non etiam *expreſſam*, id eſt cognitionem? 3. Poſtremo totam illam hiſtoriam *ſpecierum*, *phantaſmatum*, *elevationum*, unde habuerunt Scholaſtici? an latebras omnes cerebri, & mentis ſagacius odorati ſunt? an diuturna experientia comprobarunt? fabulæ.

CAPUT V.

Quo modo ſe habeant ſenſus ad ideas adquirendas.

EST ergo perſpicuum, ſenſus feneſtras eſſe animi, per quas in eum primævæ notiones ingrediuntur: ipſeque cetera, quæ extra ſunt, intelligit. Quoniam vero, quam facile id fiat, niſi fabricationis ſenſuum rudem aliquam ideam habea-

[1] *Lucretius, & Epicurei reliqui ſentiunt, nullos eſſe ſpiritus: etſi aliquando pueriliter adfirment, Deos ſuos non habere corpus, ſed quaſi corpus; nec ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem. Vide Ciceronem*, de Natur. Deor. L.I.

habeamus, cognoſci non poteſt; paucula præmittemus, quæ ad ea, quæ ſequuntur, viam ſternant.

Porro quinque ſunt ſenſus machinationis humanæ, per quos rerum ideæ cum cerebro, & cum mente communicantur: *Viſus*, *Auditus*, *Odoratus*, *Guſtatus*, *Tactus*: quibus nominibus quinque organa diverſa deſignamus.

1. Et, ut a *Viſu* ordiamur, oculi, quibus ille percipitur; peculiarem, eamque mirabilem, fabricationem habent, quam minute dilucidare non eſt hujus loci. Tantum dicimus, oculum eſſe globum ex tribus membranis præcipuis coagmentatum, nimirum *cornea*, *uvea*, *retina*: quarum quælibet humorem ſuum claudit. Humor, qui in medio eſt, & vocatur *cryſtallinus*, utrimque eſt convexus, & lentis figuram præfert. Radii lucis ab objecto corpore reflexi, dum tranſeunt hanc lentem, refringuntur, & inverſo ſitu imaginem objecti in fundo interioris membranæ, quam vocant *retinam*, depingunt. Non ſecus ac radii Solis per foramen feneſtræ ingredientes, & lente vitrea excepti, imaginem Solis in charta inverſo ſitu deſcribunt. *Retina* eſt expanſio cujuſdam nervi, [1] qui ad cerebrum producitur.

Pulſo igitur oculo a luce, quæ pulſatio cerebro inprimitur, ope illius nervi; protinus habetur idea ac perceptio e. g. *coloris nigri*, *trianguli*, *quadrati*. Has vero perceptiones ſequitur judicium, quo enuncio, exſtare corpus coloris nigri, figuræ triangularis, vel quadratæ. Et hoc judicium reliquas ſenſuum perceptiones conſequitur.

2. Eodem modo reliqui ſenſus ſe habent. *Auditus* organum eſt inſtar cochleæ, cujus in fundo eſt membrana quædam tenſa, quod tympanum vocant. Poſt tympanum ſunt 4. oſſicula mobilia, & aer intra quamdam thecam contortam, quæ duo foramina habet ad labyrinthum pertinentia, hoc eſt, ad tortuoſum meatum in ipſa oſſis ſubſtantia excavatum: in cujus labyrinthi extrema parte fibræ nervi auditorii dilatantur, qui nervus ad cerebrum protenditur.

Fac pulſes æs aliquod: motus & fremitus æris aërem exteriorem pulſat. Aer pulſus, & in cochlea contractus, fertur ad tympanum auris, & illud commovet. Porro tympanum

[1] *Vide Winslovv*, *in* Expoſitione Anatomica corporis Humani Tom.V. p. n. 114. edit. Bonon.

panum pulſat oſſicula, & aerem, qui labyrinthum ingrediens, tremorem ipſum cum fibris nervi auditorii communicat: qui nervus in cerebro eamdem inpreſſionem facit. Tunc mens percipit illum tremorem. En idea ſonus: quæ varia eſt pro diverſo tremore corporum. [1]

3. *Guſtus* præcipue ſitus eſt in area ſuperiori linguæ; maxime in vertice. At lingua quibuſdam membranis obvolvitur: exterior una, quæ dicitur epidermis: ſecunda, quæ multis foraminibus pertuſa eſt: tertia, quæ papillis plurimis eſt conſperſa, quæ ſecundam pervadunt, & in epidermide conſiſtunt. Hæ autem prominentiæ ſeu mamillæ ſunt quædam expanſiones ſubtiliſſimorum nervorum. Atque in hiſce papillis linguæ ſapor percipitur: quod tali modo, ut Anatomes periti ſuſpicantur, fit. Salinæ particulæ, itemque ſpiritus quidam tenuiſſimus, ac grati odoris, quibus corpora omnia ſapida abundant, acumine ſuo feriunt, & lacerant inſenſiles nervos, ex quibus papillæ illæ conſtant. Motus iſte cum cerebro communicatur, in illo loco, in quo ſedes animi eſt. Hinc animus ſentit hunc motum: h. e. habet perceptionem ſaporis. [2]

4. Simili modo *Odoratus*. Membrana illa villoſa, quæ interiorem narium partem veſtit, contexta eſt plurimis nervis epidermide denudatis, quod in cauſſa eſt, cur exquiſiti ſenſus ſit, adeo ut vix tacta ingentem commotionem progignat. Et hoc eſt organum odoratus. Nam particulæ ſubtiliſſimæ tum olei, tum ſalis *volatilis*, ut vocant, quæ a corporibus odoris exhalantur, in iſtam membranam incurrentes, alio & alio modo vellicant papillas nerveas: quæ titillatio per nervos cerebro inprimitur, ideo ſentitur. [3]

5. *Tactus* demum proprium hoc eſt, quod non certum locum, ut reliqui ſenſus, habet; ſed in toto corpore eſt: propterea quia quamcumque corporis partem ſcalpamus, ſentitur contactus corporis. Veruntamen in extremis di-

[1] *Nieuwentytius*, Contempl. XIIII. *qui innumera de Aure refert*.

[2] *Williſius* de Anima Brutor. c. 12. *& Sturmius* Phyſic. Elect. T. I. c. 6. *copioſe de Saporibus diſputant*.

[3] *De Odoribus Sturmius l. c. pag. 336, & Franciſcus de Lanis*, Mag. Natur. & Art. T. II. p. 69. ſeqq.

Digitized by Google

gitis manus peculiari modo reſidet tactus ad plurima diſtinguenda. Porro ſub cuticula, ſeu epidermide, h. e. ſub membrana exteriori carnis, extenditur cutis, quæ innumeris papillis nerveis conſperſa eſt, & quæ papillæ ex cute inſtar ſubtiliſſimorum peniculorum adſurgentes, epidermidem ipſam contingunt. [1] Hinc cum tangis carnem, nervum tangis. Cumque nervi omnes a cerebro, vel cerebello ducantur, faciliime eumdem motum in cerebro excitant: ex quo mens percipit contactum, id eſt adquirit ideam tactus.

Hinc manifeſtum fit, organorum munus eſſe, excipere inpreſſionem corporum, eamque ad cerebrum tranſmittere: idque mediis nervis, qui hiſce peragendis ſunt quam aptiſſimi. Mentem vero eſſe, quæ rerum ideas pro varietate ſenſuum elicit.

Dicimus autem, *oculum videre*, *aurem audire*, cetera: quod ſecus eſt. Nam oculus tantum excipit imaginem, ſeu motum quemdam, ut ita dicam, quem cum cerebro communicat. Mens vero, cum hanc imaginem ſentit, tunc videt. Sed cum motum illum organi ſequatur e veſtigio mentis perceptio, iccirco utrumque confundimus, & exiſtimamus, *oculum videre*, *aurem audire*. Id ipſum de ceteris ſenſibus dijudicabimus. Quamvis nos lateat omnino, quo pacto ſenſuum adfectiones ad cerebrum perveniant: easque imagines, quæ in cerebro inprimuntur, mens noſtra percipiat.

Porro quemadmodum motum organorum, & cerebri conſequitur perceptio, qua mens cognoſcit externa; ita ſingulas perceptiones ſequitur judicium, quo mens judicat, habere ſe talem ideam, h. e. *videre*, *audire*: idqne tam velociter interdum, ut difficulter queant diſcerni. Quod non advertentes ineruditi exiſtimant, eamdem rem eſſe perceptionem, & judicium de re percepta.

Ca-

[1] *Hallerius* ad Boerhaav. Prælect. Vol.III. §.418. pag. m. 525. ſeqq.

CAPUT VI.

Quam ſint fallaces humanæ cognitiones, & qua de cauſſa.

JAM vero ex iis, quæ docuimus, exſiſtit & illud, ut cognitiones omnes noſtræ erroribus nimis multis expoſitæ ſint. Etenim quam ſint fallaces ſenſus noſtri, a quibus ideas habemus, nemini dubium eſt. Viſus, qui ceteris acutior eſſe ſolet, longe decipitur. e. g. Turris quadrata, ſi e longinquo adſpiciatur, ſine angulis, & rotunda fere apparet: colores omnes mutantur, diſpereunt prorſus. Idem in ceteris ſenſibus evenit quam frequentiſſime. [1] Vix ut ſine errore judicemus, pleraque, quæ cognoſcimus, ita ſe habere. Non quod naturæ humanæ appendix ſit, ut fallatur; ſed pœna eſt peccati.

Creaverat Deus Adamum virum bonum, acerrimoque ingenio præditum: &, ut verbo dicam, omnibus & mentis, & corporis dotibus ornatum: & ita comparatum, ut, ſi vellet, hanc ſibi perpetuam felicitatem obtineret. Unum in tanta bonorum copia erat præceptum, ne fructu quodam veſceretur. Leviſſimum ſane onus, & haud moleſte ferendum ab homine, qui tot rebus ac tantis fruebatur: quique nulla vi ad unum potius, quam ad aliud, trahebatur: ſed nullo negotio omne id, quod vellet, efficere poſſet. Ille tamen uxoris ſuaſu de fructu vetito comedens, maximum peccatum peccavit, & pœnam dedit. Nec ſolum ſibi infeſtus, ſed, quod magis dolendum, nihil tum nobis cogitantibus, qui non dum eramus, prolem omnem ſuam eiſdem ærumnis objecit.

Hinc omnis mali origo. Corporis ægritudo, & mors: Mentis ſtupor, & erratio: quæ & facillime intelligendo fallitur, & non niſi multo labore ac ſudore, a fallacia & errore ad contemplandam veritatem convertitur. Quod ſi homo illa beatitate frueretur, non ſolum facile & diſtincte omnia

[1] *De erroribus ex* Senſibus *ortis diſputabimus* L.IIII. pag. 1, c. 4.

omnia cognoſceret, ſed multo plura intelligeret, quæ ignorat. Nunc vero & anguſtis cancellis definita eſt humanæ mentis perſpicientia, & ſollertia: & iſta ipſa, quæ intelligit, tam obſcure intelligit, vix ut credi poſſit. Nam perpetuum certamen exſiſtit mentem inter & corpus. Quod corpus mentem ad altiora tendentem, & rerum cauſſas anxie perſcrutantem, ad has & illas partes pæne invitam detorquet. Adeo mens appulſu corporum ſic tenetur, & veluti extra ſe ipſam divagatur, ut nequeat ſe, ſuaſque operationes plane cognoſcere: ideoque nec recte de iis, quæ extra nos ſunt, dijudicare.

CAPUT VII.

Quænam Logica reliquis ſit anteponenda.

Ergo aliqua medicina eſt adhibenda, quæ erroribus mentis medeatur, nobiſque viam muniat ad verum inveſtigandum. Hanc Logicam eſſe debere, nullus dubitat: quo vero modo ea parari debeat, magna diſſenſio eſt. Alii ad Ariſtotelem, alii ad Carteſium, alii ad Gaſſendum provocant. Ego vero exiſtimo, nihil facilius expediri poſſe, ſi modo libero judicio ad iſtam controverſiam accedamus.

Ariſtoteline, quæſo, aut Platoni; Carteſio, aut Gaſſendo, tantum a natura tributum fuiſſe credamus, ut falli nequeant, fallere vero vel inprudentes non poſſint? Atqui illi & homines erant, & humanis infirmitatibus obnoxii. Quin immo interdum errant aperte: interdum ſubobſcure loquuntur: ſunt, in quibus ſe non explicent: ſunt, quæ ne intelligant quidem. Non igitur unus aut alter, ſed omnes in medium adducendi ſunt & vetuſti, & novi: ex iiſque diligens perſcrutator libare debet, quæ mentem poſſint ad recte agendum, & percipiendum adjuvare.

Habet Logicus pro ſcopo, ut res, prout ſunt, intelligat: certoque ſibi perſuadeat, ſe non errare judicando. Ad hanc igitur metam collineare debent omnia, de quibus ars Logica tractat. Nec vero id ſolum, ſed ea anteponenda erit, quæ breviori via id faciat.

Via

Via autem brevior & expeditior, mea ſententia, eſt. Primum conſiderare, quo modo perceptiones rerum clariſſimæ comparentur. Deinde, quo pacto vocibus exprimi poſſint, ne confuſe intelligamus: ubi ſingulæ vocum proprietates accurate ſunt exponendæ, quæ nobis occaſio frequens erroris ſunt. Tum explicare, quid ſit judicium, quid propoſitio, & quæ utriuſque diverſitas: quidque notare debeamus, ne aliud pro alio accipiamus. Ad hæc ratiocinationis naturam internoſcere: quemque uſum in veritate inquirenda habeat, explanare. His conſtitutis ſternenda via eſt, qua ad veritatem perveniamus: quæ cum ſit vel certa, vel probabilis, ad utramque perexpedita via munienda eſt, erroreſque notandi, qui nos ab illa repellunt. Poſtremo loco exponere neceſſe eſt, quo pacto verum & facile invenire, & cum aliis communicare debeamus. Hanc igitur docendi viam & ratio naturæ tenendam eſſe perſuadet, & viri his ſtudiis ſubacti ceteris eſſe præferendam, cum exemplo ſuo, tum editis libris confirmarunt.

Ac ſane audiendi non ſunt, qui puerorum mentes multitudine obruunt præceptorum, ac toti ſunt in eo, ut longas diſputationes contexant, quin prius examinent, an ad finem, quem ſibi ponunt, conducant. Ex quo exſiſtit, ut tiro, quamlibet tricis illis & cavillationibus bene excultus, ſi ad aliquam controverſiam reducitur, de qua in ſchola nón diſputatur, quid conſtituere debeat, ignoret.

Neque vero pueri modo, qui uſu rerum non valent; male intelligunt, & ratiocinantur; ſed viri ipſi, ſi ad rem, de qua numquam audierunt, trahuntur; multo pejus loquuntur, ac agreſtes homines faciunt. Dubia, & falſa veluti probatiſſimas demonſtrationes ſæpiſſime amplectuntur: iiſque, quaſi forent firmiſſima & indeficientia fundamenta, opinationes ſuas inædificant. Quod ſi aliquando bene, faltim non inepte argumentantur, id non ab arte ſua habent, ſed a natura: quæ mira facilitate hominem non ineptum impellit ut recte ratiocinetur.

Quod ne a me, Adoleſcentes, per conjecturam, aut alia de cauſſa dictum putetis, vobis pro certo adfirmo, me nullo partium ſtudio agi iſta diſputantem, & ſcribentem. Peccarem certe, & ridendus eſſem merito, ſi ego, qui tironibus auctor ſum, ne ex præjudicatis ſententiis dijudicent,

cent ; ipſe pœnitendo præjudicio de aliorum ſententiis pronunciarem . Nolo ego judex eſſe in hac cauſſa : judicent doctiſſimi homines , & ingenti ſcientiarum flumine , ut ita dicam , inundati , qui in Peripatetica philoſophia diu multumque ſe torſerunt ; qui , ſi viri boni ſunt , fateri debent , hanc , quam ipſi callent Logicam vulgatam , quamque laudibus ad cælum ferunt , divinumque vocant inventum ; iſtam ipſam nihil juvare ſe , ut de rebus , quæ in ſcholis non traduntur , diſputent .

Profecto & ego ſophiſta fui aliquando , & ſub Peripateticorum vexillis longum tempus verſatus ſum cum laude . Nam ingenium non hebes , & exercitatio quotidiana fecerunt , ut ea celeriter arriperem , quæ alii non niſi poſt longum tempus , incredibilemque laborem percipiebant . Hinc juvenili quadam garriendi cupiditate frequenter cum adverſariis manus conſerui : & , ſi verum auditores adferebant , non ſemel perſtiti in acie ſine levi vulnere . Laudare condiſcipuli , & amici fortunas meas , qui tale ingenium nactus eſſem , atque exquiſita doctrina perpoliviſſem : ſuadere , ut eamdem viam inſiſterem : magnum mihi propoſitum eſſe præmium , laudem , & gloriam . Sed quamvis hæc & alia multa ipſi dicerent , ex quibus ego caperem voluptatem ; non ita ego eram ineptus qui mihi perſuaderem , tantum illud eſſe , ut laudari deberem .

Neque hoc animi moderatione cenſebam : non ſimulata virtute patefacio : ſed ex animi ſententia aperte , uti decet Philoſophum , dico , me numquam animum inducere potuiſſe ut exiſtimarem , me juſta de cauſſa eſſe laudandum . Cauſſa hæc erat , quia certo ſciebam , iſtam , quam in me extollebant , facultatem nulli uſui eſſe , præterquam ut oſtenderem , multa me ſcire de regulis artis ; poſſeque adverſarium non æque exercitatum laqueis irretire : cetera eſſe inutilem .

Deum teſtor , & ſuperos , me , etſi etiam atque etiam de Philoſophia , de Theologia , de Jure , de Hiſtoria in ampliſſimis locis , & cum viris eruditiſſimis , & acutiſſimis diſputaverim ; numquam tamen artis regulis adjutum fuiſſe , ut aliquid probarem : ſed , quæ memoria ſuppeditabat argumenta , vis quædam naturalis mentis ad formam redigebat ; iiſque , quod vellem , conficiebat . Quod & pleriſque viris doctis

doctis accidiſſe, ex eorum habeo teſtimonio. Ut jure mirer eſſe, qui adfirmant, ſyllogiſmorum præcepta ad invenienda argumenta, & recte conformanda, quibus res quæque confirmetur, eſſe idonea. Vix enim quædam ſyllogiſmorum formæ valde contritæ menti occurrunt: peculiares vero leges, & irretiendi formæ illis tantum, qui de iis diſputare dedita opera volunt. [1] Sed de his hucuſque.

Nobis autem ea Logica eſt in præſentia tradenda, quæ tironem ad veritatem perducat, rejectis nugis, & copia inutilium præceptionum, quibus vulgares Logici inquinantur.

ALOY-

[1] *Amicus quidam meus, vir bonis litteris politus, idemque admodum facetus, ſed facetiis liberali homine dignis, qui multum & ſæpe cum Peripatetico quodam profeſſore de inutilitate veteris Logicæ ad in concione diſputandum decertaſſet; quam Peripateticus nullis argumentis cedens prædicare non deſiſtebat; caſu eumdem Peripateticum ad acroaſim Theologicam venientem animadvertens, hominem comitari, & apud eum ſedere voluit. Poſt aliquod verba ultro citroque habita, adſurgit Peripateticus ut neſcio quam theſim confutaret. Alter, qui occaſionem tam optatam, tamque opportunam e manibus elabi ſibi nolebat,* Faxo, *inquit adridens,* ut periculo tuo nunc intelligas id, quod ſæpe de hac re tibi probare conatus ſum. *Itaque ad ſingulos Peripatetici ſyllogiſmos eum ſubmiſſa voce interpellabat:* Dic quæſo, bone vir, *ex qua* Figura, & Modo *tuus iſte ſyllogiſmus eſt fabricatus, nam te id in promtu habere, ac ex iis diſputare ſolere, mihi omnino eſt exploratum. Principio tacitus Peripateticus tulit, ac ſubriſit: ſed cum alter de induſtria eum urgere pergeret; Peripateticus, qui ſolutione reſpondentis unice defixus, nihil minus, quam de* modis, *ac* figuris *cogitabat; ira exalbeſcens,* Quæ, malum, *inquit,* hæc tua eſt importunitas? Ego ex figuris, & modis, qui mihi placent, diſputare ſoleo. *Riſere qui prope erant. Amicus vero hominis reſponſionem narrare, & celebrare ſolebat: ajebat enim per ironiam, nihil a ſe unquam aptius auditum fuiſſe ad efficiendum, quam bene ac facile ex legibus Ariſtotelicis de inproviſo ratiocinari, ac decertare conſueſcant Peripatetici. Hoc exemplum iis, quæ hucuſque diximus, lucem non nullam adferet.*

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER TERTIUS

DE

IDEIS, ET EARUM SIGNIS.

PARS PRIMA

DE IDEIS.

CAPUT I.

De ideis reſpiciendo ad originem.

PRimæ igitur humanæ mentis cognitiones ſunt perceptiones ſeu ideæ, quibus, etiam dum uſu rationis caremus, perfundimur. Eæ autem tanta ſunt in varietate, quantam verbis exprimere vix poſſumus. Sunt igitur ad quaſdam veluti claſſes revocandæ, & ſuis nominibus diſtinguendæ, quo facilius earum proprietates explicare queamus.

Ergo ideæ multiplici modo conſiderari poſſunt. Vel enim eas referimus ad principium: vel, ut re ſunt, conſideramus: vel examinamus modum, quo menti objecta repræſentant: vel demum idearum objecta, ex quibus ipſæ nomen habent, inveſtigamus. In his pulcerrima multa, & neceſſaria ſe offerunt perpendenda, de quibus nos ordine explicabimus.

Atque

Digitized by Google

Atque ex iis, quæ hucuſque diximus, fit manifeſtum, ideas omnes, ſi earum origines perſcrutamur, eſſe vel *adventitias*, vel *factitias*.

1. *Adventitiæ* ſunt, quæ a rebus, quæ extra nos ſunt, aditum ſibi per ſenſus aperiunt ad mentem: ut idea *coloris*, *ſaporis*, *odoris*, ceteræ, quæ *ſimplices* ideæ vocantur. Cumque major idearum pars per ſenſus adquiratur, conſequitur, pleraſque ideas, cujuſmodi ſunt primigeniæ, eſſe adventitias.

2. *Factitiæ* ſunt, quas mens ab illis deducit, quæ ſenſibus adquiruntur: idque vel eas conjungendo, vel dividendo, vel ad eas reſpiciendo. E. g. Si mens ideam hominis, coronæ aureæ, ſceptri, paludamenti, ſatellitii &c. conjungit, elicit ideam *Regis*. Sin autem in Regem ſic ornatum intuens, in eo ſingulatim conſiderat, tum lineamenta faciei, tum dignitatem oris, tum ſtaturam, &c. elicit, ac facit *tot alias ideas*. Sin demum reſpiciens ad ſuaſmet ideas, animadvertit unamquamque objectum aliquod menti repræſentare; elicit ideam *cognitionis*.

Porro miram habet mens humana virtutem ideas cum ideis comparandi: ex quo infinita idearum ſoboles naſcitur, quæ plerumque ſunt compoſitæ, ut ſequenti capite dicemus.

CAPUT II.

De ideis, ut re ſunt.

SIN autem ideam non reſpiciendo ad principium, a quo naſcitur, ſed in ſe ipſa conſideramus; vel eſt *ſimplex*, vel *compoſita*. 1. *Simplex* eſt, in qua nullas partes, ſeu ideas ne mente quidem poſſumus ſecernere. Harum quædam ſenſu, quædam meditatione comparantur.

E. g. Ideæ ſingulares, quæ per ſenſus habentur, ſunt ſimplices, ut *coloris rubri*. Nam etiamſi partes in colore rubro perquiras, ex quibus alias ideas elicias, numquam invenies: non enim habet. Habet quidem corpus coloratum partes: non ita vero idea *coloris* a corpore ſejuncta. Quod etiam de reliquis ſenſibus, *auditione*, *odoratu*, *guſtatu*, *tactu*: necnon de animi adfectionibus, *dolore*, *voluptate*, dicendum eſſe videtur.

Idem de ideis judicatote, quæ meditatione adquiruntur,

tur, ut idea *volitionis*, *nolitionis*, *perceptionis*, ceteræ. Non enim partes ullas in *volitione*, *perceptione*, *judicio*, quæ ſunt objecta talis ideæ; &, quod inde ſequitur, non in ipſa idea *reflexa*, ut vocant, poſſumus deſignare, ex quibus ideas alias fabricemus, quas ſeorſum intelligamus: propterea ſunt ſimplices.

2. *Compoſita* idea eſt, in qua plures ideæ ſimplices deſignari poſſunt, & intelligi ſingulatim.

E. g. Idea cujuſque *corporis* eſt compoſita: poſſum enim in corpore deſignare partem dextram, & ſiniſtram: & quælibet pars ſeorſum menti meæ ſe offert, eamque ſigillatim conſiderare poſſum. Idea *exercitus* eſt compoſita: exprimit enim plures partes, ex quibus plures ideæ poſſunt haberi. Idea *juſtitiæ* compoſita eſt: nam cum concipio juſtitiam, hæc menti objiciuntur: *idea hominis, qui ſuum cuique tribuit: idea recipientis: idea rei tributæ*: reliqua. Eodem modo de reliquis *virtutibus*, & *vitiis* pronunciabimus.

Vere enim compoſita idea non una eſt, ſed plures, quæ uno nomine ſignificantur. Neque enim poſſum percipere *domum*, quin cogitem v. g. rem quadratam, in qua & portæ, & feneſtræ, & laquearia, cetera. Ita nequeo intelligere *juſtitiam*, & *exercitum*, quin multa ſimul ac diverſa cogitem, quæ propter mentis in conjungendo celeritatem, una res eſſe videntur. Itaque magna idearum pars, ſi paucas illas, quas ſupra memoravimus, excipias, compoſitæ ſeu complexæ ſunt.

Jam vero ideæ compoſitæ ſunt dupliciter. Quædam ſunt compoſitæ ex ideis objectorum ſimilium, ut idea milliarii, quæ componitur ex ideis *paſſuum*: idea *paſſus*, quæ componitur ex ideis *pedum*: ceteraque.

Aliæ vero conſtant ideis rerum diſſimilium: ut idea *domus*, quæ conſtat ideis lapidis, ligni, cæmenti, tegulæ: idea *navis*, & his ſimiles. Interdum vero ſunt ex tot aliis compoſitæ, ut non ideæ, ſed judicia videantur: de quibus alio loco. [1] Venio ad repræſentationem idearum.

Ca-

[1] *Libro IIII. p. I. c. I.*

Caput III.

De modo quo ideæ menti objecta repræſentant.

I.

De idea Clara, & Obſcura.

Aliquando rem ita percipimus, ut eam cum iterum ſe offert, [1] ab aliis facile ſecernamus: hæc vocatur idea *clara*. e. g. Cum video longe corpus *atrum*, idque a *rubro*, *cæruleo*, cum recurrit, facile diſtinguo, habeo ideam *claram* coloris *atri*. Cum ſentio odorem *lilii*, eumque ab odore *roſæ*, vel alterius floris, quoties occurrit, ſecernere queo, habeo claram ideam odoris *lilii*.

Quod ſi non poſſum ſic diſtinguere rem ab alia, hæc idea eſt *obſcura*. e. g. Si longe adſpicio corpus *cæruleum*, nec tunc, aut cum iterum adſpicio, illud poſſim a *viridi*, *nigro*, *cinereo* ſejungere: tum ſi *lilii* a me diſtantis odorem ſentio, ſed ſic, ut nec tunc, nec cum recurrit, queam diſcernere, *lilii* ne, an *violæ*, an *roſæ* ſit; utroque caſu habeo tantum ideam *obſcuram*.

Hæc autem idea *clara* eo clarior erit, quo plures partes in objecto corpore diſtinguere potero. e. g. Clariorem odoris *roſæ* vulgaris ideam habebo, ſi exquiſitiore ſenſu internoſcam non modo diſcrimen inter odorem roſæ, & aliorum florum; ſed ejuſdem roſæ ab illis roſis, quas vocant *Alexandrinam*, & *Damaſquinam*. Item, cum e portu video navem, clarior erit idea, quo propius venit ad portum: vere ut poſſim adfirmare, tot partes habere, eſſe triremem, non quadriremem, vigintiremem, cetera.

E Co-

[1] *Eadem idea non iterum ſe offert, etiam præſente objecto: perit enim momento temporis, & aliæ ſuccedunt, etiam nobis invitis. Experimur enim nos, cum aliquid adtentius contemplare volumus, vim menti facere debere, ut ad idem objectum diutius reſpiciat. Non ergo recurrit* eadem; *ſed* omnino ſimilis, *quæque videatur eſſe eadem idea. Et hoc modo ſimiles loquendi formulæ accipi debent.*

Corollarium I.

Hinc clarior erit idea, quo pluribus ſenſibus, & adtentius rem examinamus. Nam plures ſenſus, & major contentio mentis plura in objecto diſtinguunt.

E. g. *Sacharum* & *Sal* interdum colore, ac figura arte facta ſunt prorſus ſimilia. Quod ſi alterutrum viſu, odoratu, tactu non poſſum diſtinguere; revoco ad guſtatum, qui diſcernit, quale ſit.

Corollarium II.

Hinc obſcurior erit idea quo languidius objectum ſuum repræſentet, ut ab aliis nequeat ſecerni.

E. g. Cum decem homines ſeorſum loquentes audis, percipis quidem clare ſingulorum vocem. Quod ſi omnes una voce conclament; etſi clare unam illam vocem percipias, quod eam ab alio clamore ſecernis; tamen alteram ab altera vocem ſingulorum non diſtinguis. En cognitio *obſcura*. Et quo magis a te recedent, eo obſcurior erit cognitio.

Corollarium III.

Hinc idea clara ſi cum clariori comparetur, eſt obſcura: & e contrario.

Nulla idea in hac vita dici poteſt omnino clara: clarior enim haberi poteſt, & fortaſſe alius habet. Quod memoria tenere oportet, ne putemus omnia, quæ nos ignoramus, vel obſcure cognoſcimus, ignorare etiam alios; aut iis tam eſſe obſcura, quam nobis.

Corollarium IIII.

Hinc claritas idearum, ſenſu vulgato, præter repræſentationem objecti, duo complectitur: & memoriam vivam primæ ideæ; & judicium, quo comparo eam cum aliis, vel etiam ſecum ipſa ſub aliis circumſtantiis. Obſcuritas e contrario.

Si enim vel memoriam primæ ideæ, vel judicium comparans tollas, numquam dignoſces, an ſint claræ, an obſcuræ. Quod ex dictis eſt manifeſtum.

De

II.

De idea Diſtincta, & Confuſa.

Verum etiamſi rem aliquam ab aliis facile diſtinguam, evenit aliquando, ut notas omnes, quæ rem a ceteris ſecernunt, ſigillatim enumerare valeam; aliquando non item. Primo caſu, idea clara eſt *diſtincta*: ſecundo, *confuſa*.

1. E· g. Ducat me amicus ad muſeum, & oſtenſis numiſmatibus Cæſarum, quærat a me, qualis ſit imago Neronis. Si lineamenta Neronis ita memoria teneo, ut amico ea deſcribere poſſim; ſaltim ſine præſidio inſcriptionis ejus imaginem ab aliis imaginibus facile diſtinguam; habeo ideam claram, & *diſtinctam* Neronis. Item ſi interrogatus, quid ſit *horologium*, dico, eſſe fabricationem, quæ planiſpherium habet, in quo duodecim horæ inſcriptæ ſunt: & quæ ope ſtili, vel mallei, qui pulſat æs ſonorum, horas declarat; habeo ideam claram, & *diſtinctam* horologii.

2. Contra ſi videns pecudem longe ambulantem, eam diſcerno ab homine, equo, bove; ſed non a cane, vulpe, capra; habeo ideam claram, non tamen *diſtinctam*, ſed *confuſam* pecudis: quia non poſſum indicia proferre, per quæ ab ultimis ſecernatur. Item ſi videns magnetem ferrum ad ſe trahere, ex hac nota ſecerno magnetem ab aliis lapidibus, ſed nequeo ſigillatim numerare ceteras notas omnes, quæ magnetem ab aliis lapidibus ſejungunt; habeo ideam claram, ſed *confuſam* magnetis; quia habeo ideam confuſam notarum omnium, quæ magnetem ab aliis diſtinguunt.

Igitur plus exprimit idea *diſtincta*, quam *clara*: & recte idea clara dividitur in *diſtinctam*, & *confuſam*. Utraque tamen alios & alios gradus recipit.

COROLLARIUM I.

Hinc, quæ ideæ per ſenſus comparantur, tametſi claræ, plerumque ſunt confuſæ.

Nam res, quæ exſtant, plurimis adjunctis ornantur: ſenſus autem tam multa, & implicita repræſentantes, non exhibent

hibent ſigillatim notas omnes, quæ rem diſtinguunt ab aliis: proinde ejuſmodi ideæ ſunt confuſæ. [1]

COROLLARIUM II.

Hinc ſi voce nequis cum altero bene comparato, & qui linguam tuam pulcre calleat, communicare notiones, quas habes; ſcito te habere ideam confuſam.

Nam ſi haberes ideam claram notarum, quæ rem ab aliis ſecernunt; eas enumerare poſſes, & alteri ordine narrare. Quare ſi non enumeras, non habes: id eſt, tua idea eſt confuſa.

III.

De idea completa, & Incompleta.

Jam notas omnes ſeu charaĉteres alicujus rei numerans, vel eas percenſeo, quæ rem ab aliis in omni eventu, & loco, & tempore ſecernunt; vel ſecus. Priori modo, hæc idea diſtincta dicitur *completa*: poſteriori modo, *incompleta*.

1. E.g. Cum dico *corpus* eſſe rem, quæ habet tres dimenſiones, longitudinem, latitudinem, altitudinem; in cujus locum aliud corpus induci non poteſt, ita ut maneant ambo ſimul; quodque moveri poteſt, & quieſcere; hæc adjuncta corpus ab omni ente, quod non eſt corpus, ſecernunt; idque in omni eventu, & loco, & tempore. Quare hæc notio eſt *diſtincta*, & *completa*. Quod ſi dicerem, *corpus* eſſe rem, quæ exſiſtit, & apta eſt moveri, & quieſcere: hi charaĉteres non diſtinguerent corpus ab omni re omni tempore, & loco. Nam mens & ipſa exſiſtit: tum movetur, & ſubſiſtit cum corpore.

2. Si dico, *fluvium* eſſe aquam, quæ alveo continetur, ac pondere ſuo ruit, & ad mare tendit; habeo ideam *diſtinctam*, & *completam* Fluvii. Item ſi dico, *homo* eſt vivens, quod loquitur, intelligit, ratiocinatur, & omnino libere operatur; hæc idea eſt *diſtincta*, & *completa*. Pone nunc me rem expedire hoc modo: Fluvium eſſe aquam turbidam, quæ

[1] *Errores, qui ex* Senſibus *naſcuntur, habes* L. V. *p.* I. *c.*4.

quæ piſces alit: Hominem vero eſſe bipedem erecta facie ambulantem; hæ ideæ eſſent *incompletæ*: nam & lacus piſces habet, & turbidus eſt: & occurrunt belluæ, quæ erectæ incedunt. Alia exempla habes apud Wolfium. [1]

Itaque plus exprimit idea *completa*, quam *diſtincta*: & recte idea diſtincta dividitur in *completam*, & *incompletam*. In utraque vero diverſis gradibus eſt locus.

IIII.

De idea Adæquata, & Inadæquata.

Quod ſi notas omnes, quæ rem ab aliis in omni tempore, & loco, & eventu ſecernunt, numerando percenſentes, ipſarum quoque notarum characteres poſſumus enumerare ſingulatim; talis idea præcipui objecti vocatur *adæquata*: ſecus, *inadæquata* eſt.

E. g. Cum dico, *ignem* eſſe corpus, quod lucem, & calorem generat, & habet vim incendendi, ac conterendi ligna: ſi poſſum diſtincte percenſere notas omnes *lucis*, *caloris*, *potentiæ incendendi*, *& terendi ligna*, quibus ab aliis corporibus diſcriminatur; hoc eſt, ſi habeo ideam diſtinctam ſingulorum adjunctorum; hæc notio eſt *adæquata*: propterea quia complectitur partes omnes, quæ in tali objecto internoſci poſſunt. Sin autem peculiares characteres illarum notarum omnium enumerare ſingulatim non poſſum; cognitio eſt *inadæquata*.

Quare plus exprimit idea *adæquata*, quam *completa*: & recta eſt diviſio ideæ completæ in *adæquatam*, & *inadæquatam*. Sed hæc etiam ſuos gradus habent: ut ſingulæ notæ plures, aut pauciores ideas diſtinctas continent.

COROLLARIUM I.

Hinc non poſſumus adquirere ideas adæquatas omnium rerum.

Non enim habemus ideam diſtinctam adjunctorum omnium, quibus unaquæque res conſtat: nam ſenſus non omnia

E 3

[1] In Logica cap. de Ideis,

mnia perſpicue exhibent. Immo vel hoc nomine pauciſſimæ ideæ *adæquatæ* comparari poſſunt in hac vita; ut recte hoc loco monet Wolfius.

COROLLARIUM II.

Hinc facile evenire poteſt, ut noſtra idea adæquata *fiat* inadæquata; completa *fiat* incompleta; diſtincta *fiat* confuſa; clara *fiat* obſcura.

Nempe ſi e memoria deleantur notæ, ex quibus tales dicebantur: quod ſæpiſſime evenit. Nam potior idearum pars, de quibus & in vitæ uſu, & in ipſis diſciplinis judicamus, ſunt valde complexæ, & plures partes habent, quas non niſi memoria feliciſſima, & ſumma contentione mentis, menti ipſi rurſum præſentes facere poſſumus. Propterea in adquirendis, & æſtimandis ideis, *memoria*, & *contentio mentis* primas partes habent.

CAPUT IIII.

De ideis referendo ad objecta, h. e. de ideis Subſtantiæ, Adjunctorum, Relationum.

ET de modo repræſentandi hucuſque. Jam ſi res ipſas conſideramus, ſine labore intelligemus, ideas omnes ad tres veluti claſſes poſſe revocari, *Subſtantiam*, *Adjuncta*, *Relationes*. [1]

Nam

[1] *Ariſtoteles refert omnia, quæ ſunt, in decem claſſes, quas* Categorias *vocat, alii* Prædicamenta. *Una eſt* Subſtantiæ, *ſeu rei, quæ per ſe exſiſtere poteſt: alia* Accidentium, *ſeu earum rerum, quæ per ſe eſſe non poſſunt. In prima claſſe* SUBSTANTIAE, *duas numerat.* 2. QUANTITAS *vel diſcreta, ut* numeri: *vel continua, eaque vel permanens ut* corpus, *vel ſucceſſiva ut* motus. 3. QUALITAS: *vel animi, ut facultates* ipſius, virtutes, ſcientiæ, artes: *vel corporis, uti* durities, calor &c. 4. RELATIO: *qua una res ad aliam cognoſcendam ducit: de qua infra nos.* 5. ACTIO: *vel quæ in agente, ut* amor, cognitio; *vel quæ in alio recipitur, ut* cale-

Nam omnia, quæ cognoſcimus, vel a ſingulis adjunctis ſeorſum eſſe poſſunt, & id vocamus *ſubſtantiam*: vel ſunt adjuncta alicujus rei, & hæc vocamus *accidentia*, ſeu *modos*: ex adjunctis autem vel eſt aliquid, quod ad aliud fingitur referri, & id vocamus *relationem*. Nullum quartum.

E. g. Lignum *quadratum* eſt res, quæ ſeorſum a figura

---

calefactio. 6. PASSIO: *contraria actioni*, *ut* calefieri. 7. UBI *ſeu locus*: *ut* eſſe Romæ, eſſe domi, eſſe ruri. 8. TEMPUS: *ut quando verbis tempus ſignificantibus reſpondemus*, cras, perendie. 9. SITUS: *quod exprimitur hiſce verbis*, ſtat, cubat. 10. HABITUS: *id eſt ea, quæ corpus veſtiunt*, *ut* tibialia, pallium.

En Prædicamenta accuratius, quam ille fecit, explanata. Scholaſtici hunc numerum, in quo multi ſunt, vocant, Dogma Philoſophicum, quodque veluti temerarium in Philoſophia exiſtimetur in dubium vocare. *Nugæ! nam nihil aliud eſt niſi nomenclatura, quæ oſtendit, quo nomine Ariſtoteles quædam entia nominaverit: re autem vera inepta diviſio eſt.*

Deſunt enim multa. 1. Ens, *quod in Subſtantiam, & Accidens dividitur*. 2. Variæ ſpecies Subſtantiarum. 3. Accidens generatim. 4. Plures ſpecies Accidentium, *tum corporis, ut* quies; *tum ſpirituum, ut* cognitio, volitio, ſenſio: *quas expreſſe ponere deberet, quod non fecit*. 5. Vacuum, *quod, ut nihil cogites, tam exſiſtit, quam ſubſtantia: ille autem non niſi locum extrinſecum memorat*. 6. Prædicabilia quinque. 7. Entia moralia, & artificialia. *Immo & alia ex ipſius principiis deducta.*

Superfluunt alia. Relatio *enim non explicat modum exſiſtendi, qui res adficit, ſed comparationem a mente factam.*

Falſa & pugnantia habet. Nam refert longitudinem, & latitudinem, & pondus *ad* Quantitatem; *deinde* objecta ſenſuum *ad* Qualitates: *cum tamen* extenſio, & motus *incurrant etiam in* viſum; pondus, & motus *in* tactum: *adeoque* Quantitas *ſit ſimul* Qualitas. *Ut alia hujus generis flagitia omittam, quæ ſtatim ſe offerunt homini ſine anticipatione rem expendenti, ejuſque enarratores legenti, qui tam mire pro ea defendenda ſe torquent, tam varias, tamque incredibiles ſententias excogitant, ut explicari verbis non poſſit.*

quadrata poteſt exſiſtere: nam fieri poteſt rotundum, vel triangulare: & id nos vocamus *ſubſtantiam*. Contra *quadratura*, & *rotunditas* a nullo corpore eſſe poteſt, aut conſiderari ſeparata. Sed eſt aliquid, quod adjungitur corpori ſiu ſubſtantiæ, & cujus gratia ipſa dicitur vel quadrata, vel rotunda. Id autem vocamus *accidens*, ſeu *modum* ſubſtantiæ. Quod ſi *quadraturam* concipio ut modum proprium corporis, neceſſario me ducit in cognitionem corporis: & id vocatur *relatio*.

I.

Ideæ Subſtantiarum.

Ex dictis proximo capite fit manifeſtum, non habere nos ideam claram & diſtinctam *ſubſtantiæ*, ſed valde obſcuram. Nam ideæ, quas habemus, ſingularum ſubſtantiarum ſenſu adquiruntur. At ſenſus adtingunt tantum modos, qui ſubſtantiam ornant, ſubſtantiæ vero naturam non item. Propterea ſubſtantia ab aliis rebus nequit clare ſejungi.

E. g. *Ferrum* offert nobis ideam corporis cinericii coloris, gravis, duri, quod malleo tundi & extendi poteſt, & non niſi magno atque adſiduo igne funditur: quod rubigine conſumitur, & a magnete trahitur, & omnino eſt accommodatum ad corpora ſecanda. Nihil præterea ſcimus: [1] & quamquam conemur ferri naturam penitus cognoſcere, nihil efficimus. Verum hæc idea nihil aliud repræſentat, niſi modos ferri. Quis enim audeat dicere, aliud ſe, præter iſta, in ferro reperire?

Ergo idea *ferri*, quam habemus, eſt compoſita ex ideis adjunctorum omnium. Quia tamen certo ſcimus, adjuncta illa poſſe mutari, e.g. figuram quadratam in rotundam; tum colorem, ſi ferrum vel expoliamus, vel aëri exponamus; item fieri durius, & dividendis lignis accommodatius, quin ipſa natura ferri mutetur; colligimus, præter adjuncta, & proprietates, aliud in ferro eſſe, quod nos vocamus *ſubjectum*.

[1] *Alias* Ferri *proprietates Chemiæ præſidio exploratas habent Philoſophi*: *vide Boerhaav.* Chemia P.I. p. m.39. *Sed ne hæ quidem ullo modo naturam* ferri *aperiunt*.

rum, & *ſubſtantiam*. Quid vero illud ſit, & in quo ab aliis ſecernatur, neſcimus.

Itaque notio *ſubſtantiæ*, ut recte monet Lockius, eſt idea rei nobis, ſi verum fateri volumus, prorſus incognitæ, nec niſi idea nominis: quam tamen inepti quidam pro idea rei notæ nobis obtrudere non ceſſant: ſin liberaliter cum iis agere volumus, eſt idea rei obſcuriſſimæ, quam nos fingimus eſſe baſim, ut ita dicam, *accidentium*. Idea vero ſingularum ſubſtantiarum, ut *ferri*, & *ligni*, eſt idea compoſita ex ideis proprietatum omnium: cui jungimus ideam obſcuriſſimam cujuſdam rei nobis incognitæ, quam nos cogitamus habere tales proprietates. Quod ſignificat, nullam niſi obſcuriſſimam nos habere ideam ſubſtantiæ.

Quin Sacræ litteræ nihil ajunt præterea, niſi eſſe ſubſtantias incorporeas, e.g. animos humanos, & angelos: quid vero ſint, non explicant: uſque adeo ut ne ipſi quidem Theologi eodem ſenſu ea verba uſurpaverint. [1]

Male itaque philoſophantur, qui cenſent, ex iis, quas cognoſcimus, proprietatibus naturam rei plane cognoſci. Nam etſi non nullas proprietates noſcamus, pro certo adfirmare non poſſumus, nullas supereſſe proprietates, quæ nobis cognitæ non ſint. Quare ex proprietatibus, quas novimus, res alias ab aliis ſejungere poſſumus: & quo plures proprietates internoſcimus, eo magis ad cognitionem naturæ accedimus: id tamen longe diſtat a clara, & diſtincta, & multo magis, ab adæquata eſſentiæ ſeu naturæ perceptione.

II.

Ideæ Adjunctorum ſeu Modorum.

Ideæ vero earum rerum, quæ ſubſtantiam ornant, & a Philoſophis *modi*, ſeu *accidentia*, ſeu *adjuncta* nominantur, clariores aliis ſunt. Modi vel ſunt *interni*, vel *externi*. Interni, qui & *Phyſici* vocantur, ſunt, qui ſubſtantiæ ipſi adhæ-

[1] *Petavius adducit plures ex veteribus Patribus, qui cenſent, Angelos eſſe corporeos, vel ſaltim corpore, & ſpiritu conſtitutos: pravos vero Angelos eſſe corporatos.* Dogmat. Theol. De Angelis L.I. c.3.

adhærent, & ſine ea omnino eſſe non poſſunt: ut *curvitas* baculi, *albitudo* ſalis.

Quoniam vero ſubſtantiæ ſunt dupliciter, corporeæ, & non corporeæ ſeu ſpirituales, etiam modi Phyſici duplicis generis ſunt. Modi ſubſtantiæ corporeæ ſunt, *figura*, *motio*, ceteri: ſpiritualis ſunt, *cognitio*, *appetitio*, *dolor*, *voluptas*, ceteraque.

2. Externi modi, qui & *Morales* nominantur, ſunt, qui non ipſi ſubſtantiæ adhærent, ſed a nobis concipiuntur quaſi eſſent in ſubſtantia: ut cum dicimus, *eſſe rem volitam*, *eſſe odio habitam*.

Hi translate appellantur *modi ſubſtantiæ*: quia potius ſunt adfectiones animi noſtri, quam externæ rei, cui tribuuntur. Vocantur autem *morales*, propterea quod ex hominum moribus, & communi conſenſu hujuſcemodi appellationes ſumuntur. e. g. Cum homo agit aliquid ſecundum legem, aut communem hominum exiſtimationem, hæ actiones vocantur *juſtæ* & *bonæ*: ſecus, vocantur *malæ* & *vitioſæ*.

3. Eſt aliud genus modorum, qui, etſi reſpiciendo ad rem, cui junguntur, ſint accidentia, re ipſa ſunt ſubſtantiæ. e. g. *Veſtitus* eſt accidens, ſi eum refero ad corpus meum: reapſe vero eſt ſubſtantia, quia poteſt eſſe ſine ſubjecto corpore. Eodem modo *lux*, & alia hujuſmodi.

Modi autem vel ſunt *ſimplices*, vel *compoſiti*. Simplices ſunt plures ex Phyſicis. Compoſiti ſunt aliqui Phyſici, & omnes Morales.

III.

Ideæ Relationum.

Jam cum rem aliquam ita conſidero, ut ejus conſideratio ad alterius conſiderationem neceſſario me ducat, denominatio, quæ id exprimit, & objecto tribuitur, ac ei veluti adhærere fingitur, vocatur *relatio*.

E. g. Cum cognoſco Petrum ut in ſe eſt, hæc dicitur idea Petri. Sin autem eum mente refero ad patrem, & animadverto, *Petrum eſſe filium Paulli*; hoc nomen *filius* eſt *relatum*: denominatio *filii*, quæ Petro adhærere fingitur, eſt *rela-*

relatio : cognitio, quæ percipit, Petrum eſſe filium Paulli, eſt *idea relationis*.

Hinc *relatio* non eſt aliqua res, quæ creetur, & in objecto ſit: ſed eſt appellatio, quæ alicui rei tribui poteſt, ſi modo adſit cauſſa in ipſa re. Clarius: eſt merum *nomen*, & *appellatio*, & *denominatio* [hæc reapſe idem ſunt] quod nomen, poſita illa circumſtantia, fingitur adhærere in objecto, & id ad aliud neceſſario ferre. Quare ſi nomen in ſe conſideratur, vocatur *relatum*: ſi dum ei in mente plures ideæ reſpondent, *idea relationis* ſeu *relata* [complexa, & lata acceptione: nam re eſt judicium] ſi dum objecto adhærere fingitur, illudque ad aliud referre, *relatio*. Reapſe vero nec adhæret, nec refert: ſed mens eſt, quæ refert, & fingit adhæſitationem, poſita circumſtantia, ſeu fundamento *relationis*.

Id eodem exemplo facile demonſtratur. Cogita Paullum, & Petrum, neſciens illum eſſe generantem: nihil vides cur illum *patrem*, hunc *filium* voces. Cogita nunc actionem, qua Paullus genuit Petrum: jam cauſſam habes cur illum ad hunc mente referas, & hanc actionem mentis referentis declares vocabulo *pater*, quod plures ideas ſignificat, nempe *generantis alium*. Quid, quæſo, Paullus generans novi reapſe accepit cur feratur ad filium? nihil omnino, ſed eſt idem, qui ante: immo actio illa generandi, quæ cauſſam referendi dedit, modus erat, qui amplius non eſt. Itaque non ille a ſe ipſo refertur: ſed mens noſtra eſt, quæ refert, & fingit, ideam illam complexam, & illud nomen *patris* adhærere Paullo, *filii* vero Petro. Vere ille quidem dicitur *Pater*, quia vere fuit generans: at non ſe ipſo vere refertur ad filium, ſed confictione quadam Logica. Hanc autem confictam adhæſitationem ad objectum vocant Scholaſtici *denominationem*, & *relationem*: nomen, & ideam non item. Meræ nugæ: nam illa adhæſitatio eſt commentum: & ſolum nomen, ac idea complexa eſt *relatio*. Tolle mentem omnem referentem, tolle nomina relata, relationes omnes ſuſtuleris. [1] Quod tironem monitum volumus, ne decipiatur a copio-

[1] *Doctrina hæc noſtra tam evidens eſt, ut non nulli Scholaſticorum id ingenue profeſſi ſint. Quos vide apud Fonſecam* Metaph, L.V. c.7. q.6. ſect.3.& 4.& cap.15. q.1. ſect.1.

copioſis diſputationibus, quas vulgares Logici inſtituunt: quæ ſi ad hanc explicationem revocantur, nihil aliud ſunt niſi mera verba. [1]

Porro nulla res eſt, quæ non poſſit eſſe fundamentum *relationis*: poſſumus enim rem quampiam tot tamque differentibus modis conſiderare, ut non ad unam modo, ſed ad plures alias referatur.

E. g. Res omnes, quæ in Mundo ſunt, generali nomine *creaturæ* continentur. En relatio: nam iſtud nomen me ducit, ut obſcure cognoſcam *creatorem*: nec enim creatura ſine creatore aut eſſe, aut intelligi poteſt. Item unumquodque animans vel eſt *pater*, vel *filius*: unaquæque res vel eſt *ſimilis*, vel *diſſimilis* alteri. Proinde nulla res eſt, quæ nobis non det occaſionem, cur plurimis vocabulis relatis, ſeu relationibus adficiatur. [2]

Corollarium.

Hinc de ideis relatis nihil adfirmari, aut negari poteſt, niſi, quale ſit fundamentum relationis, prius expendatur.

E.g. Albertus Magnus fuit magnus naturæ perſcrutator, magnuſque Philoſophus, ſi cum illis comparetur, qui a VI. Eccleſiæ ſæculo uſque ad XIII. floruerunt. Sin autem cum Boyleo, Leeuvvenoekio, Hombergio, Muſſchenbroekio, Hookio, Boerhaavio, ceteriſque proximi, & præſentis ſæculi Philoſophis conferatur, nullus fuit. Quare niſi prius definiamus, qualis ſit terminus *relationis*, temere & inſcite aliquid conſtituemus.

[1] *Hæc de creatarum rerum relationibus dicta ſunto. Nam de mirabilibus relationibus Divinarum perſonarum, quæ infinito intervallo ab his diſtant, in Theologia erit dicendum.*

[2] *De* Relationibus *largiter diſputavimus in* Metaphyſica L.IIII. cap.4. §.2.

CAPUT V.

De aliis ideis referendo ad objecta, h. e. de ideis Singularibus, Particularibus, Univerſalibus.

QUidquid autem nos exſtare percipimus, vocamus *ſingulare* ſeu *individuum*: e.g. hoc conclave, in quo ſcribo, hic Petrus, quem video, ſunt *individua*. Etenim hoc conclave talia adjuncta habet, quæ faciunt ut ſit hoc conclave tantum; ut nihil aliud adjungi queat, dum eſt hoc conclave. Si enim conclavi *quadrato* poſſet addi *rotunditas*, jam non eſſet hoc conclave, ſed aliud. Ita ſi Petro huic poſſet adjungi aliquid vel minimum eſſentiale, quod antea non haberet; non eſſet hic Petrus, & individuum, ſed aliud.

Itaque collectio omnium proprietatum, & modorum, quibus hæc res conſtat, non alia, cauſſa eſt cur Petrus ſit hoc individuum potius, quam aliud. Adeoque notitia *individualis* eſt, quæ repræſentat omnes modos rei: ſeu, quod idem eſt, repræſentat rem exſiſtentem, & omnino ab alia ſecretam. [1]

Jam vero *individua* ipſa, tametſi proprietatibus, & modis differunt, in quibuſdam ſimilia ſunt.

E.g. Petrus, Paullus, Franciſcus, ceteri vel ætate, vel ſtatura, vel facie, vel veſtitu, vel alia re differunt: in hoc tamen ſunt ſimiles, quod corpore animali, & mente ſunt præditi, id eſt ſunt homines. Propterea eos ad claſſem quamdam revocamus, quam nomine *hominis* diſtinguimus; Hæc

[1] *Cognitio individuorum, ut Petri, Paulli, Franciſci, ſenſibus comparatur. Cum vero ſenſus non cognoſcant peculiarem fabricationem, & ſejunctionem uniuſcujuſque individui; fit conſequens, nos hoc tantum cognoſcere, exſtare individuum: quid vero individuum ſit, non cognoſcere. Tantum videmus*, ſingularem conjunctionem plurium adjunctorum *ſecernere hoc individuum ab aliis: & hoc facere, ut unum amemus, aliud fugiamus. Quænam vero ſit illa conjunctio, explicare non poſſumus. Quare, qui de* principio individuationis *anxie diſputant, amant loqui de rebus, quas non intelligunt.*

Hæc autem claſſis vocatur *ſpecies*. Proinde *ſpecies* nihil aliud eſt, quam *ſimilitudo individuorum*.

Quod ſi plures *ſpecies* conſideramus, in quibuſdam proprietatibus differunt, conveniunt tamen perpetuo in aliis. Hæc autem *ſimilitudo ſpecierum* dicitur *genus*.

E. g. Omnes homines unam claſſem, ſeu ſpeciem animalis faciunt, leones aliam, aliam boves: & harum quælibet peculiarem notam habet, cur ab alia ſejungatur: tamen in hoc conveniunt omnes, quod *vivant*, & *ſentiant*: quæ duo *animalis* nomine ſignificamus.

Eodem modo *duorum generum ſimilitudo* vocatur *ſpecies ſubalterna*: donec ad primam ſubſtantiam perveniamus. Sed hæc ex paradigmate aliquo, quibus Logici abundant, fient clariora.

Corollarium I.

Hinc ideæ Generis, *&* Speciei *ſunt univerſales*.

Nam univerſale illud vocamus, *quod eſt commune cum multis*. Vocabulum *homo* poteſt aptari plurimis hominibus: idea etiam, quæ huic vocabulo reſpondet, plures res ſimiles exprimit. [1] Id ipſum de *animali* dicemus.

Corollarium II.

Hinc ideæ univerſales fiunt a mente noſtra abſtractione & præciſione.

Nam ſpecies tunc fit, cum, omiſſis & veluti mente præciſis ſingularibus uniuſcujuſque individui modis, ea tantum conſidero, in quibus ſunt ſimilia. Quæ cognitio hac de cauſſa vocatur Logicis *idea abſtracta*, & *præciſa*: nec tamen deſinit eſſe *clara*.

Corol-

[1] *Intellige: primo intuitu, & ex vulgi opinione. Philoſophis vero certum eſt, nec vocabulum* homo, *nec* ideam, *quæ illi reſpondet, eſſe univerſalem, niſi voce tenus. Quidquid enim in mente eſt, per ſenſus ingreditur, & ſingulare eſt: ut ſupra diximus c.3. & 4. & in* Corollariis *ſeqq. fuſius explicabitur*.

Corollarium III.

Hinc nullum exſtat univerſale re ipſa.

Nam nulla exſtat res, quæ ſit communis cum multis individuis. Natura enim Petri non eſt in Paullo: & e converſo illa Paulli non in Petro, ſed tantum quædam huic ſimilis: Exſtant igitur dumtaxat individua, quorum ſimilitudo in cauſſa eſt, cur ideas univerſales, ſenſu vulgato, eliciamus.

Corollarium IIII.

Hinc idea Individui *plus exprimit, quam idea* Speciei: *Hæc vero plus, quam idea* Generis.

Nam *individuum* exprimit rem eo modo, quo exſiſtit: h.e. ornatam omnibus proprietatibus: *ſpecies* exprimit prædicata, in quibus ſunt ſimilia; miſſis aliis, per quæ differunt: *genus* vero minus adhuc exprimit. Illud autem, quod additur, vocatur *differentia*. Sic *rationabile* eſt differentia hominis a bellua: collectio autem proprietatum Petri [Scholaſtici eam vocant *Petreitatem*] eſt differentia Petri a Paullo.

Corollarium V.

Hinc Species *de* Individuo *adfirmari poteſt*: Genus *etiam de* Specie: *non contra.*

Nam cum *Petrus* plures ideas comprehendat, quam *homo*, vere dico, *Petrus eſt homo*: quod valet, *in Petro dantur prædicata ſimilia aliis hominibus*. Male tamen dicam, *Homo eſt Petrus*: quod ſignificat, *prædicata, quæ Petrus habet ſimilia aliis hominibus, conſtituunt integrum individuum, quem vocamus Petrum*: quod eſt falſum. Eodem nomine bene enuncio, *Homo eſt animans*: male vero, *Animans eſt homo*. Et de his hactenus. [1]

1. Quod

---

[1] *Hæc in præſentia indicare ſatis fuerit: nam largior explicatio dabitur Libro* IIII. *p.*1. *c.*2. *ubi de* Propoſitionibus *agemus*.

I. Quod ſi a me quæritis, Adoleſcentes, quare, etiamſi nulla *idea* habeat objectum univerſale, tamen appelletur *univerſalis*; dicam ſic vocari, non quia re ita ſit, ſed quia ita eſſe videtur. Id aliquo inluſtrabimus exemplo.

1. Cum conſidero, Petrum in hoc eſſe ſimile aliis hominibus, quod *ſentiat*, *&* *ratiocinetur*; &, quin memorem alias proprietates, hæc duo vocabulo *homo* ſignifico, facio ideam univerſalem *hominis*. Hæc autem idea habet objectum ſingulare: nihil enim non ſingulare per ſenſus ingreditur. Veruntamen quia cogitans Petrum, Paullum, Joannem, poſſum talem ideam elicere, tamque ſimilem priori ideæ *hominis*, ut videatur eadem idea; & inter diſputandum vel in Logica, vel Phyſica de omnibus hominibus ſic loquor, quaſi eſſet unus homo; proinde inprudenter mihi perſuadeo, eſſe unam rem, adeoque univerſalem.

2. Cum in *malo* e. g. præſidio microſcopii exploro, quonam pacto ſuccus e terra extractus per canales quoſdam ingrediatur, percoletur, donec tamdem in ſubſtantiam arboris & fructus cedat, fingo ideam talem, qualem effingere poſſum pruni, palmitis, ceterarum. Itaque quod ad Phyſicam inveſtigationem pertinet, perinde ſe habent omnes arbores, ac ſi eſſet malus tantum: & de iis, propter ſimilem fabricationem; eadem diſputamus. Quare unaquæque harumce idearum habet objectum reapſe ſingulare: nobis tamen inprudentibus, ac præcipitanter judicantibus videntur omnes, idem objectum habere, ſeu univerſale.

3. Jam ſi in Petro id tantum cognoſco, in quo eſt ſimile leoni, bovi, pecudi; h. e. ſi mente percipio tantum eum & *vivere*, *&* *ſentire*; exprimo ideam univerſalem *animantis*: h. e. ideam, quæ habet objectum ſingulare, ſed tam ſimile aliis, ut videatur idem objectum, & univerſale. Ex his autem fluit ſequens

COROLLARIUM.

Hinc ad ideam univerſalem plura individua cognoſcere neceſſe eſt.

Nam etſi aliquis homo primo mihi veniat in mentem, oportet mentem meam alia individua veloci cogitatione percurrere. Secus non advertet, tale prædicatum eſſe univerſale,

ſale, h. e. ſimile aliis. Nam fieri non poteſt, ut animadvertam rem unam eſſe ſimilem alteri, cum tamen nulla habeatur, cui ſimilis ſit.

Neque opus eſt, ut ſingula percenſeam nominatim, cum id ad rem aliquam adſimilandam inportunum ſit: mens enim velociſſimo curſu luſtrat omnia. En exempla.

1. Cum legimus ſcriptum aliquod, videmur nobis ſingula vocabula unica perceptione intelligere: quod ſecus eſt. Nam ſi rem diligentius conſideramus, perſpicue cognoſcemus, non modo ſingulis litteris, quæ in quolibet vocabulo continentur, ſed ſingulis intervallis litterarum ſingulas perceptiones reſpondere. Adeo ut dum putamus, nos unam perceptionem tantum habere, decem, aut quindecim continenter menti noſtræ ſe offerant.

2. Cum audio vocem *Rex*, *Sacerdos*, *Pater*, videor mihi unam rem tantum cognoſcere: quod non ita ſe habet. Nam cum hæc vocabula ſint relata, non poſſum ſignificationem intelligere, quin Regem ad ſubditos, Sacerdotem ad rem divinam, Parentem ad filios referam. Tamen vix eſt, qui ſibi perſuadeat, ſe tot objecta uno ictu oculi percipere. Cauſſa eſt, quia tam celeriter id conficimus, ut mens noſtra rapidiſſimo ſuo curſu acta ne advertat quidem: nec imago eorum, quæ cognovimus, in animo noſtro alte defixa inpreſſaque eſt.

II. Eadem ratione nullum eſt *Nomen* re vera univerſale. Nam cum dico, *Petrus eſt homo*, *Paullus eſt homo*, *Franciſcus eſt homo*, videor mihi idem nomen de tribus individuis enunciare: quod multo aliter ſe habet. Nam tria nomina ſimilia, id eſt, quæ ſimilem oris conformationem in proferente poſtulant, & ſimilem adfectionem in audientis aure movent, & ſimilem ideam in eo, qui audit, ſuſcitant, dumtaxat protuli. Tam ergo eſt poſſibile, ut in tribus illis propoſitionibus idem nomen enunciem, quam eſt poſſibile, ut tria individua ſint unum individuum. Quare nomen *homo* videtur eſſe idem, & univerſale, propterea quia tam eſt ſimile alteri nomini *homo*, *homo*, ut nemo illud ſecernere queat: nec niſi ex differentia temporis, ac ex aliis circumſtantiis dignoſci poſſint.

Corollaria Generalia.

I. *Hinc refutatur Plato, qui magno verborum ambitu perſuadere conabatur, eſſe quaſdam ſubſtantias intelligentes, a Deo emanantes, & ab eo diſtinctas, ac a ſingularibus diverſas, æternas, univerſales, rerum ſenſilium exemplaria, quarum participatione res ſenſiles exſiſtunt.* [1]

II. *Refutantur Semiplatonici ſeu Eclectici, qui, ut Platonem ab irriſione liberarent, eaſdem naturas, & ideas* hominis, equi, bovis; *tum etiam* boni, pulcri &c. *diverſo modo æternas, & univerſales faciebant.* [2] Hæc enim omnia ſunt fabulæ, ut ex dictis eſt manifeſtum.

III. *Rejiciuntur Scholaſtici, qui exiſtimant, eſſe aliquam naturam univerſalem, de qua ad faſtidium uſque diſputant in ſcholis.* [3]

Hi enim ex nimio uſu idearum abſtractarum, quæ in acceptione vulgari habentur univerſales, facile ſibi perſuaſere, *earum objecta vere eſſe univerſalia*. Deinde cum viderent, eadem nomina rebus ipſis haud inepte tribui, in aliam ſententiam ivere, *non plus eſſe in objecta re, quam vocabula declarant*. Proinde quaſi naturas rerum liquido cognitas habe-

[1] *Ariſt.* Metaph. L. XIII. c. 4. *qui* Poſter. L.I. c.19. & Metaph. I. c.7. *eas* nugas canoras, & inanes cantiones *appellat*.

[2] *Vid. Euſtratius* in Ariſtot. Ethic. ad Nicomach. *L. I. c.* 4. & *Petavius*, Theolog. Tom.I. L. IIII. c.9. & 10. & *Bruckerus*, Hiſt. Philoſ. de Ideis. Sect.1. §.2. 5. 6. 9. Auguſtæ 1743. 16.

[3] *Reales a ſæculo X. in hac ſententia fuiſſe, ut exiſtimarent, ideas univerſales vel eſſe ſubſtantias exſiſtentes in ſingularibus, vel ideas Platonicas, vel formas inmerſas in materiam, ut cenſet Ariſtoteles, vel ſtatum rei Phyſicum cum Logica notione confuſum, copioſe demonſtrat Joan. Sareſberienſis ſcriptor ſæculi* XII. Metalogici L. II. c. 11. *Reales enim partim ad Platonicos, partim ad Ariſtotelicos pertinebant; Nominales vero ad Stoicos. Confer idem Brucker. l. c. p. m.* 218. *ſeqq. Quid vero recentiores Scholaſtici de hoc argumento diſputent, nemini ignotum eſt.*

haberent, multa & intoleranda dixere, quæ vel tiro quiſque oculatus futilia eſſe animadvertet.

Exemplum ſit, *Diviſio rei univerſalis in* v. *Prædicabilia*: [1] de qua ſine ullo ſine diſputatur, quaſi re vera eſſent quinque res, quibus talia nomina poſſent adſcribi. Quæ enim dicunt de quatuor primis Prædicabilibus, ex hoc fonte oritur: *Intelligere ſe, qualis ſit natura hominis, belluæ, cetera*. Quod ſine ulla dubitatione eſt falſum. Nam Philoſophi quantumvis oculati proprietates quaſdam rerum tantum cognoſcunt, eſſentiam non item: nec niſi temere dicent, eſſe hoc potius, quam illud. [2] Quod ei, qui celebres perſcrutatores naturæ hujus, & ſuperioris ſæculi pervolverit, manifeſtum erit.

Cavete igitur, Adoleſcentes, ne putetis ea, *quæ abſtracte dicuntur, reapſe ita ſe habere*. Nec vobis perſuadeatis, *comparare vos poſſe adæquatas ideas rerum, quæ in orbe terræ ſunt*: utrumque enim falſum eſt. Sed rem quamque ſuo merito exiſtimate: nec aliquid dijudicetis, quin prius ſumma animi contentione diſquiratis, utrum res eo modo ſe habeat, an ſecus.

[1] *Conferat, qui plura cupit, quæ de* Quinque Prædicabilibus *in vulgatis Logicis traduntur: a quibus nos abſtinere commodius duximus*.

[2] *Evidens eſt, ſermonem eſſe de proprietatibus notis, quæ ex eſſentia ſeu natura fluunt: quæ proprietates cum totam eſſentiam non faciant; falſo conſtituunt Peripatetici,* hanc eſſe totam eſſentiam, illam differentiam Phyſicam Hominis: *nam differentia eſt re ipſa eadem eſſentia, quam ignoramus. Hæc ut occurramus erroribus vulgatis: nam ad uſum Logicum ſatis ſint, quæ ſupra docuimus. Sed hæc fuſius expoſuimus in* Metaph. L.IIII. *c.*2. *&* 3. *pag.*119. *ſeqq.*

LIBRI TERTII,
PARS ALTERA
DE
IDEARUM SIGNIS
CAPUT I.
De natura, & utilitate, ac uſu Vocum.

CUM Deus hominem finxerit ad ſocietatem; humana autem ſocietas ſtare non poſſit, niſi homines, quæ in animo cogitant, ſibi invicem monſtrent aperte; oportuit modum inſtituere, quo perceptiones mentis veluti e domo ſua foras prodirent, & aliis manifeſtarentur. Ad hunc finem conſequendum nihil aptius pulcriuſque reperiri potuit, quam cogitata noſtra ita humanis vocibus alligare, ut, iis auditis, quæ alii concipiunt in animo, plane perciperemus. Cum enim tanta ſit facilitas voces pronunciandi, quantam nos intelligere quodammodo poſſumus, explicare non poſſumus; nulla excogitari poterat accommodatior via ad infinitam perceptionum copiam, incredibilemque percipiendi celeritatem declarandam, quam voces, quæ & infinitæ propemodum ſunt, & innumeris pæne modis fingi poſſunt, & moderari.

Veteres de origine ſermonis deliria multa cogitarunt. Fuere, qui dicerent, homines infantes natos, neceſſitate, quæ cupiebant, quærendi, quoſdam ſonos edidiſſe. [1] Alii autem

[1] *Epicurei: audiatur pro omnibus Lucretius:*
„ At varios linguæ ſonitus natura ſubegit

„ Mit-

autem adfirmarunt, primos homines a Deo habuiſſe, ut vocabula quædam proferrent, quæ natura ſua res ſignificarent. [1] Poſtremo alii copioſe diſputarunt de Adami lingua, quoque modo ex pauciſſimis vocabulis ad tantam amplitudinem pervenerit. [2]

Verum hæc refutatione non indigent. Nam quod ad primas ſententias adtinet, conſuetudo cum infantium, tum eorum, qui, ſurdi ſunt, pro confutatione eſt: hi enim omnes, niſi loqui audiant, non loquuntur. Nec illud tertium de Adamo diſputationem habet: quo enim modo vocabula rerum habuerit ille, neſcimus. [3] Iccirco iſtis inutilibus ſuperſedemus, & venimus ad utiliora.

„ Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum. &c. *L. V. de Rer. Natur. v.* 1027. *Conf. Diodor. Sicul. L. I. &* *Horat.* Serm. L. I. Satyr. 3. ver. 99. ſeq.

[1] *Eſt in hac ſententia Cratylus apud Platonem, qui ſic loquitur*: Ὀνόματος ὀρθότητα εἶναι ἑκάστῳ τῶν ὄντων φύσει πεφυκυῖαν.... ἀλλ' ὀρθότητά τινα τῶν ὀνομάτων πεφυκέναι, καὶ Ἕλλησι, καὶ βαρβάροις τὴν αὐτὴν ἅπασιν. *h. e.* „ Rebus ſingulis ineſſe rectam quamdam nominis rationem... Sed eamdem omnibus & Græcis, & Barbaris eſſe nominum rationem, eamque natura eſſe conſtitutam. „ *Plato* in Cratylo init. Tom. I. pag. 383. edit. Serrani. *Et iterum pag.* 425. *hæc habet*: ὅτι τὰ πρῶτα ὀνόματα οἱ θεοὶ ἔθεσαν, καὶ διὰ ταῦτα ὀρθῶς ἔχει: *h. e.* Deos prima nomina inpoſuiſſe, & hac de cauſſa recte illa eſſe inſtituta.

[2] *Rich. Simon.* Hiſt. Critic. Veter. Teſt. *L. I. c.* 14.

[3] *Viri non nulli docti argumentis demonſtrarunt, Adamum niſi loqui audiſſet, aut Deus illi manifeſtaſſet alio modo, habere eum facultatem loquendi, numquam locuturum: quod experientia in ſurdis oſtendit. Quare exiſtimant veriſimile eſſe, rem tali modo eveniſſe, ne miracula ſine ulla neceſſitate ponantur. Deinde ſuſpicantur, Deum permiſiſſe, ut arbitratu ſuo ſonos uniret, & iis deſignaret unamquamque rem: quæ poſtea vocatæ ſunt illo modo, quo Adamus vocavit. Colligunt id ex illo Geneſ.* II. *v.* 19.

ויבא אל האדם לראות מה־יקרא־לו וכל אשר יקרא־לו האדם
נפש חיה הוא שמו : ויקרא האדם שמות לכל הבהמה :

id eſt: Et adduxit ad ipſum hominem, ad videndum quid voca-

Id ergo certum eſt, hominem facultatem habere ſonos rore aticulatos edendi: quod tali modo fit. A poſtrema parte linguæ ad pulmones proteuditur canalis quidam, quam *aſperum arteriam*, ſeu *tracheam* vocant. Hæc prope linguæ radicem amplior eſt, & membrana tegitur, quæ vocatur *larinx*, cujus exiguum oſtium ſeu rima nominatur *glottis*. Porro glottis cartilaginibus, & muſculis obvolvitur, tali virtute præditis, ut eam vel laxare queant, vel reſtringere. Aer itaque per tracheam intrans pulmones [qui follis inſtar tum inſpirando dilatantur, tum reſpirando contrahuntur] cum inde exit, & in glottidis cartilagines incurrit, ipſius membranulas concutit, & tremorem quemdam ſeu fremitum edit. Hunc autem fremitum, ſeu ſonum, qui tantum ex vocalibus conſtat, lingua noſtra articulatum facit, h. e. ex conſonantibus, & vocalibus compoſitum, ſeu per ſyllabas diſtinctum: dum verſus palatum, aut nares, aut dentes aerem impellit: dum eum continet, vel quodammodo fluere permittit: aliis & aliis modis fingit & moderatur. En vox humana, ſeu verba. [1]

Quod ſi lingua fremitum illum non fingit, *inarticulata* vox dicitur, ut ſunt *ſuſpiria*, & *gemitus*: qui quoſdam animi adfectus ſe ipſis ſignificant: de quibus in præſentia non diſputamus.

Voces autem articulatæ ſunt ſigna rerum, ad quas ſignificandas adhibentur. Nam ſignum eſt, *quod præter ſui ideam excitat in animo ideam alterius rei*. Vox autem *Alexander Macedo* excitat in mente ideam Alexandri Magni.

Jam plures ſunt res, quæ in nobis excitant ideam alterius rei. Quædam natura ſua veluti effectus aliam rem revo-

---

vocaret illud: & omne quod vocavit illud homo animæ viventis, hoc nomen ejus: & vocavit homo nomina omni animali. *Et hic eſt ſenſus verborum Moyſis: non vero ille, quem alii fingunt cum dicunt, Adamum ea nomina impoſuiſſe, quæ plane explicarent naturas uniuſcujuſque animalis: quod nec in textu habetur, nec ex eo deducitur.*

[1] *Plura alia phænomena, dum vocem edimus, evenire, viri docti demonſtrarunt. Qui ea penitus noſcere cupit, legat doctiſſimum Ammanum*, de Loquela, edit. ann. 1727. *qui vel ſolus in hoc negotio audiri meretur.*

Digitized by Google

revocant ad mentem, eamque ſignificant; ut *fumus* ſignificat *ignem*. Hæc vocantur ſigna *naturalia*. Alia vero ab hominum arbitrio habent, ut rem ſignificent: e. g. *ramus* in caupona *vinum* ſignificat: *laurea* in capite hominis, *triumphum*. Vocantur hæc ſigna *arbitraria*.

Præterea idem ſignum plures res diverſo modo ſignificare poteſt. Nam *ramus olivæ* natura ſignificat & *pomum*, & *arborem*: tamen in porta cauponæ ex conſtitutione hominum ſignificat etiam *vinum*. Deinde idem nomen & ſigno, & rei ſignificatæ tribui poteſt: e. g. *imago Joannis V.* quæ in nummis aureis fingi ſolet, vocatur *Joannes V.*

I. *Hinc fit manifeſtum, voces eſſe* ſigna arbitraria *rerum, ad quas ſignificandas conſtitutæ ſunt*.

Id manifeſto conficitur ex linguarum, quæ in orbe terræ ſunt, varietate. Voces enim, quæ Luſitanis aliquid ſignificant, Gallis, & Germanis vel nihil ſignificant, vel aliud diverſum. Immo in eodem regno, provincia, & urbe, voces aliud & aliud pro lubitu hominum declarant.

Sunt voces, quæ, ſi proprie accipiantur, verecunde dicuntur: quæ ab aliis prolatæ, vel alia occaſione obſcene ſonant. [1] Sunt, quæ in uſu ſunt apud plebem, quas politi homines & urbani non intelligunt. Sunt, quæ Aulicis; quæ Philoſophis, quæ Poetis, quæ aliis diſciplinarum profeſſoribus familiares ſunt, quas, qui illa munera non tractant, vix percipiunt. Si tabernas, ſi officinas quaſque curioſe percurras, audies vocabula, quæ, ut linguæ vernaculæ peritus ſis; vel numquam audiſti, vel aliud ſignificare exiſtimaſti. Si vetera monumenta tuæ linguæ legas, vocabula offendes, quæ jam obſoleta ſunt, & fortaſſe non intelliges. Adeo verum eſt, vocum ſignificationem ab hominum conſtitutione pendere.

II. *Hinc voces ſunt etiam* ſigna arbitraria *perceptionum, quæ ipſis rebus reſpondent*.

E. g. Mater coram infante pronuncians vocem *feles*; digitum frequenter intendit in felem. Puellus initio non niſi ideam vocis habet; adſuetus tamen vocem non audire,

 quin

---

[1] *Leg. Cicero*, epiſt. Famil. L. IX. epiſt. 22. ad Pætum, *qui hæc accurate exponit*.

quin ſimul felem adſpiciat, ita in memoria conjunguntur idea *vocis*, & idea *felis*, ut una audita alia ſtatim objiciatur: idque tam velociter, ut videatur habere ſe ideam felis tantum, non vocis. Procedente ætate, & cum puer jam intelligit, quid ſit cognitio; audiens vocem *feles*, non ſolum cognoſcit felem, ſed etiam cognoſcit, eum, qui profert, habere ideam felis.

Itaque audita voce *feles*, triplex idea animo obverſatur: idea *ſoni*, ſecerno etenim illum ſonum ab alio: idea *felis*, intelligo enim de fele eſſe ſermonem: & idea *notionis*, quam habet ille, qui loquitur; nam certo ſcio, eum, qui mecum loquitur, habere ideam felis. Hæc tria vox quælibet ſignificat. Quoniam vero de fele præſertim eſt ſermo, & hunc præcipue volumus ſignificare, iccirco per errorem exiſtimamus, hanc vocem *feles* ſignificare felem dumtaxat.

Eodem modo cum linguam peregrinam addiſcimus evenit. Nam præceptor docet, vocem *donna* Italis ſignificare vocem *mulier*: idque memoriæ mandatur, & veluti quodam nexu hæ ideæ copulantur. Hinc audita voce *donna* [præter ideam ſoni] ſtatim objicitur idea vocis *mulier*: deinde objicitur idea *rei ſignificatæ*, nempe mulieris: tertio loco occurrit idea *notionis*, quam habet, qui vocem edit. Ergo quatuor ideæ occurrunt menti. Quod evidens ſit in iis, qui peregrinum idioma non dum arripuerunt: hi enim plane cognoſcunt, ſe has quatuor ideas habere. Quia tamen finis eſt, rem tantum cum aliis communicare; ideo reliqua non curamus, tantum dicimus, audita voce *donna*, ipſam mulierem ſignificari.

Quod ſi pro vocibus *ſcriptura* utimur ad res ſignificandas, eadem idearum ſeries obverſatur menti. Conſtituerunt Itali, his litteris *d*, *o*, *n*, *n*, *a*, notare ſonum, quem edimus, cum dicimus *donna*. Itaque cognitis litteris ordine poſitis, primum occurrit menti idea complexa litterarum: id eſt, quinque ideæ litterarum: deinde obverſatur idea vocis *donna*, cujus loco ſcriptura illa utimur: tum idea occurrit ipſius mulieris: poſtremo objicitur idea notionis, quam habuit ille, qui vocem ſcripſit. Cum tamen præcipuus ſcripturæ, ut vocum, finis ſit, rem ſignificare; propterea per inprudentiam exiſtimamus, ſcriptura unum

Digitized by Google

unum tantum ſignificari: quamvis, ſi rem curioſius exploramus, multo plura menti noſtræ ictu oculi objiciantur.

Scriptura igitur, ut vox, & rerum, & idearum *arbitrarium ſignum* eſt, idque vel ſcriptura conſtet characteribus communibus, vel hieroglyphicis & figuris: qui mos erat Aegyptiorum, ut etiam nunc Romæ videmus in Obeliſcis, qui hoc characterum genere depicti ſunt.

III. *Hinc voces [idem de ſcriptura dicendum eſt] non ſolum ſunt ſigna rerum, & perceptionum, ad quas demonſtrandas inſtitutæ ſunt; ſed etiam aliarum rerum, quæ ex more gentis, & linguæ cum illis ſunt conjunctæ: quæ plerumque ſunt adfectus animi.*

E. g. Hæc vox *mentiris*, ſi proprie accipiatur, nihil aliud ſignificat, quam *aliud ſentis, aliud dicis.* Adtamen homines huic voci ideam alligarunt hominis *præ ſe contemnentis eum, cum quo loquitur, eumque contumelia adſicientis.* Quæ *ſecundaria* ſignificatio nominatur.

Hæc autem ſignificatio *ſecundaria* interdum ipſi voci eſt alligata, interdum non item: ſed vel geſtui corporis, vel oris conformationi, vel ipſi vocis intentioni & remiſſioni, vel contextui ſermonis, loco, tempori, ceteriſque adjunctis. Quare qui hujuſmodi verba alio geſtu, aliiſque adjunctis profert, nihil incommodum, aut intolerabile pronunciat.

Ex quo apparet, verba, ſi *primariam* ſignificationem reſpicimus, obſcena non eſſe: nulla enim res licet turpis eſt, quæ non aliquo honeſto vocabulo poſſit explicari. Quod ſi voluntatis propenſionem, quæ tali verbo *ſecundo loco* ſignificatur, perpendimus, vel honeſta, vel inhoneſta vox eſt. Nam ſi ita rem ſignificat, ut ſimul indicet, hominem non niſi coactum talia nominare, eaque verba uſurpare; honeſta vox putatur: id enim probi homines, & urbani faciunt. Secus, fœda eſt & de trivio.

Etiam & illud eſt manifeſtum, cur ſermo omni figurarum varietate ornatus multo magis, quam ſimplex, efficax ſit ad aliquid conficiendum, & animos, quo Orator velit, flectendum. Nimirum verba illa per tropum uſurpata adfectus loquentis varios declarant. Qui proinde occulta, ſed efficaci quadam ratione ſimiles adfectus in iis, qui audiunt, excitare ſolent.

COROL.

COROLLARIUM I.

Hinc voces nihil amplius ſignificant, niſi quod ille, qui loquitur, mente concipit. Quod etiam de ſcriptura dicendum eſt.

COROLLARIUM II.

Hinc eadem vox apud diverſos homines non ſemper eamdem ideam ſignificat.

COROLLARIUM III.

Hinc verba non ex noſtris ideis interpretari debemus; ſed ex ideis eorum, qui iis utuntur.

Exemplo clarior res fiet. Nomen *Deus* eruditi, & ineruditi Græci, Romani, Barbari promiſcue uſurparunt. Sciſciteris ab ſingulis, qualem ideam eidem nomini ſubjecerint: longe diverſa ſenſiſſe cognoſces. Epicureus reſpondebit, intelligere ſe Deum corporatum figura quaſi humana. Stoicus, eſſe ignem per univerſum ſparſum. Platonicus alio modo: alio Pythagoreus, & Peripateticus, & ceteri reſpondebunt. Hæc Philoſophi.

Ineruditi vero cum Græci, tum Romani putabant, plures eſſe Deos, eoſque finitos, & humanis infirmitatibus animi ſubjectos. In quo adhuc mire diſſentiebant. Adeo ut ſi differentias idearum, quæ huic nomini ſuppoſitæ fuere, perſequi vellemus omnes, finem ſcribendi non faceremus.

Sed quid ego Ethnicos commemoro, ſi nobis tam multa ſuppetunt domeſtica exempla? Chriſtiani omnes nomine *Deus* utimur frequenter: at non eodem ſenſu omnes. Indoctum, & agreſtem ſi interrogas, quid ſit Deus: audies, eſſe rem homini ſimilem, quæ audit, loquitur, ambulat. Vix eſt, qui, auditis nominibus *Deus Pater*, non ſibi fingat, ſenem liberali facie, barba in pectus demiſſa, triangulo redimitum, ſedentem ad ſiniſtram Chriſti, & reliqua. Periculum ego feci, & commiſerabar homines audiens, quæ quiſque pro ſua facultate reſpondebat.

Semi-

Semidoctum ſi interrogas, & ipſe diverſa dabit, explanare volens confidenter, quid ſit Deus. Doctiſſimum quemque, & ſubacti judicii ſi conſulis, audies, nullam nos habere ideam claram Dei, ſed obſcuriſſimam: atque potius cum veteribus Epiſcopis dicere poſſe, quid Deus non ſit; quam, quid ſit. [1] Hi omnes, quiſque pro ſua eruditione, eidem nomini *Deus* differentes ideas adjungunt.

Quare ſi legens librum aliquem Græcorum, aut Romanorum, aut quorumdam ex veteribus Hæreticis, qui impias de Deo ſententias excogitarunt, nomen *Deus* eo ſenſu accepero & expoſuero, quo Catholici docti loquuntur; fecero inepte: propterea quia Hiſtoria demonſtrat, diverſo ſenſu illos accepiſſe, ac nos.

Eodem modo, ſi mihi perſuaſero, quod ſane quam frequentiſſimum eſt, nomen *Deus* tantum exprimere, quantus Deus eſt; turpiter erravero: cum certum ſit, vocabula nihil amplius ſignificare, quam quod illi, qui loquuntur, conſtituunt. Nam cum homines ignorent, quid ſint eſſentiæ & naturæ rerum, non poſſunt ullis vocabulis naturam & proprietates omnes comprehendere.

CAPUT II.

De Generibus vocum, quibus homines utuntur.

JAM cum omnia, quæ percipimus, & ſub ſermonem cadunt, ſint vel *res*, vel *modus* rei; ad hæc ſignificanda quædam inſtituta ſunt vocabula, quæ vocantur *nomina*. Ea, quæ

[1] „ *Deus ineffabilis eſt: facilius dicimus, quid non ſit; „ quam quid ſit. Terram cogitas? non eſt hoc Deus. Mare „ cogitas? non eſt hoc Deus..... Hæc ſolum potui dicere, „ quid non ſit. Quæris quid ſit? Quod oculus non vidit, nec „ auris audivit, nec in cor hominis adſcendit.* „ Auguſt. in Pſalm. 85. n. 12.

„ *Deus enim eſt, qui cum dicitur, non poteſt dici: cum „ æſtimatur, non poteſt æſtimari: cum definitur, ipſa ſua de- „ finitione creſcit: quem totum omnia neſciunt, & metuendo ſciunt.* „ Auctor libri de Fide Orthodoxa, apud Ambroſium.

quæ res ſignificant, appellantur ſubſtantiva: ut *Sol*, *Luna*: Quæ modum rei, ſeu rem comparatam ad aliud, vocantur adjectiva: ut *pulcer*, *niger*. Quod ſi ſubſtantiva interdum ſignificant modos, ut *albedo*, *prudentia*, hoc ideo evenit, propterea quia tunc mente concipimus hujuſmodi modos inſtar rei & ſubſtantiæ: h. e. ſine relatione ad aliud.

Porro autem humanum commercium amat varietatem, & brevitatem. Hinc *pronomina* excogitata ſunt, quæ loco *nominis* eaſdem res, ſeu modos ſignificarent, at non ita claro ac *nomina*: ut inutiles repetitiones vitaremus, & aurium ſenſui, qui ſane eſt faſtidioſiſſimus, conſuleremus.

Cum autem hominum conſuetudo ac commercium nequeat ſtare, niſi voluntatem noſtram aliis manifeſtemus ajentes, aut negantes; iccirco vocabula inventa ſunt, quibus hæc demonſtraremus, quæ vocantur *verba*. Verbum enim eſt vocabulum, quod ſignificat, me non ſolum aliquid percipere, ſed etiam adfirmare, unam ideam alteri convenire, vel non convenire.

Verum hæc ſimplicitas ſignificandi tantum in verbo *ſum* permanet: nec in omnibus perſonis, ſed, quod ad inveſtigationem Philoſophicam pertinet, in primis ſolum, maxime in tertia *eſt*. In ceteris, ſi exſiſtentiam ſignificent, inveniri poteſt: quod plerumque non evenit. Nam cum incredibilis percipiendi velocitas homines vel nihil de hoc cogitantes inpellat ad ſermonis compendium, adfirmationi illi, quæ propria erat *verbi*, addiderunt ſignificationem adtributi, perſonæ, temporis, cetera. *Amo* enim non ſolum ſignificat *eſſe amorem*, ſed *me in præſentia amore adfici*. Immo, ſi indicativum demis, exprimit etiam quoſdam animi motus, nimirum imperii, ut *fac*: deſiderii, ut *legas*, *auſcultes*.

Eadem ſermonem compendifaciendi voluntas ac ſtudium reliquas vocabulorum peperit claſſes, *participium*, *præpoſitionem*, *adverbium*, *interjectionem*, *conjunctionem*. Quæ reapſe *nomina* ſunt, etſi aliis & aliis vocabulis diſtinguantur. Participium in hoc eſt Nomen, quod res ſignificat, nihil judicans: in hoc Verbum, quod exprimit differentiam aliquam temporis, ut *legens*, *lecturus*. Cetera exprimunt relationes quaſdam, ſeu modum, quo res fit, & a nobis percipitur: & compendia ſermoni faciunt.

Quo vero facilius percipiamus, quam fuerint brevita-
tis

tis homines ſtudioſi, ipſa vocabula ſigillatim conſideremus, profecto intelligemus, pleraque vocabula, ſi pauca excipias, eſſe in omnibus linguis univerſalia. Id non caſu, ſed conſilio & neceſſitate factum eſſe, nullo negotio deprehenditur. Nam ſi ſingulas res ſingulis vocabulis diſtingueremus, quis eſſet modus vocabulorum fingendorum? quis ea memoria tenere poſſet? Age fingamus, me vel omnes capitis capillos, vel unius arboris frondes, vel arenæ grana, quæ in hac domo continentur, & his ſimilia ſuis nominibus velle ſecernere: fingamus, quod multo eſt difficilius, me hæc poſſe mandare monumentis, & Lexicon componere: poſſemne vel de iis cum aliquo diſputare, vel aliquem ex Lexico diſputantem intelligere? Præterea quodnam inde emolumentum exſiſtit ad augendas diſciplinas, & rempublicam adjuvandam? nullum profecto.

Quare fixum & ratum ſit, non caſu, ſed neceſſitate hæc inducta eſſe vocabula univerſalia. Nam ubi utilitas exigebat, ut in urbibus, caſtellis, regionibus, populis diſtinguendis: ubi autem omnino neceſſe erat, ut in hominum nominibus conſtituendis; ſingularia verba ficta fuere, & uſurpata. Nec enim aliter humana ſocietas, & commercium poterat conſtare, niſi eum, quocum mihi res eſt, ab aliis poſſem diſtinguere, & ſeorſum nominare. Hæc in tanta dicendorum copia delibaſſe, ſatis fuerit: cetera, quæ de vocabulorum proprietatibus diſputari ſolent, uſu, & meditatione ſine ullo labore percipient tirones.

Caput III.

De uſu vocum, in Philoſophia præſertim

Voces itaque quia datæ homini ſunt tamquam ſigna, quibus aperire poſſit quod cogitat, ceterorumque ſuaviſſima perfrui conſuetudine; ſi homines eſſe volumus, id eſt ſi alios intelligere, ab iiſque conamur intelligi; non nulla facere, quædam vero cavere ſedulo neceſſe eſt. Quod etſi hominibus ſingulis neceſſarium ſit; iis tamen, qui Philoſophi eſſe cupiunt, uſque adeo eſt neceſſarium, ut niſi fecerint, explodendi ſint a convictu litteratorum.

I. *Principio iis tantum verbis uti debemus, quibus adſigatur,*

gatur ſignificatio certæ ideæ: ſecus abutemur perverſe auditorum patientia ſonos inanes edendo. Quod frequentiſſime uſuvenit: potior enim hominum pars, nec indoctorum modo, ſed etiam eruditorum, quod a prima ætate adſueti ſunt vocabula quædam in familiari ſermone uſurpare, plurima infarciunt, quæ tamen interrogati ipſi, quid ſignificent, neſciunt explicare. [1]

1. E. g. Cum vellent aliqui declarare, quid ſit *memoria*; dixere, *eſſe thecam*, *repoſitorium*, *receptaculum idearum*: & ſibi perſuaſere, intelligere ſe quod enunciabant. Quod ſecus fuit: verbo enim *theca*, *repoſitorium*, *receptaculum*, cum animo noſtro adtribuitur, nulla clara idea reſpondet. Proinde eſt ſonus inanis, quo decipiuntur inprudentes, & cui obſcuriſſima tantum adjungitur idea.

2. Alii, quibus, per inprudentiam ſuam, aut aliorum malignitatem, res male ceſſit, incuſant *ſtellas*, *fatum*, & hujuſmodi alia: & ſibi perſuadent, ſe acu tetigiſſe rem, quæ eos afflixit. In quo mire falluntur: nam illa verba, dum ad res noſtras aut proſperas, aut adverſas referuntur, ſunt verba *nihili*: & quæ illi ipſi, qui uſurpant, non intelligunt.

II. *Deinde cavere debemus, ne cogitationes noſtras verbis obſcuris exprimamus*. Nam terminus obſcurus adjunctam habet obſcuram notionem. Ergo, qui audit, non ſecernet ideam, quæ illi reſpondet, ab aliis: propterea non intelliget, quid tu profers.

Obſcuritas hæc ex duplici fonte profluit. 1.Ex qualitate vocabulorum, quæ aut nullam, aut minime commodam habent interpretationem. 2.Ex nexu & ſyntaxi eorumdem, quæ in cauſſa eſt, cur nullam certam ideam declarare poſſint. Hæc melius exemplis, quam præceptis, inluſtrantur. Nos autem a doctioribus exempla ſumemus, quippe qui auctoritate ſua facilius movent lectores.

1. Utuntur aliquando homines vocabulis vel a ſe inventis, vel ab aliis traditis, quæ nihil ſignificant. Hujuſmodi eſt ἐντελέχεια *entelechia*, ὕλη *materia*, μορφὴ *forma* apud Ariſtotelem. Item *antiperiſtaſis*, *antipathia*, *ſympathia*, *natura univerſalis*, *animalitas*, *præciſio objectiva*, *ſpecies intelligi-*

[1] *Confer. Cl. Werenfelſius* de Logomachiis Eruditorum c.6.

ligibilis, *haecceitas*, *quidditas*, & hujuſmodi ſexcenta apud Scholaſticos. *Ideæ æternæ* apud Platonicos. Nomen *Dii* apud Epicureos. Medicorum Galenicorum, itemque Chemicorum veterum, ut Theophraſti Paracelſi [1] Roberti Fluddi, Boehmii, J. B. Helmontii, ceterorumque Theoſophicorum ampulloſa vocabula: tum Aſtrologorum verba, quæ rem nullam ſignificant.

2. Aliud exemplum ſint hæ propoſitiones: *Materia magis appetit formas perfectiores. Poſſibilis eſt materia ſpiritualis: & creatura indeputabilis: & ſpiritus volens non intelligens: & ſpiritus intelligens non volens: & ſubſtantia intellectiva limitata ad ſolas cognitiones ſpeculativas. Ubicatio Angeli eſt diviſibilis re ipſa. Poteſt aliqua res eſſe, & nullibi eſſe, ſeu nullam habere ubicationem*: & ſexcenta hujuſmodi monſtra, quæ quidam Philoſophi frequenter proferunt.

Quamvis enim hujuſmodi vocabula ſeorſum ſumta intelligamus, dum vero copulantur aliud alium contaminat, & vim omnem ſignificandi amittunt: nulla enim res eſt, cui tales propoſitiones reſpondeant. Non aliter ac bene intelligo, quid ſit *quadratum*, quid *rotundum*: at vero *quadratum rotundum* quid ſit, nullo prorſus modo intelligo. Item clare percipio, quid ſit *Minos*, quid *Taurus*: at *Minotaurus*, ſeu monſtrum, quod ſemitauro, & ſemihomine conſtet, quid ſit, nullus intelligit.

Frequens hæc eſt vocabulorum copulatio apud eruditos, ſi expertes ingenui pudoris inſcitiam ſuam profiteri renuunt, nec curant ſtudioſe, ut alios non decipiant. Quos ego Philoſophi cognomine minime dignos puto. Multa in hoc peccant Poetæ: non nihil Oratores, & etiam Hiſtorici dum vel Poetam, vel Oratorem agunt.

1. Martialis deſcribens graviſſimum incendium Veſuvii montis prope Neapolim, ſic claudit: [2]

Cuncta jacent flammis, & triſti merſa favilla:
Nec Superi vellent hoc licuiſſe ſibi.

Hæc

[1] *Tanta obſcuritate, tamque inſolentibus verbis utitur Paracelſus, ut Michael Toxitenius ſcripſerit* Onomaſticon, *in quo illius voces exponit, ut ſcripta intelligi poſſint.*

[2] *Libro IIII. epigr.* 44.

Hæc vocabula, *Superi vellent licuiſſe ſibi*: dum hoc loco copulantur, ejuſmodi ſunt, quibus nec certa, nec perſpicua, nec tolerabilis ulla idea reſpondet. Sed pejora peccat, cum Domitianum ſuum effert in cælum. Hic ſane talia occurrunt, quæ nulla induſtria explicaret Poeta. Conſideremus vel illud, quod de elephanto cecinit: [1]

Quod pius, & ſupplex elephas te, Cæſar, adorat,
Hic modo, qui tauro tam metuendus erat;
Non facit hoc juſſus, nulloque docente magiſtro:
Crede mihi: numen ſentit & ille tuum.

Quantas nugas hic agat Martialis, nullus non videt. *Pius*; *ſupplex*, *adorare*, *numen Domitiani*, *ſentire numen elephantum*, ſunt verba nihili, hoc eſt, quæ hoc loco nihil, quod intelligi queat, ſignificent. Simile huic eſt aliud ad eumdem Cæſarem: [2]

Concita veloces fugeret cum dama moloſſos,
Et varia obliquas necteret arte moras,
Cæſaris ante pedes ſupplex, ſimiliſque roganti
Conſtitit, & prædam non tetigere canes.
. . . .
Hæc intellecto principe dona tulit.
Numen habet Cæſar. Sacra eſt vis, ſacra poteſtas.
Credite: mentiri non didicere feræ.

In quo non *ſupplex* modo a Martiale inducitur dama, ſed *intelligens principis*, qui *numen*, *& ſacram poteſtatem* habeat, idque in *feras non mentientes*. Quod quis nobis explanet?

Sed quid. damas tam intelligentes Cæſarei numinis, tamque veraces demiramur; ſi Jovem ipſum Deorum patrem, quique nutu ſuo cuncta regere & moderari Ethnicis ipſis, maxime Poetis videbatur; pauperrimum & fere mendicum præ Domitiano; ſi Deos omnes collectim ſumtos mala nomina; ſi Pallada procuratricem Cæſaris quaſi mercede conductam; contra vero Cæſarem ipſum Divum inopiam magno ſupercilio contemnentem, apud eumdem Martialem videmus? Audite ſolidum epigramma: [3] cujus ut præcipuas ineptias indicandi onere me liberem, eas diverſo charactere notabo.

Quan-

[1] L.Spect.ep.17. [2] *Ibid*.ep.30. [3] L.VIIII.ep.4.

Quantum jam ſuperis, Cæſar, cæloque dediſti,
Si repetas, & ſi creditor eſſe *velis,*
Grandis in ætherio licet auctio fiat *Olympo,*
Coganturque Dei vendere *quidquid habent:*
Conturbabit *Atlas, & non erit* uncia tota,
Decidat *tecum, qua pater ipſe Deum.*
Pro Capitolinis quid enim tibi ſolvere templis;
Quid pro Tarpejæ frondis honore poteſt?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alcidem, Phœbumque, pioſque Laconas,
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Exſpectes, & ſuſtineas, *Auguſte, neceſſe eſt*:
Nam tibi quod ſolvat, non habet arca Jovis.

Hæc, aliaque hujus generis ſatis multa apud Martialem ſe offerunt: vix ut umquam eum Cæſarem, aut quid ſimile laudantem legam, quin ineptum videam. Perplacent tamen hæc virorum ſummorum errata non nullis Poetaſtris, qui tum demum ſe belle & ſcite aliquid ſcribere putant, cum eos verſus fundunt, qui commodam nullam interpretationem habent, & quos illi ipſi, qui ſcribunt, ne dum alii non intelligunt. A quo vitio nec ipſi interdum meliores Poetæ ſibi temperant.

Virgilius deſcribens Didonis caſum miſerandum, cujus anima ob inmaturam mortem luctabat cum corpore, & ſolvere nexus non poterat; nec prius receſſit, quam Iris flavum crinem ſecavit; ſic terminat: [1]

. . . . *omnis & una*
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

Alio vero loco [2] narrans Turni necem, hæc habet:

. . . . *aſt illi ſolvuntur frigore membra,*
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Si quæreremus a Virgilio, quid eſſet, *luctare animam cum corpore*: quid, *recedere vitam in ventos*: quid, *ſolvi frigore membra*: quid, *fugere vitam ſub umbras*: facile oſtenderemus, Poetam talem habere ideam illius, quod ſcribit, qualem ille haberet, qui diceret: *Chimæram, quæ cum Minotauro amice in vacuo amœniſſimo, qui eſſet in centro orbis* ter-

G

[1] Aen. L.IIII. *fine*. [2] L.XII. *fine*.

terræ, vivebat; mutaſſe domicilium, & in præſentiâ habitare in orbe quadrato, qui eſt extra univerſitatem rerum. In primo enim loco Epicureum aperte agit: quæ erat philoſophia Virgilii: [1] in altero ſaltim ex Fabularis philoſophiæ decretis loquitur: quod cum primi ſententia pugnat, & multo minus intelligi poteſt, quam illud Epicuri. [2]

Jam ſi Lucanum, Claudianum, reliquoſque ſequioris ævi perſcrutamur, quot non inepta, & nullo modo intelligibilia offendemus? Audiamus Claudianum ipſum de *Raptu Proſerpinæ* non ad lyram canentem, ſed buccinantem hoc modo:

Inferni raptoris equos, adflataque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ
Junonis thalamos, audaci promere cantu
Mens congeſta jubet.

Quanta quamque ambitioſa epitheta! quæ tamen plus ſonant, quam ſignificant. Explica tamen: *Mens congeſta jubet promere cantu equos, & ſidera curru adflata, & thalamos caligantes profundæ Junonis*: nihil, quod intelligi poſſit, elices. Adeoque ſunt verba ampulloſa, & nihil ſignificantia, quæ ipſe, qui uſurpat, vix intelligit. Et, quod miremini, Poeta noſter tam vehementi inſpiratione divina erat adflatus, ut, propoſiti oblitus, non *raptum Proſerpinæ*, ſed *raptoris equos, & ſidera, & thalamos caligantes* promſerit cantu.

Quid? nec ipſi Chriſtiani doctiſſimi ab hiſce ineptiis aliquando cavent. Vel unus Barlæus quodam hymno in Chriſtum [3] tot vel Ethnica, vel nihil ſignificantia conglomerat, ut mirentur qui legant, talia viro docto in mentem venire potuiſſe. Perpendite vel hæc pauca, quæ ipſe eveniſſe deſcribit:

... *Stel-*

---

[1] *Legatur Gaſſendus*, de Vita Epicuri. L.II. c.6. *& Servius ad* Eclogam VI.

[2] *Quid ſenſerint Platonici, Stoici, Epicurei, ex* Apparatu *noſtro intelligitur. Confer. Lactant.* Inſtitut. L.VII. c.7. *Plutarch.* de Placitis. L.IIII. c.7. *Lucretius*, L.III. v.507. & 844. *Virgilium autem omnium placita interdum admiſcuiſſe, fatetur Donatus, in* Vita Virgilii.

[3] L.I. Heroic.

. . . . . Stellataque machina Mundi
Proſcripſit ferale jubar: micuere ſecundo
Omine ſidereæ facies, dum pignora cælum
Tanta ſibi promiſſa putat: ſua frigora fulgens
Aegoceros media voluit miteſcere bruma.
Et tepuit glacialis biems: deceſſit Olympo
Arctophylax: fugit ſocia cum conjuge Cepheus;
Et Chiron, Perſeuſque furens, & Plejas, & ipſe
Amphitryoniades.

Quis ſanus hic putet, Poetam ullam certam habere ideam ejus, quod canit? quis non potius dementem, & blaterantem exiſtimét? Mittimus recentiores alios, nihil enim frequentius occurrit. [1]

[1] *Nemo nos hic arceſſat violatæ Poeſios: ſcimus enim fictionem eſſe ornamentum, &, ut ita dicam, formam quorumdam poemotum: atque licere Poetæ aliquid audere a vulgari conſuetudine diverſum, & id ipſum mirabili dicendi genere explicare. Hoc agimus, non licere Poetæ aut verbis nihil ſignificantibus, aut ſententiis, quæ rectam interpretationem non habeant, uti: quod plerumque uſuvenit. Nam etſi figuratum dicendi genus amet Poeta, tamen veriſimilia dicere debet, & cavere ſibi ab iis, quæ communi ſenſui repugnant: ne mendax, & ineptus habeatur potius, quam Poeta. Nec nos moveat Veterum auctoritas ut putemus, omne, quod illi fecerunt, eſſe rectum. Nam præterquam quod in hac litterarum luce, omnia ex merito, non ex antiquitate, judicantur; tam multa contra ipſius artis regulas in veteribus Poetis, Claudiano, Lucano, Flacco, Statio, Martiale, Ovidio, ceteriſque; interdum & in Horatio, etiam dum* Artem *tradit, & Homero, & Virgilio [ſed in hoc rarius] homines præjudiciis non impediti notarunt, ut qui hiſce ſe nominibus tueatur ut errores perſpicuos inducat, tamquam harum rerum inperitus audiendus non ſit.*

Nec eos ullo modo excuſat veriſimilitudo Poetica, *ad quam, veluti ad ſacram ancoram, quidam doctores artis confugere ſolent. Nam primum quales ſint iſtius* veriſimilitudinis *certi fines, nullus eorum conſtituit, ut ad id veluti regulam cuncta dirigere poſſimus: proinde alii alio & alio modo fines*

2. Ex hiſtoricis haud pauca excerpere poſſemus, ſed vetat conſilium operis. Plinius [1] de elephantis loquens, eorumque prudentiam, ne dum cognitionem, exaggerans, ſic ſcribit: *Religio quoque ſiderum, Soliſque, ac Lunæ veneratio eſt illis*. Quis neget eſſe nimium? tamen docto ſcriptori perſuaſum erat, intelligere ſe quod enunciabat.

Sed præter ceteros Cornelius Tacitus hunc ſcopulum offendit, Nam cum propoſitum eſſet ei, & ſententiis, & ſtilo ſupra omnes laudari; plurimaque paucis cuperet explicare; vix fieri potuit quin in aliquas ineptias incideret: tum etiam obſcura verba, & vix intelligibilia adhiberet. Hic inducens Agrippinam viduam Germanici [hunc Tiberius imp. veneno necaverat] quæ in Tiberium invehitur hoc nomine, quod Auguſto immolans, poſteros ipſius odio habeat, loquitur hoc modo: *Non in effigies mutas divinum ſpiritum transfuſum: ſed imaginem veram cæleſti ſanguine ortam intelligere diſcrimen, ſuſcipere ſordes*. Sed quidnam eſſet, *Divinus ſpiritus in Agrippinam transfuſus*, id ægre explicaret Tacitus: propterea quod nulla huic enunciationi idea clara reſpondet.

Proximus Tacito eſt Florus, niſi quod judicandi acie longe Tacito inferior eſt. Is enim cum granditatem orationis adfectaret, & vix aliquid proprie dictum ei placeret, in ea incidit aliquando, quæ interpretationem non habent. Deſcripturus Romanorum expeditionem in ultimos Gallæciæ

fines dilatant ut omnia complectentur. Deinde in ipſam veriſimilitudinem iis probatam [nempe quod ſibi conſtet auctor, & ex opinionibus ſuo tempore receptis loquatur] graviſſimi quidam veterum interdum peccant. Poſtremo, quænam iſta eſt veriſimilitudo, ſcilicet ſyſtemata Philoſophorum inter ſe contraria, ſententias ſe deſtruentes, res cum quotidiana experientia palam pugnantes, aliaſque a propoſito alienas, in idem poema recipere, & ſerio venditare, ut iidem faciunt? Hæc ſane viris doctis non alia ratione tolerari poſſe videntur, niſi ex conſuetudine veteres Poetas legendi, qui talibus ſunt referti. Sed hæc indicare Philoſopho ſatis fuerit: ea vero peritis artis componenda relinquamus, de quibus nos alio libro de induſtria diſſeremus.

[1] L. VIII. c. 1.

ciæ populos, enthuſiaſmo quodam abreptus loquitur hoc modo: *Decimus Brutus Gallæcos domuit, atque omnes Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen oblivionis: peragratoque victor Oceani litore, non prius ſigna convertit, quam cadentem in maria Solem, obrutumque aquis ignem, non ſine quodam ſacrilegii metu & horrore, deprehendit.* [1] Quis capiat, quid ſibi velit declamator noſter?

3. Prætermittimus Oratores, ne longi ſimus. Itaque cum viro doctiſſimo, & hiſce rebus ſubacto [2] ſic concludemus: Si pleroſque auctores cum veteres, tum recentiores ad hanc trutinam revocamus; infinita loca in iis facile inveniemus, in quibus talia verba occurrunt, quæ nulla arte explicari poſſunt, propterea quia nullam certam ideam ſignificant.

III. *Tertio loco cavere debemus, ne uni vocabulo plures notiones adfingamus.* Nam ſi ita facimus, qui audit non intelliget, de qua notione nos verba faciamus. Incredibile dictu eſt, quot jurgia in ſcholis excitentur paſſim, propterea quod huic legi non ſerviunt diſputantes. Iccirco contendunt vehementer non de re aliqua, quam unus neget, alter adfirmet; ſed de ſignificatione vocabuli: cui alter quamdam ideam adjungit, alter aliam.

Exemplo ſint hæc vocabula: *formaliter, materialiter, eſſentialiter*. Nam diverſæ ſignificationes aliis & aliis temporibus unicuique eorum adjunguntur. Quocirca audito vocabulo temere pronuncio, declarare hoc potius, quam aliud.

Quoniam vero plures res obverſantur menti, quam voces, quibus eas declarare poſſimus; adeo ut interdum coacti ſimus plura objecta uno vocabulo notare; id omnino vitare non poſſumus. Unum ſupereſt remedium, ut conſtituamus, quam notionem cum tali verbo conjungimus, ne inutiliter & nos, & alios torqueamus. Quod quia Geometræ accurate faciunt, propterea vix umquam ratiocinando altercantur inter ſe.

IIII. *Quarto loco cavere debet, a vocabulis indeterminatis, æquivocis, translatis*: idque ob eamdem rationem.

 1. Nam

[1] L.II. c.17.
[2] Bibliotheque Univerſele, Tome X. p. m. 343.

1. Nam vocabulum *indeterminatum* ſeu *vagum* eſt, cui eadem notio perpetuo non reſpondet, ſed eſt multis rebus interdum diſſimilibus, commune. Quare qui audit nequit diſcernere, qualem ideam cum eo velis potiſſimum conjungere.

E. g. Definiunt multi cum B. Auguſtino Philoſophiam hoc modo: *Divinarum, humanarumque rerum cognitio ſeu notitia*. Cum autem vocabula *cognitio*, *ſeu notitia* ſint vaga, qui legit certior non fit, de qua notitia ſermo ſit: an de Hiſtorica, an Philoſophica, an Mathematica, an de Certa, an vero de Probabili notitia. Quare melius uterentur vocabulo *ſcientia*, quod ex diſciplina Philoſophorum ſignificat, certum habitum demonſtrandi.

2. *Aequivoca* ſunt, quæ pluribus rebus natura differentibus poſſunt adtribui: ideoque ſunt *indeterminata*. Ea itaque ſedulo vitare debemus, ſi volumus intelligi. Hujuſmodi eſt nomen *Homo*, quando tribuitur homini viventi, & picto, & ſtatuæ. Qui enim tali verbo utitur ad picturas, & id genus alia ſignificanda, niſi moneat lectorem, cauſſa erit cur ſæpe fallatur.

3. *Translatum* eſt, quod cum adjungitur alteri vocabulo, videtur nobis nativum ſenſum, ac ſignificationem amittere, & aliam induere. [1] Quod ea de cauſſa ſit, ut facilius & venuſtius, quod volumus, explicemus. [2]

E. g. *Flumen* proprie ſignificat aquam, quæ in alveo fluit ad mare. Tamen cum lego apud Ciceronem: [3] *Nullius tantum eſt flumen ingenii, nulli dicendi, aut ſcribendi tanta vis*,

---

[1] *Nativa ſignificatio vocabuli numquam translatione perimitur, aut mutatur*. Flumen *enim in exemplo Ciceronis ſemper ſignificat flumen, ſeu aquam fluentem. Sed ingenium ac copia dicendi propter ſimilitudinem quamdam cum flumine menti objicitur veluti converſa in ſpeciem aquæ fluentis: ideo mensque duo illa ob analogiam confundit, proprietatem aquæ tribuit ingenio. Confer. diſertiſſimus Gravina*, Dialogo de Lingua Latina.

[2] „ *Modum transferendi verba neceſſitas genuit inopia* „ *coacta, & anguſtiis: poſt autem delectatio jucunditaſque* „ *celebravit*.„ Cicero, de Oratore L. II. c. 38

[3] *Cicero*, pro Marcello c. 2.

vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare, C. Cæſar, res tuas geſtas poſſit: & alio loco: *Veniet aureum ſlumen orationis fundens Ariſtoteles*: judicare debeo, non proprio ſenſu, ſed per metaphoram dici: & ſignificare nihil aliud, quam facultatem plurima verba, & ſententias efferendi.

Frequentiſſimæ translationes occurrunt in vulgari ſermone, vix ut ab iis temperare poſſimus. Hæ tamen facillime dignoſcuntur: & qui audit, aut legit ſine labore intelligit, quid ſcriptor ſibi velit. Apud Poetas, & Oratores multo audaciores metaphoræ paſſim ſe offerunt. Sed Oratoribus, & Poetis relinquimus verborum translationes. At Philoſophus ab omnibus verborum lenociniis ambitioſius conquiſitis abſtinet. Quod ſi in hujuſmodi metaphoras incurrat, callide eas & accurate interpretetur oportet.

COROLLARIUM

Hinc Philoſophus vocabulis uti debet ſecundum communem uſum loquendi.

E. g. Si de rebus domeſticis, vel forenſibus, vel publicis loquatur, quotidianis vocabulis, & in vulgata acceptione uti debet. Sin autem Philoſophorum verbis aliquid exprimere neceſſe ſit, uſurpabit illa in eo ſenſu, quo natio Philoſophorum uſurpat. Quod ſi diverſam ſignificationem cum verbo conjungere cupit, declaret quo ſenſu accipiat, & accurate vocabula definiat.

CAPUT IIII.

De Vocabulis idearum Obſcurarum; Clararum, Confuſarum.

VErba autem eaſdem fere proprietates habent ac ideæ; quarum ſunt ſigna. Quare ex iis, quæ diximus de ideis, ſit planum, quidnam de verbis exiſtimare debeamus. Pauca tamen adducenda, quæ uberiorem lucem dictis adferant, & doceant tirones, vitare errores in uſu vocabulorum.

I. Porro quemadmodum ideæ ſimplices ſunt claræ, compoſitæ vero vel obſcuræ, vel ſaltim confuſæ; ita verba, quæ

ideas ſimplices repræſentant, clara: quæ compoſitas, erunt tum obſcura, tum confuſa. Hinc verba ſimplicium non indigent definitione: maxime vero compoſitarum, quia per clariora verba explicari poſſunt.

E. g. Interroget me quis, quid ſit *dolor*: non potero clarioribus verbis doloris ideam exprimere. Quamvis enim rem plane expedire contendam, aliis & aliis vocabulis, quæ idem ſignificent, utar: reapſe vero non explicabunt liquido, quid ſit dolor. Si tamen interroget, quid ſit *camelus* [quæ vox eſt compoſita a κάμπτω *flecto*, & μηρὸς *femur*, quia genua flectit] potero ex ideis *femoris*, *genuum*, *coloris*, *figuræ*, *quadrupedis*, clariorem ideam cameli dare.

II. Occurrunt tamen vocabula ſimplicium idearum, quæ ſunt adeo confuſa, ut interdum obſcura videantur, & ſic vulgo nominentur: ea nimirum, quæ ſingulares adfectiones animi, & ſenſuum declarant.

1. E. g. Non omnes homines eodem modo objectis externis adficiuntur. De me primum dicam. Ego, qui μύωψ hoc eſt luſcioſus ſum, ita comparatos oculos habeo, ut intuenti luminaria accenſa in obſcuro loco, quadruplo majora mihi videntur, quam re vera ſunt. Admoto tamen vitro, quo utor, quadruplo minora ſunt, & elegantiam omnem deperdunt. Quare cum ego noctu faciem templi aliquam facularis diſtinctam inſpicio, vel templum ornatum luminibus ingredior, pulcrior illa ſpecies mihi eſt ſi nude adſpicio, quam ſi oculis vitro armatis.

2. Præterea ſunt, qui res aliis ingratas ſumma cum voluptate deguſtant. Sunt, qui acutius aliis in eadem diſtantia audiunt. Odor quidam nobis gratus eſt, qui puerperis eſt inſuavis: & hujuſmodi ſexcenta. Proinde etſi iiſdem vocabulis diverſi homines ſuos ſenſus explicent, non ideo ſinguli eaſdem ideas deſignant. Itaque vocabula, quantumvis clara videantur, ſunt reapſe *confuſa*.

3. Præterea quælibet adfectio vel ſenſuum, vel animi, pro diverſis fibris ſingulorum corporum; pro majori, aut minori mentis ad alia diſtractione, interdum remiſſior, interdum acutior eſt: idque in eodem homine, & multo magis in diverſis. Videmus enim quoſdam e. g. viſo ſerpente non commoveri: quoſdam leviſſime: vehementer vero alios: alios metu exanimari. Hi veluti gradus eodem vocabulo

nequeunt

nequeunt indicari. Quare vocabula hujuſmodi ſunt reapſe *confuſa*.

4. Eodem modo adfectiones *mentis*, & *voluntatis* ſe habent. Quidam enim celerius percipiunt, & ardentius amant: quidam tardius & remiſſius faciunt utrumque: &, quod miremini, idem homo in alio & alio tempore, alia & alia occupatione, eamdem rem & vult, & recuſat ardenter, & remiſſe: percipit facile, & difficulter: quod uſus hominum oſtendit. Quare etſi certo ſciam, alium idem, quod ego; facere; quam facile, quamque celeriter, neſcio.

Certe quidem adverbia *multum*, *parum*, *vehementer*, cetera, huic errori quodammodo occurrunt. Verum cum ego de aliorum ſenſibus, atque animi adfectibus nequeam judicare, niſi ex meis; per errorem utar vocabulo, quod non belle exprimit, quod alius ſentit: propterea vocabula ſunt *confuſa*.

5. Quæ diximus congruentius quadrant in ea vocabula, quibus eas corporum proprietates exprimimus, quæ in nobis ſenſus animi excitant. Nam penitus ignoramus, quæ partium figura, tum & qua ratione partes inſenſiles corporum ſenſus noſtros pulſent, & moveant. Iccirco vocabula, quibus eas proprietates exprimimus, ſunt confuſa: propterea quia non ſatis diſtinguunt, quod in objecto corpore eſt.

III. Ideæ illæ ſimplices, quæ *abſtractæ* dicuntur, ut *extenſionis puræ*, *exſiſtentiæ*, *temporis*, reliquæ, quia claræ magis ſunt, quam eæ, quæ ſenſu adquiruntur; [1] ita fit, ut etiam verba, quæ eas denotant, diſtinctiora ſint. Clariores autem & diſtinctiores ſunt illæ ideæ, quas perfecte metiri, & complecti poſſumus, ut *quantitas*, vel ea numeris, vel figuris exprimatur.

E. g. Ideæ, quæ in his continentur: *Sex & ſex ſunt duodecim*: *Si æqualibus addas æqualia, tota erunt æqualia*: ſunt clariſſimæ, & omnibus perviæ. Iccirco *Arithmetica*, & *Geometrica* vocabula peculiare id præter ceteras voces habent, ut ſint clara, & diſtincta.

IIII. Ideæ

---

[1] *Clarius percipitur idea* abſtracta, *quod minus partes habet*, *quam* conjuncta *& ſingularis*, *quod plura complectitur*: *ſeu clarius intelligo*, *quid ſit* exſiſtentia, *quid* tempus, *quam quid ſit* Petrus, *ſeu hoc individuum*,

IIII. Ideæ vero compoſitæ tales ſunt, quales ideæ ſimplices, ex quibus componuntur. Quæ quidem ſimplices ideæ, quia plerumque ſunt claræ quidem, ſed confuſæ, ſi Arithmetica, & Geometrica nomina excipias; hinc & compoſitæ ideæ, & nomina, quæ eas deſignant, erunt confuſa: quibus ea de cauſſa non niſi caute uti debemus.

Hæc ſi accuratiſſime loqui volumus, dicenda ſunt. Verum non indocti modo, ſed ipſimet Philoſophi, in vocibus æſtimandis, & appellandis, *confuſum*, & *obſcurum* plerumque confundunt; quod aliquid internoſcunt diſcriminis inter ideas, & vocabula. Nam idea obſcura rem, cum recurrit, eamdem eſſe non docet; clara vero docet. Diſtincta ab aliis eamdem ſuis notis diſtinguit; confuſa non diſtinguit. At vocabulum ſingularum adfectionum animi, ut *dulcis*; vel ſingularum idearum compoſitarum, ut *amoris*; non modo non diſtinguit ſuis notis rem unam ab alia, quod eſt eſſe *confuſum*; ſed nec eamdem rem ſemper deſignat, ſed diverſas [ut ſequenti capite dicemus] quod eſt eſſe *obſcurum*. Proinde non inepte *obſcurum* pro *confuſo* ponitur, & accipitur, cum de vocabulis eſt ſermo.

Caput V.

De vocabulis Subſtantiarum, Modorum, Relationum.

§. I.

Subſtantiarum.

I. Subſtantiæ, uti ſupra demonſtravimus, non niſi obſcuram ideam habemus. Hinc vocabulum *ſubſtantiæ*, quia obſcurum eſt, cauſſa exſtitit multorum errorum. Nam cum homines ignorarent, quænam res huic vocabulo eſſet ſuppoſita, id eſt, ſubſtantiam, ſeu naturam rei, ſeu id, quod res eſt, penitus non cognoſcerent; alias & alias proprietates illi adfixerunt.

Exemplo ſit vox *Anima*: quæ ſubſtantiam incognitam ſignificat, & cui non omnes eamdem ideam ſubjiciunt. Fuere, qui ei proprietates rotundiſſimarum, & tenuiſſimarum particularum, quæ quam celerrime moveantur, adtribuerent,

rent, ut Epicurei. Fuere, qui proprietates ignis, ſed alio & alio modo accepti, ut Pythagorei, Heraclitus, Stoici. Fuere, qui alterius incognitæ ſubſtantiæ, ex anima mundi decerptæ, naturam dedere, ut Plato. Fuere, qui ex pluri-mis naturis compoſitam exiſtimarunt, ut Crantor. Fuere demum, qui eam vocarunt, primam *entelechiam* corporis organici, ut Ariſtoteles: qui vel in hoc patefecit, quanta ignoratio ſit naturæ animi noſtri: ipſe enim, qui meliora dare non potuit, verba protulit obſcuriora. Hæc Philoſophi graviſſimi diſputarunt. Ex quo facile conjici poteſt, quot monſtra dixerint illi, qui gravioribus ſtudiis non erant contriti.

Alterum exemplum ſit nomen *Deus*. Cum enim ratio perſuadeat, unum eſſe, qui omnia fecerit, & gubernet; Ethnici, quod non intelligerent clare, quid hoc nomine con-tineretur; Deorum turbam induxere, ut Idololatræ omnes. Deinde quoſdam Deos mala, quoſdam bona efficere dixere: ut Aegyptii, & Medi, & Perſæ; & ex noſtris Marcionitæ, & Manichæi.

Præterea de Natura Dei abſurdas ſententias excogita-runt. Quidam Deum eſſe animum per univerſam naturam diffuſum, corporeum tamen, & igni ſubtiliſſimo ſimillimum, ſeu ignem *intellectualem* dixere; ut Pythagorei. Quidam eſſe puriſſimum ætherem, ſeu ignem *artificialem*, qui in ex-trema cæli parte præſertim poſitus ſit; ut Stoici. Non nulli vero Deos non habere corpus, ſed quaſi corpus; nec ſangui-nem, ſed quaſi ſanguinem: eſſe tamen corpus ſui generis, humana ſpecie præditos, & otioſam vitam degentes in in-termundiis; ut Epicurei.

Sunt, qui incertam notionem huic nomini ſuppoſuere: ut Xenophanes, qui ait, Deum eſſe ſubſtantiam globoſam, nec corpori humano, nec animo ſimilem: & Zeno Eleates, qui ait, Deum eſſe rotundum, ſed nec finitum, nec infini-tum; neque mobile, neque inmobile; neque enti, neque non enti ſimilem: adeo ut illi ipſi conſtituere neſciant, qua-lem ideam huic nomini ſupponant. Longum foret reliqua percenſere, quæ Ethnici tum docti, tum indocti, immo non nulli Chriſtiani excogitarunt: hæc ſatis conficiunt, quam varias ideas idem vocabulum deſignare ſoleat.

Quare cum in aliquo ſcriptore occurrit vocabulum, quod

quod ſubſtantiam & naturam ſignificet; non ex noſtris ideis, ſed ejus, qui utitur, definiendum.

II. Idea vero corporeæ ſubſtantiæ eſt æque clara ac modi, ex quibus componitur: non enim aliam habemus ideam claram ſubſtantiæ, quam collectionem modorum, quos novimus. Cum autem nos modos omnes ſubſtantiæ mente nequeamus complecti, ita fit, ut talia vocabula ſint obſcura, ad ſummum clara, ſed confuſa.

III. Vocabula ſubſtantiarum compoſitarum, ut *ſenatus*, *ſynodus*, *civitas*, *provincia*, ſunt confuſa. Etenim non omnes eamdem ideam his vocabulis adtribuunt.

E. g. *Senatus* prima Romanæ reipublicæ ætate ſignificabat ſummum optimatum conſilium, penes quod erat Reipublicæ ſumma; præter magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli, paciſque arbitrium: [1] quo tempore populi juſſa minime erant firma, niſi Senatus acceſſiſſet auctoritas. Poſt leges ſacras adeo fuit extenuata potentia Senatus, ut aliud ſignificaret: & cum antea populus auctoritate Senatus regeretur, poſtea populi juſſu Senatus confirmabatur auctoritas. [2] Sub Imperatoribus aliud ſignificabat, propterea quod inminuta erat potentia Senatus. Hoc tempore in urbe nomen manet, potentia extincta eſt: proinde aliud hoc verbum ſignificat. Venetorum ſenatus maxima cum laude ſummum imperium obtinet: Genuenſis ſenatus etiam: etiam Lucenſis: multum tamen inter tres illos intereſt. Porro Ulyſippone idem vocabulum habetis: potentia vero minor adhuc, quam in urbe. Hi omnes vel dignitate, vel potentia, vel ſenatorum numero, vel ordinibus, vel legibus differunt: tamen eodem vocabulo ſignificantur. Idem de reliquis vocabulis eſto judicium. Icci rco cum hujuſmodi verba occurrunt, non ex noſtræ gentis uſu, ſed ejus, de qua loquimur, ſunt exponenda.

§. II.

---

[1] *Confer. Zamoſch. hoc eſt Sigonius*, de Senatu. L.II. p. 171.

[2] *Polybius* Hiſt. L.VI. *potentiam Senatus enarrat*.

§. II.

Modorum.

I. De *modis* eadem eſt præceptio: nam vocabula ſequuntur naturam modorum, quos ſignificant. Hinc vocabula modorum *ſimplicium Phyſicorum*, e.g. *figuræ*, *motus*, *diviſibilitatis*, ſunt clara.

Nam bene intelligo dicentem: *Petrus ambulat*: *Paullus comedit*. Quamvis enim non plane intelligam, qua ratione ille membra moveat, hic cibum conterat; quo niſu, quamque celeriter id faciant; tamen clare cognoſco, etſi non diſtincte, hæc duo fieri ab illis.

II. Etiam vocabula modorum Phyſicorum, ſed *abſtractorum*, ut *lineæ*, *figuræ*, *numerorum*, ſunt clara.

Nam clare percipio ſi quis ait: *Linea palmaris eſt minor quam bipalmaris*: *Duo & duo ſunt quatuor*: *Globus non eſt figura quadrata*. Non igitur facile errabimus, hæc interpretantes vocabula: propterea quia claram ideam exhibent rei, quam ſignificant.

III. Vocabula vero modorum *compoſitorum* ſunt, ut modi ipſi, obſcura; ſaltim clara, ſed confuſa.

E. g. *Sonus* late ſumtus his modis conſtat: colliſione corporum, undanti motu aëris, adfectione membranæ ſeu tympani auris, cetera. Item *lux* componitur ex figura particularum corporis luminoſi, ex motu earumdem, ex repercuſſione ab objecto corpore, & incurſu in oculos intuentis, ex horum adfectione, cetera. Cumque idea ſoni ſit obſcura, aut confuſa, pro diverſitate hominum, qui vel obſcurius, vel acutius audiunt; etiam talia ſunt vocabula, quæ ſonos exprimunt: nec enim ſatis diſtinguunt intentionem ſoni ab aliis: proinde accurate interpretanda ſunt.

IIII. Etiam vocabula modorum *moralium*, qui ſunt compoſiti omnes, ſunt obſcura, aut confuſa. Id exemplo inluſtrabimus, quo Clercius uſus eſt. [1]

Amoris tam variæ tamque differentes ſignificationes ſunt,

---

[1] Arte Critica P.II. ſect. 2. c. 2.

ſunt, ut enumerari vix queant. Primo ſignificat, propenſionem maris erga feminam, hoc eſt, commiſcendorum corporum miram libidinem. In amore autem hæc inſunt. 1. Sanguinis motus concitatus, & veluti bullitus, cum video, aut recordor feminam amatam. 2. voluptas ex ejus conſuetudine, immo & memoria. 3. vehemens deſiderium potiundi. 4. vota, quæ facio pro re proſpera ejuſdem, idque eo animo, ut ad officia omnia paratus ſim. 5. dolor in adverſis, lætitia in proſperis, quæ illi, quam diligo, eveniunt. 6. ſuperba exiſtimatio de ea, ſive corporis, ſive animi dotes ſpectes. 7. vehementiſſimus timor perdendi eam, & nimia zelotypia. 8. major, aut minor vis horumce adfectuum. Quis ergo ſanus & dicat, intelligere ſe & certo ſcire, quo modo ſe habent hæc omnia in eo, qui amat? Ergo hæc legens, quæ paſſim occurrunt vocabula, non plane intelligo, quid auctor ſibi velit: nec niſi inprudenter judicabo, unum eſſe potius, quam aliud.

2. Præterea *amor* paſſim accipitur pro amicitia duorum, ut illa erat Niſi, & Euryali; Pyladis, & Oreſtis. Etenim in ea omnia reperiuntur, quæ in amore, ſi voluptatem corpoream ſepares. 3. *Amor* etiam nominatur pietas liberorum in parentes, parentum in liberos, in cognatos omnes: quæ caritas omnes caritates amicorum ſuperat. Quare qui filios non habet, qui nullos cognatos & ſanguine conjunctos novit, omnino non percipit, quam vim habeant hujuſmodi adfectus: propterea non intelliget, quid alius, qui tali voluptate adficitur, verbis illis ſuis deſignare cupit. 4. Etiam pietas in patriam vocatur *amor*. Cupiditates omnes, quibus ambitio, & avaritia definitur, exprimuntur vocabulo *amoris*. Dicitur enim, *amor divitiarum, honorum, regni capiendi*. Odium vero contrarios adfectus ſignificat.

En idem vocabulum res prorſus differentes exprimit. Veteres Hiſtorici, Poetæ, Oratores frequentiſſime his vocabulis utuntur. Nulli tamen frequentius quam Poetæ, quorum non nulli ſunt, qui vix aliud quam de amore ſcripſerunt: quales ex Græcis Theocritus, Anacreon, Ariſtophanes; & alii: ex Latinis Ovidius, Catullus, Tibullus, Propertius: cui merito ſuo addi poteſt Plautus, Terentius, Horatius, Martialis, reliqui. Hos ut interpretemur, naturam, & proprietates omnes *odii*, & *amoris* perſpectas habeamus

beamus neceſſe eſt: quod qui non faciunt, arroganter illi dicunt, ſe veterum libros penitus intelligere.

Et ut paucis plurima complectar, vocabula modorum *moralium*, cujuſmodi ſunt *virtutes*, & *vitia*, ut ſine ullo errore enarremus, oportet cum ſcientiam officiorum, tum interiorem diſciplinam populi, de quo eſt ſermo, cognitam habeamus. Non enim ubique honeſta, & turpia eadem habentur: ſed majorum inſtitutis iſta dijudicari ſolemne fuit.

E. g. Perſis poſt Cambiſem [1] & Aegyptiis [2] & Athenienſibus [3] licebat ſororem germanam habere in matrimonio: quod eæ civitates, & regna tali inſtituto uterentur. Id vero reliquis Græcis, Latinis, Chriſtianis omnibus nefarium ſcelus habetur. Laudi & pietati ducebatur Hebræis, conjuncti viduam, qui ſine liberis deceſſerat, ducere uxorem, & ex ea liberos defuncti viri nomine ſuſcipere. [4] Occidere interfectorem propinqui; inimicum odio habere; fœnerari gentibus exteris, nemini in illa gente fuit turpitudini: quod ultimum nec ipſi Romani homines vituperabant. Hæc tamen omnia Chriſtianorum legibus permiſſa non ſunt; immo vero & Græci non nulli turpem uſuram exiſtimabant. Athenienſibus, Socratis ætate, ut quidam referunt, [5] permiſſum fuit, duas uxores habere. Id vero Romani, & nationes aliæ deteſtabantur.

Ne plura, ſi hiſtorias cum veteres, tum recentes pervolvimus, & mores populorum accurate examinamus, inveniemus vitium aliquid eſſe in hac gente, quod alibi laudi vertitur; quoſdam vocare inpudicitiam, quod alii ſanctimoniam nuncupant: hos juſtitiam, pietatem, religionem; illos vero injuſtitiam, odium, inpietatem appellare.

Quid? quod ejuſdem hominis actiones pro tempore, & loco, & re ſunt aliæ aliis turpiores. Turpius eſt, amicum occidere, quam inimicum: parentem vero turpiſſimum. E contrario, levius maledicere ignobili, quam viro

[1] *Herodot. L.I. c.*131. 32.*Laert. ſect.*5.
[2] *Pauſan.* in Atticis p.170.
[3] *Nepos*, in Cimonis vita.
[4] Ruth cap.IIII.
[5] *Plutarch.* in Ariſtide. *Laert.* in Socrate.

Digitized by Google

ro magnati. Levius in platea, quam coram Rege. Levius iratum maledicere, quam prudentem. Graviſſimum omnium maledictum, in templo coram omnibus, qui rei divinæ interſunt.

Cum ergo tam variæ ſint tamque diſcrepantes hominum ſententiæ, tametſi eodem, aut contrario vocabulo deſignantur; oportet ſcriptoris perſonam, quem legimus, induamus, quaque mente ille ſcripſerit nobiſcum reputemus, ſi vere vocabula cupimus explanare.

Fateor, id ſine errore interdum fieri non poſſe, propterea quia vix occurrit ſcriptor, qui hujuſmodi vocabula definiat accurate; quin immo plerique omnes Oratorio modo utuntur. Veruntamen ſi id fecerimus diligenter, ad veritatem quam fieri poteſt accedemus.

Summa hæc ſit: debere nos vocabula *modorum moralium*, non ex proprio ſenſu, ſed ex Hiſtoria, ac reliquis adjunctis interpretari. Deinde fontes, ex quibus ſcientia *juſti*, & *injuſti* derivatur, cognitos habere: & id genus alia, quæ ſcriptoris mentem apertiſſime demonſtrent.

§. III.

Relationum.

Relationes, quod ſupra docuimus, [1] ſunt innumeræ: nulla enim res eſt, quæ referri ad aliam, immo ad ſeipſam non poſſit, ſi alio & alio modo conſideretur.

Hinc vocabula, quæ *relationes* exprimunt, & ipſa innumera ſunt. Nec ſolum Philoſophi, ſed in ipſo familiari ſermone tam frequenter utimur relationibus, vix ut credi poſſit. Atque, ut recte monent viri acutiſſimi, [2] nomina ipſa, quæ nobis *abſoluta*, id eſt non relata videntur, vere ſunt relata. Quod modo rem accuratius perpendamus, verum eſſe reperiemus.

I. Principio *Adjectiva* pleraque ſunt relata. Pauca exempla ſubjiciam.

Frequenter in familiari ſermone occurrit vocabulum ma-

[1] *Hoc Libro P.I. cap.*11.
[2] *Clercius*, Arte Crit. P.II. ſect.2. c.4. *aliique*.

magnum. Sic dicimus, *mons eſt magnus*: quod valet, eſſe magnum eorum montium, quos vidimus. Nam ſi quæramus ab eo, qui uſurpat, an ſit tam magnus quam Caucaſus, quam montes Hyperborei, quam Alpes, quam Atlas, quam Andes in America, qui & amplitudine, & proceritate ſua celebrantur. Saltim tantus quam Picus inſulæ Teneriffæ, quam Ida, quam Aetna, quam ceteri, qui etiam fama feruntur: continuo audiemus reſpondentem, ſe tales numquam vidiſſe, proinde nec ad illos comparare, ſed ad eos, quos notos habet. Idem in ceteris vocabulis relatis, ut nobis primo intuitu nihil tale cogitare videamur, ſi interrogationibus excitamur, mirabundi reperiemus. Itaque dicimus, *profundam eſſe foſſam, & vallem*: hoc eſt, eſſe humilem inter eas, quas cognovimus. Dicimus, *vinum eſſe bonum*: id eſt, inter ea, quæ guſtavimus, ſelectum. Dicimus, *bonam eſſe mulieris formam*: quod ſignificat, præter iſtas quotidianas formas eſſe elegantem.

Præterea dicimus, Joannem de Caſtro in India, parva Luſitanorum manu magnam vim hoſtium fudiſſe. Quod valet, nobis non conſtare, minores exercitus in illis locis tam egregia facinora patraſſe. Itaque parvus ille exercitus dicetur, ſi cum Darii, aut Xerxis filii copiis, quibus Græciam invaſere; Si cum Caii Cæſaris legionibus, quibus Gallos, & Britannos debellavit, comparetur. At erit magnus, ſi cum decem mille Græcis conferatur, qui ad Marathonem Datim, qui centum millia peditum, equitum decem millia ducebat, prœlio profligarunt, adeoque perterruerunt, ut Perſæ non caſtra, ſed naves peterent. [1] Si cum Græcis conferatur, qui quatuor mille numero ad Thermopylas Xerxem, qui trigeſies centum millia hominum habebat, biduum & amplius ſuſtinuerunt; immo vero Perſarum viginti millia occiderunt. [2] Tum demum ſi comparetur cum ejuſdem Cæſaris legionibus, quæ in Galliis inmenſam fortiſſimorum hominum turbam, pæne dixerim totas Gallias, non ſemel tantum fregerunt & diſſiparunt. [3]

H Eo-

---

[1] *Nepos* in Miltiade.

[2] *Pauſanias*, *L.X. p.645. Herodot. L.VII. c.207. ſeqq.*

[3] *Confer. idem Cæſar*, de Bello Gallico *paſſim*.

Eodem modo de ceteris philoſophabimur. Proclives ſunt omnes qui amicis, & popularibus ſuis tribuant ingenium excellens, acre judicium, lectiſſimam eruditionem, ſummam providentiam, fortitudinem, & id genus alia: quod huc redit: hujuſmodi homines præter ceteros, quibuſcum vivimus, hiſce animi, & corporis dotibus excellere. Quæ omnia, ſi cum nationibus fortiſſimis, ac interiori doctrina excultis conferrentur, aut nulla, aut mediocria judicarentur.

II. Deinde *Subſtantiva* plurima etiam ſunt relata: ut *juſtitia*, *ſanctitas*, *bonitas*, cetera. Nam dum in propoſitione adfirmantur, eumdem ſenſum faciunt, quem adjectiva. Idem enim eſt, *Petrus gaudet juſtitia*: ac dicere, *Petrus eſt juſtus*. Propterea & ipſa comparate rebus tribuuntur.

III. Tertio loco, *Adverbia* omnia, ut *belle*, *diſerte*, *vehementer*, *amanter*, quæ modos rei ſignificant, etſi *abſoluta* iis, qui incaute proferunt, videantur; & ipſa ſunt *relata*. Nam quæcumque talibus verbis exprimuntur, habent alios & alios gradus, ſeu recipiunt magis & minus: ideoque comparate dicuntur.

E. g. Ajo, *Petrum ardenter amare*: *belle ac diſerte loqui*. Hæc propoſitio hoc præfert: *ardenter præter iſtos, quos video, amare*: *belle ac diſerte præ omnibus, quos audivi, loqui*. Vel hoc modo; *ardenter præ ſe ipſo alio tempore, & loco*.

Et ne ſingula perſequar vocabulorum genera relata, quod eſſet infinitum, cum viro eruditiſſimo ſic concludam: Adjuncta omnia corporis, & animi noſtri, quæ jungi poſſunt vocabulis *magis*, & *minus*: corporis, ut *calidum*, *frigidum*, *durum*, *molle*, *dulce*, *amarum &c.* animi, ut virtutes, *juſtitia*, *fortitudo*, *prudentia*; ut vitia, *inertia*, *malignitas*, *parvitas animi*; ut actiones, *motus*, *perceptio*, *deſiderium*, & hujus generis alia occaſionem dant, cur nominibus *relatis* adficiantur. Quin immo hujuſmodi nomina, quidquid nos de illis cogitemus, reapſe ſunt *relata*, & reſpiciendo ad aliud rebus ipſis tribuuntur.

Caveat itaque lector, ne nomina *relata* cum abſolutis miſceat, ut plerumque fit: atque relatum nomen non alio modo interpretetur, niſi comparate, & reſpiciendo ad ea, ad quæ fertur.

CA-

CAPUT V.

De vocabulis idearum Abſtractarum.

Reliqua ſunt vocabula *idearum abſtractarum*, ſeu *Abſtracta*, de quibus poſtremo loco diſſeremus. Ea ſunt hujuſmodi, *humanitas*, quæ ab humanus ducitur, *juſtitia* a juſtus, *animalitas* ab animal, & his ſimilia.

Hæc vocabula excogitata fuere hac de cauſſa, ut facilius explicaremus modum, quo rem eſſe concipimus: ſeu ut ideas abſtractas noſtras commodius aperiremus. Verum hiſce vocabulis uſi ſunt homines, Poetæ præſertim, & Philoſophi, tam frequenter, immo interdum tam inperite; vel ut aliis placerent, vel ut perſuaderent iis, ſe reconditam eruditionem habere; ut egregie inpoſuerint univerſo generi humano. Adeo ut ineruditi iis adſueti prorſus ſibi perſuaſerint, exſtare res tales, quales illi fabulabantur. Exemplis hæc inluſtrare erit operæ pretium.

1. Cum animadverterent homines, Niſum ſuaviſſima Euryali conſuetudine perfrui, eique fauſta & felicia precari; dixere, *Niſum amare Euryalum*: & illam adfectionem animi, qua alter in alterum ferebatur, vocarunt *amorem*. Cumque de tali benevolentia ſeorſum loquerentur, & illius effectus mirabiles explorarent, tam multa de *amore* dixere, omnino ut excitarint alios, qui hujuſmodi adfectum rem magnam, exquiſitam, admirandam eſſe putarent. Hinc Poetæ, qui nihil niſi mirabile cogitant, quo facilius aliorum adtentionem rapiant ad ſe; *Amorem*, quaſi Deum mirabilia molientem, intulerunt. Hinc reliqui adfectus animi, *Juſtitia*, *Memoria*, *Fortitudo*, cetera Deorum nomine inſignita fuerunt.

Primi fabulas hæc eſſe certo ſciebant. [1] At longo audiendi uſu ſibi perſuaſere populi, reapſe eſſe perſonas, quæ coli

[1] „ *De Diis hæc & dicuntur, & creduntur ſtultiſſime*, „ *& plena ſunt futilitatis, ſummæque levitatis*. „ Cicero, de Natura Deor. L.II. cap.28. *Et infra ridet honores Diis tributos hoc modo*: „ *Vide igitur, ne virtutibus hominum iſti* „ *honores habeantur, non inmortalitatibus*. „ L.III. c.18.

coli deberent. Quæ religio ſemel ac invaſit gentes nullus quamvis oculatus auderet ei repugnare ſine capitis periculo. Et hoc modo erratio propagata eſt.

2. Non ſecus ac inter noſtros, qui primi *angelos* tamquam juvenes alatos pinxerunt, non illi quidem putabant, ita eſſe. Tamen vix hodie ulli indocto perſuaſeris, non ineſſe angelis alas, & figuram humanam cum ſumma dignitate oris, & vocis.

3. Conſimili loquendi modo ac ratione uſi ſunt Philoſophi. Diſputaturi e. g. de proprietatibus animi, & corporis Petri, ut rerum cauſſas reperirent; cognoverunt, per quam aptum eſſe ad ſermonis compendium, uti aliquo vocabulo, quod omnia humana individua comprehenderet: nam quæ uni homini conveniebant, & alteri propter ſimilitudinem congruere neceſſe erat. Hinc nata eſt vox *natura humana*: quæ nihil aliud ſignificabat, niſi ideam, quam habemus earum proprietatum, in quibus homines ſunt ſimiles; & ab illis diſtinguuntur, qui homines non ſunt: reapſe nihil aliud habet pro objecto.

Explicaturi quænam cauſſa ſit, quare, cum *vinum*, & *aqua*, & *æs* eadem materia conſtent, tamen aliud ſit *vinum*, aliud *aqua*, aliud *æs*; dixere cauſſam eſſe, quia materia diverſo modo formata eſt: & de hac *forma* ſic locuti ſunt, quaſi eſſet res, quæ exſtaret ſeorſum.

Præterea dixerunt, illud per quod Petrus eſt Petrus, id eſt hic homo non alius, eſſe *hæcceitatem* ſuam, ſeu *petreitatem*, ſeu *perſonalitatem*: & de hac ſunt locuti, perinde quaſi res eſſet, quæ ſic exſiſteret. Præterea, cum vellent explicare, Deum habere ideas rerum, quas facit; ſeu nihil facere, quin cognoſcat, quid facit; dixere, eſſe in mente divina *ideas æternas*, & exemplaria omnium rerum. Quæ ſingula quadam ratione vere adfirmabantur. Hæc vetuſtiſſimi homines.

At qui poſt fuere Philoſophi [1] cum vocabulorum propoſitum, ac ſignificandi vim diligenter non explorarent, exiſtimarunt exſtare res eo modo, quo illæ voces declarabant: & vel calliditate, ut rem novam proferre viderentur, vel

[1] *Chaldæi, Pythagorei, Platonici, Semiplatonici, & plerique Scholaſticorum.*

vel anticipatione quadam judicarunt, eſſe neſcio quam rem, quæ vocatur *natura humana*: aliam, quæ ſit *forma*: aliam, quæ ſit *perſona*: cetera. Nec id ſolum, ſed quidam dixerunt, eas eſſe ſubſtantias ſeparatas: quidam eſſe inmerſas in materiam. [1] Præterea non nulli hanc de *perſona ſeparata* doctrinam Catholicæ eccleſiæ placitis omnino eſſe conſentaneam per ſummam inſcitiam adfirmarunt. [2] Quos in præſentia exagitare, alienum eſſe videtur: alio loco pro merito faciemus.

Ergo cum *abſtracta* vocabula occurrunt, animadvertat lector, deſignare tantum ideas noſtras abſtractas: & referendo ad ideas, quas habemus, explicari debere: ad quas ſi referimus, vocabula ſunt clariora: ſin ad res ipſas, obſcuriſſima: nulla enim iis objecta reſpondent eo modo, quo ſumuntur, ſed diverſo. Deinde cum ſenſum habuerit in tuto,

[1] *Repete, quæ ſupra diſputavimus*, L.II. c.5. in Coroll. gen. *Conf. Plutarch.* de Placit. Phil. L.I. c.10. & *Ariſt.* Phyſic. L.I. c.2. & 3.

[2] *Conſtans eccleſiæ Catholicæ doctrina, in Epheſino concilio oppoſita Neſtorio: qui, quemadmodum duas naturas, ita duas perſonas, & duos Chriſtos in eodem Chriſto ponebat unione tantum morali: Deinde firmata in Calchedonenſi contra Eutychetem: qui, quemadmodum unam perſonam, ita unam tantum naturam in Chriſto admittebat: Poſtremo confirmata in Conſtantinopolitano II., qui quatuor priora Concilia confirmavit, hæc eſt: „Confitemur unum eumdemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum: nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem; magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente. „ Sunt verba concilii Calchedonenſis. At nuſquam dixere Patres*, Perſonalitatem humanam eſſe aliquid reale ab ipſa natura ſeparabile: *nec de hoc unquam locutus Neſtorius. Quidquid dicant illi, qui veneranda Eccleſiæ decreta obtorto collo ad Peripateticas ſententias conſtabiliendas trahere conantur. Legatur Natalis Alexander*, Hiſt. Eccl. V. Sæculi Art.12. & 13. & Panoplia ibidem, Diſſert.23. *Tournelly*, de Incarnat. Quæſt.1. art.3. conc.4. & Quæſt.7. & 8. *Petavius*, de Incarnat. L.I. c.9.

ne ſit nimium ſollicitus de vocum expoſitione, quæ plerumque vel inperitia, vel cavillatione ſcriptorum interpretationem non habent.

Laborant hoc vitio ſcriptores bene multi, maxime Poetæ, & præter ceteros, qui vulgata lingua *mileſias* ſcribunt: qui verbis ſæpiſſime utuntur, quibus vel abſtracta ſolum, vel nulla ineſt ſignificandi vis. Deinde eorum plerique, qui *mileſio* ſermone narratiunculas ſcribunt: qui in hoc ſolum diſſimiles ſunt Poetis, quod verſiculos non faciunt. In hunc cenſum venit *Joannes Barclajus*: qui non modo vocabulis hujus generis abundat, ſed tanta obſcuritate cogitata ſua involvit, ut ne ipſe quidem, ſi exſiſtat, de ſuis ſcriptis interrogatus, ea valeat explicare. Huic addo *Laurentium Gratianum*, & his ſimiles, qui dedita opera ſententias ſuas verborum inſolentia, aut obſcuritate occultant. Quos ſi contempſeris omnes, recte feceris.

In eodem numero ſunt Hiſtorici non nulli, illi præſertim, qui vel laudare, vel vituperare homines ſibi propoſuerunt. Quod Clercius quibuſdam Curtii, & Taciti locis luculenter probat. Quibus addere poſſet Florum, Paterculum, &, quod mirabilius, Livium, & Salluſtium; qui nec ipſi ab iis vocabulis ſibi temperant. Accenſendi his ſunt Oratores: idque eadem de cauſſa, quia placere populo, non ideas ſuas accurate declarare curant.

Poſtremo philoſophi Scholaſtici: qui, quod de rebus prorſus incognitis & involutis diſputare amant, verbis utuntur, quæ vel incertam, vel nullam habent ſignificationem: proinde nec aliquid commode explicant, nec intelligi poſſunt. A quo ſane vitio nec Carteſiani ipſi, aut Gaſſendiani philoſophi cavent interdum. Itaque ſi auctores hujuſmodi offendamus, aſtute eorum vocabula explanemus oportet.

ALOY-

Digitized by Google

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER QUARTUS

DE

JUDICIO, ET RATIOCINATIONE.

PARS PRIMA

DE JUDICIO.

CAPUT I.

De natura Judicii.

POſtea quam mens noſtra ideis rerum omnium perfuſa eſt, iis utitur pro lubitu: atque alias cum aliis comparat, & intelligit, utrum conveniant, an ſecus: hoc vocamus *judicare*. Itaque judicium eſt, *perceptio convenientiæ, aut diſconvenientiæ, quæ reperitur inter duas ideas*. Hæc autem convenientia eſt, *incluſio unius ideæ in alia complexa*: diſconvenientia e contrario, *non incluſio, ſeu excluſio unius ideæ ab alia idea complexa*: [1] ut capite ſequenti uberius dicetur.

[1] *Ut* primæ ideæ noſtræ *ſunt imagines objectorum externorum, a quibus proficiſcuntur, non vero ipſamet objecta externa*

Digitized by Google

E. g. Habeam ideam *bovis*, & ideam *canis*: referam unam ad aliam, & intelligam, ideam bovis eſſe majorem, id eſt repræſentare aliquid majus, quam idea canis. Item habeam ideam meæ manus dexteræ, & ſiniſtræ: comparem eas inter ſe, & dignoſcam, ideam dexteræ eſſe æqualem ideæ ſiniſtræ. Cognitio, qua animadverto, *ideam bovis eſſe majorem idea canis*, & *ideas ambarum manuum eſſe æquales*, vocantur *judicia*.

Sunt Philoſophi, qui ſibi perſuadent, cognoſcere ſe penitus, quid ſit judicium; ac de eo plurima confidenter adfirmant. Cum tamen de re loquantur, cujus planiorem ipſi, quam ceteri, intelligentiam non habent, audiendi non ſunt.

Philoſophi cordatiores ingenue profitentur ignorare ſe, quid ſint perceptiones mentis: & merito quidem. Nam cum nemo homo intelligat, qualis ſit natura animi noſtri, & præſertim facultatis illius, quam Deus poſuit in animo, & quam mentem nominamus; conſequitur, percipi non poſſe, quales ſint ejuſdem mentis actiones ſeu cognitiones. Et niſi Deus id nobis manifeſtaverit in hac vita, perpetuo in ignoratione verſabimur.

Omnino id ſcimus clare & evidenter, mentem noſtram judicare: h. e. dum comparat ideam *Stellæ*, cum idea *Solis*, penitus percipere, *hanc eſſe majorem illa*; quod eſt adfirmare: vel *non eſſe æquales*, quod eſt negare. Judicium vero non conſiſtit in idea *Solis*, & *Stellæ*; ſed in nuda cognitione, quæ id percipit ſeu adfirmat: [1] & eſt omnino individuum: nec enim intelligi poteſt, quid ſit dimidium, aut tertia pars judicii. Sed hæc ad bene judicandum ſupervacanea ſunt.

Illud utilitatem adfert memoria tenere, aliquando obverſari menti perfectum judicium, quin de eo mens judicet. Nem-

---

terna, quæ nec cerebrum, nec mentem contingunt; ita judicium noſtrum eſt, comparatio earumdem idearum inter ſe, non vero externorum objectorum, niſi latiſſima acceptione, nempe prout talia objecta ideis, quas habemus, cohærentia ſunt.

[1] Percipere, & perceptio *hoc loco ex ſententia Ciceronis ſumuntur, qui tranſlate iis utitur ad ſignificandum tum ſenſus animi, tum quamcumque notionem, & judicium.*

Nempe hoc judicium: *Omnes Philoſophiæ partes non, niſi poſt conditas ſuperiori ſæculo Academias Regias, emendatæ ſunt, & in bono lumine collocatæ*: ſi Recentioris menti obverſetur, qui id pro vero habet, eſt *judicium*: ſin autem Peripatetici, qui tale quid falſum putat, eſt tantum *idea complexa*. Similiter ſi id nec verum, nec falſum putem, ſed menti conſiderandum proponam, eſt item *idea complexa*. Quod animadvertere neceſſe eſt, ne cum ideas valde complexas nobis ſiſtimus, putemus nos de iis judicium ferre; cum eas non niſi ſimplici perceptione adtingamus.

Porro autem judicium cum verbis exprimitur, vocatur *enunciatio*, & *propoſitio*. Quare, ſi de judicio aliquid conſtituere cupimus, de propoſitionibus agendum eſſe videtur.

CAPUT II.

De judicio verbis expreſſo, ſeu de Propoſitione.

PRopoſitio eſt, *oratio adfirmans, vel negans aliquid de aliquo*. [1] Reſpondet enim judicio, quod vel duas ideas componit, vel disjungit. Itaque duas habet partes: ea, de qua aliquid adfirmatur, aut negatur, dicitur *ſubjectum*: quæ de illa adfirmatur, aut negatur, *prædicatum*. Vel prædicatum ſit primo, vel ſecundo loco, perinde eſt.

E. g. In his, *Deus eſt juſtus*: *Homo non eſt equus*: nomina *Deus*, & *Homo* ſunt ſubjectum: nomina *juſtus*, & *equus* ſunt prædicatum.

Eſt præterea *nexus*, ſeu verbum *eſt*, quo vis judicandi ſignificatur: id eſt, oſtenditur prædicatum in ſubjecto includi, vel non includi. Nam prima hoc dicere vult: *In idea Dei incluſa eſt idea juſtitiæ*. Altera, quia verbo additur negatio, hoc: *In idea hominis non incluſa eſt idea equi*.

Nulla excogitari poteſt propoſitio, quæ non aliquid ajat, aut neget: h. e. quæ non conſtet prædicato, ſubjecto, & verbo *ſum*, vel expreſſis, vel ſubauditis.

E. g. In his adfirmationibus: *vivo*, *morior*, *Petrus amat*, ſubaudiuntur hæ: *Ego ſum vivens*: *Ego ſum moriens*: *Petrus eſt amans*. Similiter Optativæ, ut *vivam*, *peream*, hunc

[1] *Ariſtotel.* Analyt. Prior. L.I. c. 1.

hunc ſenſum reddunt: *Ego ſum cupiens, ut ego ſim vivens*: *Ego ſum cupiens, ut ego ſim periens*. Imperativæ, ut *ama*, *amato*, exponuntur hoc modo: *Ego ſum jubens, ut tu ſis amans*. Interrogativæ, ut *amem?* ſic: *Ego ſum cupiens ſcire, ſi tu es amans*. Conſimili modo explicabis Potentiales, Exclamativas, Præcativas, ceteraſque.

Ex quo apparet, verbum *ſum* non ſignificare *identitatem* prædicati, & ſubjecti, id eſt unum eſſe aliud, ut Veteres exiſtimarunt; ſed hoc tantum ſignificare, *prædicatum in ſubjecto includi ac contineri*. Nulla enim propoſitio ajens eſt vera, niſi quia totum prædicatum in ſubjecto includitur: nulla negans vero, niſi quia totum non includitur. Neque id ex verborum ſono, ſed ex eorum ſenſu in communi uſu loquendi, ac ſcopo proferentis eſt Judicandum. Sed quia non Veteres modo, ſed non nulli Recentiores hæc non intelligunt, & vocabulis *convenientiæ*, & *diſconvenientiæ* ideam obſcuriſſimam adjungunt; exemplis ſunt explananda.

1. Cum diligenter examino, quare indubitate dico, *Deum eſſe juſtum*; ſtatim cognoſco rationem eſſe, quia ſub nomine *Deus* concipio Catholico ſenſu ideam complexam omnium proprietatum Dei, quarum una eſt *juſtitia*. Sin autem ex mente vel Epicuri, vel Ariſtotelis loquerer, qui talem Deum fingunt, qui nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira, nec ulla beneficia hominum generi tribuere poteſt; tunc nomini *Deus* aliam ideam complexam ſubjicerem, quæ non includit *juſtitiam*, ſed excludit: propterea dicere non poſſem, *Deus eſt juſtus*: ſed e contrario, *non eſt juſtus*. In Deo autem *juſtus*, & *juſtitia* eſt idem.

2. Similiter cum dico: *Omne rationale eſt riſibile*: vocabulo *rationalis* ſubaudio ideam complexam proprietatum *hominis*, quæ includit prædicatum *riſibilis*. Nam ſi me ipſum interrogem, quid intelligam ſub *rationali?* illico animadvertam, me non deſignare ideam *rationalis* ab aliis abſtractam; ſed ideam hanc cum aliis conjunctam, nempe ideam complexam *hominis*: [nam ipſum *rationale* humanum includit ideam *hominis*] & velle dicere: *Omne id, quod eſt rationale, eſt riſibile*: quæ hoc ſignificat: *Omne id, quod includit ideam rationalis, includit etiam ideam riſibilis*: nam ſi hanc pro illa ſubſtituas, idem apud omnes, qui linguam intelligant, ſignificabis. Idem valet ſi dicas, *Riſibile eſt rationale*.

3. Eo-

3. Eodem modo cum dico: *Ego ſum vivens*: pronomine *ego* deſigno ideam complexam *mei individui*, & volo dicere, *Meum individuum eſt vivens*: quod valet: *In idea complexa mei individui includitur idea viventis*.

4. Item cum dico: *Cælum eſt ſerenum*: *Tempus eſt nubilum*: ſub nomine *cæli*, & *temporis* non intelligo merum *cælum*, & *tempus*, ſed aliud complexum. In primo enim deſigno, *aerem obſcuris nubibus vacuum, atque vel Solis radiis, vel Stellarum fulgore colluſtratum*; quod ipsum aperte continet ideam *ſereni*. In altero intelligo, *aerem obſcuris nubibus horrentem, ſine ſplendore Solis, & Stellarum &c.* quod etiam clare continet ideam *nubili*. Propterea prædicatum in utroque ſubjecto contentum, vere utrique ſubjecto tribuitur.

5. Præterea cum dico: *Petrus eſt juſtus*: nomine *Petri* ſubaudio ideam complexam, ſeu Petrum omnibus ſuis dotibus ornatum; quarum una eſt, *gaudere juſtitia*, ſeu *eſſe juſtum*. Igitur hoc dicere volo: *Hic homo, qui vocatur Petrus, & cujus mores mihi explorati ſunt, eſt juſtus, ſeu habet etiam prædicatum juſtitiæ*. Nam ſi mihi Petri mores explorati non ſunt, quo jure illi tribuo *eſſe juſtum*? Ergo ſi rem paullo diligentius expendo, clare cognoſcam, me uno nomine *Petri* hæc omnia complexum eſſe: ſed propter celeritatem mentis diſtincte non advertiſſe.

6. Quod ſi dicerem: *Petrus eſt juſtitia*: hæc propoſitio nemine contradicente eſſet falſa: quia facit hunc ſenſum: *Idea complexa Petri eſt idea abſtracta juſtitiæ*: quod ſine ulla dubitatione falſum eſt. Nam ſub nomine *juſtitiæ* ſeorſum ſumtæ non ſubauditur *eſſe juſtum*, ſeu *gaudere juſtitia*; ſed intelligitur *idea abſtracta juſtitiæ*: in hoc enim differt *juſtitia*, & *juſtus*. Hæc autem idea abſtracta non includitur in Petro: quia pugnant hæc duo, *abſtractum*, & *incluſum*. Ergo ſi eſt abſtracta ab omni ſubjecto, nequit in aliquo includi: ideoque propoſitio eſt falſa.

7. Ad hæc cum dico: *Decem ſunt quinque*: hæc propoſitio ex communi uſu loquendi ſignificare debet: *Decem ſunt quinque ſolum*. At prædicatum *quinque ſolum* non includitur in ſubjecto *decem*, ſed aperte excluditur: proinde eſt falſa. Quod ſi dicerem: *Decem ſunt quinque ſimul cum aliis quinque*: tunc prædicatum in ſubjecto contineretur, & vera eſſet.

8. Ad

8. Ad extremum cum dico: *Decem ſunt decem*; *Omnes homines ſunt homines*: volo dicere: *In numero decem includitur numerus decem*: *Omnia entia, quæ dicuntur homines, includunt ideam hominis*. Non enim in his, & ſimilibus neceſſe eſt, ut continens ſit majus contento, ſed ſatis eſt, quod exhauriat totum contentum, & hoc illi exacte congruat.

Poſſunt item hæ propoſitiones *identicæ*, ſeu, quæ idem prædicatum, & ſubjectum habent, explicari hoc modo: *Idea decem ob exactam ſimilitudinem cum altera idea decem, videtur includi in ſua ſimili. Idea hominis, quia eſt perfecte ſimilis alteri ideæ hominis, videtur in ea includi & contineri*. Quo caſu verbum *ſum* non ſignificat veram incluſionem, ſed perfectam ſimilitudinem incluſionis.

Negantes autem propoſitiones e contrario ſe habent: nempe tunc ſolum veræ ſunt, cum prædicatum in ſubjecto non continetur: velut in exemplo ſupra. Nam ſi dicam: *Decem non ſunt quinque*: hæc ſignificat: *Decem non ſunt quinque ſolum*. Manifeſtum eſt autem *quinque ſolum* non contineri in ſubjecto *decem*: iccirco negans eſt vera. Nam ſi dicerem: *Decem non ſunt quinque ſimul cum aliis quinque*: tunc eſſet falſa, quia prædicatum includeretur in ſubjecto, ſeu ab eodem exhauriretur: quod in negantes non quadrat.

Quare oportet ſollertiſſime indagare tum prædicati, tum vero maxime ſubjecti ſenſum: & animadvertere, quam multæ, & variæ ideæ interdum uno prædicati, maxime autem ſubjecti nomine contineantur: eaſque accurate ſeparare, ut intelligamus, an contineant & exhauriant totum prædicatum, an aliter. Quod quia plerique non faciunt, proinde nec intelligunt quando prædicatum conveniat ſubjecto, nec recte de Propoſitionibus ſtatuere poſſunt. [1]

Jam vero in propoſitione tria conſiderare poſſumus. Primum, quot partibus conſtet. Deinde, quo pacto hæ partes

[1] *Quam miræ utilitatis ſit hæc doctrina in exploranda veritate Propoſitionum, & bonitate Syllogiſmorum; quamque breviter, & clare expediat, quod alii longis præceptionibus involvunt, & obſcurant; verbis exprimi ſatis non poteſt. Suis autem locis uſum indicabimus: cetera præceptoribus exponenda relinquemus, qui eam ad alias propoſitiones utiliter applicabunt.*

tes coaleſcant, aut disjungantur. Poſtremo, plurane, an pauciora objecta comprehendat. Id Logici explicant hoc modo: conſiderari debere *materiam*, *formam*, *quantitatem* propoſitionis: in quibus ſunt quædam ad veri indagationem non inutilia, quæ breviter percurremus.

Caput III.

De Propoſitionis materia:

Jam prædicatum, & ſubjectum propoſitionis, quæ, vocantur *extrema*, ſeu *termini*, plurimis modis inter ſe vinciri poſſunt: ex quibus totidem propoſitiones naſcuntur.

Vel enim prædicatum ita cum ſubjecto convenit, ut numquam ab eo ſeparari poſſit, & dicitur propoſitio *neceſſaria*: ut *Homo eſt vivens*. Vel poſſunt aliquando non convenire, & vocatur *contingens*: ut *Equus ambulat*. Quod ſi prædicatum numquam convenire poteſt ſubjecto, appellatur *impoſſibilis*: ut *Petrus eſt canis*. Sed hæc item ad neceſſariam refertur: nam illa dicitur *neceſſario vera*: hæc vero *neceſſario falſa*.

Propoſitiones negantes veræ referuntur ad *neceſſariam*, aut *contingentem*: nullum tertium. Vel enim unum nullo modo poteſt convenire alteri, ut *Homo non eſt equus*; & eſt *neceſſaria*. Vel poſſunt unum & aliud convenire, ut *Joannes non eſt bonus*; & eſt *contingens*.

Hæ propoſitiones vocantur *abſolutæ*, ſi ſimpliciter adfirment, aut negent, hoc modo: *Homo eſt animans*. *Alexander Magnus fuit Rex*. Quod ſi exprimant modum, quo prædicatum cum ſubjecto conſentit, vocantur *modales*: ut *Homo neceſſario eſt animans*. *Alexander contingenter fuit Rex*: vel hoc modo: *Neceſſe eſt*, *Hominem eſſe animans*. &c.

Sunt tamen non nullæ, quæ abſolutæ eſſe videntur, re vera ſunt modales. Hæ autem ad *neceſſariam*, vel *contingentem* reducuntur. e. g. *Egregium eſt*, *a laudato viro laudari*. *Honeſtum eſt*, *incumbere in litteras*. Quæ explicantur hoc modo: *Neceſſario laudabile eſt*, *laudari a laudato viro*. *Neceſſario honeſtum eſt*, *incumbere in litteras*.

De Simplici, & Compoſita.

Simplex propoſitio eſt, quæ uno tantum prædicato, ac ſubjecto conſtat: ut *Angelus eſt inmortalis*. *Compoſita* ſeu complexa eſt, cujus prædicatum, vel ſubjectum ex aliis præſidſo quarumdam particularum componitur, & æquivalet pluribus propoſitionibus ſimplicibus: ut *Petrus*, & *Paullus ſunt homines*. *Deus eſt juſtus, & miſericors*.

Hæ particulæ plures eſſe poſſunt, tamen ad ſex claſſes revocantur, ex quibus propoſitiones ipſæ nomina habent. Singularum exempla ſupponam.

1. *Copulativa* propoſitio eſt, in qua plures res vel ex parte ſubjecti, vel prædicati particula aliqua copulantur. Particulæ vero hujuſmodi ſunt: *&*, *que*, *ac*, *atque*, *etiam*, *quoque*, *cum*, *tum*, *nec*, *necnon*, *neque*.

E. g. *Mens, ratio, & conſilium in ſenibus eſt*: quæ hoc valet: *Mens eſt in ſenibus: & ratio eſt in ſenibus: & conſilium eſt in ſenibus*. Aliquando conjunctio negans eſt expreſſa: ut *Nec tibi diva Parens, generis nec Dardanus auctor, perfide*. Aliquando vero occulta: ut *Nemo meorum recordatur mei*: hoc eſt, *Nec hic, nec ille, nec quiſpiam meorum recordatur mei*.

2. *Disjunctiva* eſt, in qua duæ propoſitiones his particulis conjunguntur, *aut*, *vel*, *ſeu*, *ſive*: ut *Aut ediſces Philoſophiam, aut cedam te fuſtibus*.

3. *Condicionalis*, quæ etiam vocatur *Hypothetica*, eſt, in qua prædicatum tribuitur ſubjecto aliqua lege & condicione, quæ exprimitur particulis, *ſi*, *ſin*, *ſiquidem*, *modo*, *ut*, *niſi*, *dum*. e.g. *Si homo nulla gravi cauſſa occidet alium, capite plectetur*.

4. *Cauſſalis* eſt, quæ cauſſam præfert, cur prædicatum ſubjecto tribuatur: quod effertur talibus particulis, *uti*, *quia*, *quoniam*, *ideo*, *iccirco*, *eo quod*, *etenim*, *ſiquidem* &c.

E. g. *Sol factus eſt, ut mundum luce ſua perfunderet: vel quia mundum ſua luce neceſſe erat inluminare*. Hic cauſſalis eſt expreſſa: in hac vero involuta: *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco*: quæ exponitur hoc modo: *Quia non ſum ignara mali, diſco ſuccurrere miſeris*.

Ad hanc claſſem reducuntur *Reduplicativæ*, quæ expri-

primuntur hiſce verbis, *qua*, *quatenus*, *ut*. Nam idem eſt, *Homo ut homo obnoxius eſt multis miſeriis*, ac dicere, *Homo quia eſt homo*.

5. *Relativa* eſt, cujus partes mutuam relationem habent, indicatam talibus particulis, *ubi*, *ante*, *ibi*, *prius*, *poſt* &c. e. g. *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. [1]

6. *Diſcretiva* eſt, in qua propoſitiones ſimplices particulis adverſantibus uniuntur.

E. g. *Vides tu quidem, ſed non comedes de ea*: clara eſt adverſatio. *Video meliora proboque, deteriora ſequor*: eſt occulta, quæ exponitur hoc modo: *Video meliora, ſed ſequor deteriora*.

Jam vero propoſitiones vel ſunt compoſitæ *ratione materiæ*, vel *ratione formæ*. Ratione materiæ ſunt *copulativæ*, de quibus ſupra. Ratione formæ ſunt illæ, quarum una pars eſt objectum alterius, ſeu aliam quodammodo reſpicit, ut *Cupio, Patres Conſcripti, me eſſe clementem*. Hujuſmodi etiam ſunt reliquæ, quas ante memoravimus, *disjunctiva*, *condicionalis*, *cauſſalis*, *relativa*, *diſcretiva*: immo & *modales*, ut *Neceſſe eſt, hominem eſſe animal*.

De Exponibili.

Atque hucuſque de illis, quæ ſine ulla dubitatione compoſitæ ſunt. Quædam tamen ſunt propoſitiones, quarum compoſitio non illico menti obverſatur; ſed poſtea quam, quid ſignificent, exponimus, fit manifeſta: iccirco vocantur *exponibiles*. Videntur ajentes, quamvis plerumque ſint virtute negantes. En exempla.

1. *Excluſiva* eſt, in qua prædicatum de ſolo ſubjecto adfirmatur, aut contra: idque vi particularum, *tantummodo*, *ſolum*, *dumtaxat*, *unice* &c.

E. g. *Solus Deus immortalis adorandus eſt*. Quæ exponitur hoc pacto: *Deus adorandus eſt, & is nimirum, qui eſt immortalis*: ſeu, *nec alius niſi immortalis*. Ad hanc claſſem pertinet *Exceptiva*: ut, *Homo eſt rationalis, excepto corpore*: quæ idem enunciat, ſed alio modo.

2. *Com-*

[1] *Matth.* Cap. XVIII. 20.

2. *Comparativa* eſt, in qua prædicatum adfirmatur de ſubjecto cum relatione ad aliud: quæ relatio exprimitur vel nominibus comparativis, vel particulis, *quam*, *quanto*, *magis*, *tanto* &c.

E. g. *Sertorius fuit peritior belli, quam Pompejus. Lucanus eſt inferior in Poeſi Virgilio.* In his includuntur duæ hoc modo: *Pompejus fuit bellicæ artis peritus, at non æque peritus ac Sertorius. Lucanus eſt bonus Poeta, at non æque bonus ac Virgilius.* Poſſunt tamen includi plures quam duæ: e. g. *Quanto majores ſumus, tanto nos ſubmiſſius geremus.* Quæ explicatur ſic: *Majores ſimus aliis, & hac de cauſſa curare debemus, ne illi nos ſuperent omni varietate virtutum, & rurſum ſimus inferiores iis.*

Occurrunt tamen propoſitiones, in quibus, ut recte docet vir doctus, id, de quo adfirmatur eſſe *melius*, non dicitur abſolute *bonum*, ſed explicatur diverſo modo.

E. g. *Melior eſt boneſta paupertas, male partis divitiis.* Hæc propoſitio non poteſt explicari ſic: *Divitiæ male partæ bonæ ſunt; melior tamen eſt paupertas boneſta*: ſed hoc modo: *Honeſta paupertas non eſt vituperanda; verum divitiæ male partæ vituperandæ ſunt.* Id plerumque uſuvenit, quando per tropum comparativum verbum uſurpamus. Qui enim proprie loqui vellet, deberet in his, & ſimilibus non uti comparativo, ſed vel poſitivo, vel periphraſi. Quod memoria teneamus oportet, ne inepte interpretemur auctores, ſcripturam Sacram præſertim, cujus in libris Salomonis, & Siracidis, frequenter tales propoſitiones ſe offerunt.

3. *Inceptiva* eſt, in qua prædicatum ita ſubjecto convenit, ut antea convenire illi non poſſet.

E. g. *Luſitana hiſtoria Joanne V. regnante accuratius ſcribi cœpit.* Hæc complectitur duas propoſitiones: *Hiſtoria Luſitana ante Joannem V. tenebris obvoluta erat: ſed eo imperante in bono lumine collocata eſt.*

4. *Deſitiva* e diverſo ſe habet: ut *Maurorum imperium in Luſitania ab clade per Alphonſum I. accepta, labefactari cœpit.* In hac propoſitione continentur hæ: *Imperium Maurorum in Luſitania ante Alphonſum regem florebat: ſed poſtea quam eos Rex ſtrenuus profligavit, deſiit obtinere.* Reapſe tamen propoſitio *Deſitiva* eſt etiam *Inceptiva*, reſpiciendo ad diverſa.

5. Con-

5. *Continuativa* eſt, in qua prædicatum non ſolum ante, ſed etiam in præſentia convenit ſubjecto.

E. g. *Joannes III. is fuit, qui Luſitanorum rem florentem ſervavit*. Hæc propoſitio tria ex contextu poteſt complecti. 1. ante Joannem rem noſtram floruiſſe. 2. ſub Joanne pari gradu ſtetiſſe. 3. poſt Joannem cladem ſubiiſſe. Omnis igitur propoſitio, in qua aliquid, præter id, quod exprimitur, continetur; eſt compoſita: & ut de ea judicemus, non id tantum, quod præfert, ſed quod involvit, eſt perpendendum.

De Incidente.

Propoſitiones autem complexæ quoad materiam, interdum continent alias propoſitiones, quæ *Incidentes* appellantur.

E. g. *Joannes V. qui fuit ditiſſimus omnium regum Luſitanorum, multa magnifica fieri curavit*. Continetur in ſubjecto hæc propoſitio: *Qui fuit ditiſſimus noſtrorum Regum*. Hoc tamen intereſt. *Incidens* exprimit judicium, quod feceram, & in præſentia ſuppono, cum aliud præcipue adfirmo. *Complexa* exprimit judicium, quod nunc facio, & eſt præcipuus adfirmationis ſcopus. Clarius: *Incidens* exprimit judicium de *modo* ſubjecti [qui modus tamen a ſubjecto ſeparari poteſt, firma remanente adfirmatione] & idem valet ac ſi Adjectivum, quod idem ſignificaret, ſubjecto adjungeretur. *Complexa* exprimit judicium, quod facio de ſubjecto tali modo adfecto. Quare ſi falſa eſt *incidens*, falſa erit *complexa*. Nempe ſi Joannes V. non eſſet *ditiſſimus*, falſa eſſet propoſitio.

Quo vero plures fuerint incidentes, eo magis complexa erit propoſitio.

Exemplum ſit illud Ciceronis exordium pro Milone: *Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere; minimeque deceat, cum Titus Annius Milo ipſe magis de reipublicæ ſalute, quam de ſua, perturbetur, me ad ejus cauſſam parem animi magnitudinem adferre non poſſe; tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos: qui quocumque inciderunt, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum requirunt*. Hæc propoſitio conti-

 net

net plures incidentes in ſubjecto, ante verbum *terret*. Propoſitum enim Ciceroni eſt dicere, *dandam ſibi eſſe veniam, quod terreretur armatorum corona*.

Plura hujuſmodi exempla invenietis in Orationibus, maxime Ciceronis, & in Poetis. [1] Legatis ſeptemdecim primos verſus poematis Ludovici Camoenſii, vulgo *Luſiadas*, & ſciatis, eſſe unam propoſitionem complexam ex plurimis incidentibus. Immo vix in ſermone noſtro, præſertim cum aliquanto ornatius loquimur, niſi complexis propoſitionibus, quæ plurimis conſtant incidentibus, utimur.

Hæ vero incidentes non ſolum in ſubjecto, ſed etiam in prædicato ſe offerunt: ut *Cicero amiciſſimus fuit Lucretio, qui erat elegantiſſimus Poetarum*. Aliquando vero utroque loco: ut *Hannibal, qui fuit fortiſſimus Carthaginienſium, vicit Romanos, qui erant fortiſſimi omnium populorum*.

Sunt propoſitiones, quæ videntur non habere incidentes, & tamen habent, velut hæc: *Recentiores Phyſiologi oſtendunt, aerem eſſe gravem*. Hæc enim propoſitio duplicem interpretationem habet. Nam ſi facit hunc ſenſum: *Aer, ut Philoſophi recentiores oſtendunt, eſt corpus grave*; tunc illud, *recentiores Philoſophi oſtendunt*, eſt incidens membrum. Quod ſi erat mihi in animo tantum referre, quid ſcripſerint Philoſophi *de aere*; hoc caſu propoſitio non habet incidentem.

Quamobrem quotieſcumque ſe offert propoſitio valde complexa, diligenter ſeparemus incidentes, ne decipiamur judicando. Quod ſi non liquido conſtet, qualiſnam ſit incidens propoſitio; inveſtigemus accurate mentem proferentis, & finem, quem ſibi poſuit. Sic facile dignoſcemus, quid ille, qui profert, tali propoſitione adfirmare havet præcipue, quid incidenter.

CA-

[1] *Lucretius elegantiſſimus Poeta, initio poematis* de Rerum Natura, *Almam Venerem invocans, texit propoſitionem conſtantem plurimis incidentibus, quæ tam longa eſt, ut 34. verſus complectatur*.

CAPUT IIII.

De Propoſitionis forma.

IN omni propoſitione vel duo extrema conjungimus, quod eſt *adfirmare*: vel divellimus, quod eſt *negare*. Hæc autem adfirmatio, vel negatio vocatur Logicis *forma* propoſitionis.

Proprium adfirmationis univerſalis eſt, conjungere extrema ſecundum ampliſſimam ſignificationem, quam ſubjectum habet; non ſecundum eam, quam habet prædicatum.

E. g. Cum dico, *Omnis homo eſt animal*; hæc propoſitio ex communi uſu loquendi non ſignificat: *Omnis homo eſt omne genus animalis*: ſed hoc tantum; *Omnis homo eſt aliquod genus animalis*. Id Logici explicant hoc modo: *Adfirmatio univerſalis diſtribuit ſubjectum, non prædicatum*.

Negatio vero univerſalis divellit omne prædicatum ab omni ſubjecto. Cum dico, *Nullus homo eſt lapis*: hoc dico: *Nec hic, nec ille, nec alius homo eſt ullum genus lapidis*. Iccirco Logici dicunt, *Negationem univerſalem diſtribuere prædicatum, & ſubjectum*.

Interdum vero occurrunt propoſitiones, quæ videntur negantes, reapſe ſunt adfirmantes; quia negatio non adficit verbum, ſed vel ſubjectum, vel prædicatum: ut *Non meditate ſcribens fallitur plerumque*. *Equus eſt non homo*. Senſus primæ eſt: *Ille, qui ſcribit res non meditatas, fallitur plerumque*. Senſus ſecundæ eſt: *Equus eſt res aliqua, quæ non eſt homo*.

E diverſo ſunt propoſitiones, quæ videntur adfirmantes, re negant. Id tiro facilius intelliget ſi expenderit, qualis ſit ſcopus proferentis: non enim ex verborum ordine, & ſono, qui fallit interdum, ſed ex fine proferentis judicanda hæc ſunt. Clarius id cognoſcitur in ſyllogiſmis, quam in propoſitionibus ſeorſum ſumtis. Exemplo ſit ille ſyllogiſmus pervulgatus:

Omnis bonus paſtor paratus eſt animam ponere pro ovibus ſuis.

Hoc ſæculo pauci ſunt paſtores, qui parati ſint animas ponere pro ovibus ſuis.

Igitur, hoc ſæculo pauci ſunt boni paſtores.

Secunda, & tertia propoſitio hujus ſyllogiſmi verbis videntur adfirmantes, re ſunt negantes, & faciunt hunc ſenſum: *Plurimi hoc ſæculo paſtores non ſunt parati animam ponere pro ovibus ſuis.* Ex quo bene colligimus: *Plurimi hoc ſæculo paſtores non ſunt paſtores boni.* Hæc diligenter animadvertenda ſunt, præſertim cum ſyllogiſmos expendimus, ne per errorem judicemus, peccare eos in leges communes, cum tamen non peccent.

Caput V.

De Propoſitionis quantitate.

Quando prædicatum pluribus, aut paucioribus ſubjectis convenit, vel repugnat, hæc vocatur *quantitas* propoſitionis. Id plerumque ex ampliori, aut ſtrictiori ſubjecti ſignificatione derivatur.

Itaque cum ſubjectum pro omnibus individuis accipitur, pro quibus accipi poteſt, vocatur propoſitio *univerſalis*: ut *Omnis homo eſt vivens.* Sin autem unum individuum ſignificet, quin ullum certum deſignet, nominatur *particularis*: ut *Aliquis homo eſt vivens.* Quod ſi aliquod individuum peculiari appellatione deſignetur, dicitur *ſingularis*: ut *Joannes eſt vivens.* Poſtremo ſi nullum nomen addatur, quod vel extendat, vel reſtringat ſignificationem nominis, appellatur *indefinita*; ut *Homo eſt vivens. Homo eſt albus.*

Harum duæ ultimæ claſſes reducuntur ad priores. Nam *Joannes* nihil amplius ſignificare poteſt, quam *hunc Joannem.* Propterea ſingularis propoſitio, cum de forma quæritur, habetur pro univerſali.

Indefinita autem ſi materia eſt neceſſaria, ut *Homo eſt animal*, cenſetur univerſalis; nam *eſſe animal*, neceſſario convenit omni homini. Si vero eſt contingens, ut *Homo eſt albus*, habetur pro particulari: non enim omnes homines ſunt albi, ſed aliqui tantum,

Quando prædicatum ita convenit omnibus, ut nullus exci-

excipi queat, vocatur univerſalis *metaphyſice*: ut *Omnis homo eſt animal*. Si vero ita convenit, ut poſſit alicui interdum non convenire, dicitur univerſalis *moraliter*: ut *Aethiopes ſunt libidinoſi*. *Graeca fides non eſt firma*. Quamvis enim, ſi utriuſque gentis mores conſideramus, verum ſit, pleroſque iis flagitiis inquinari; aliquando tamen excipiuntur non nulli.

Plurimum tamen intereſt Philoſophi, ex particularibus propoſitionibus univerſales deducere, quibus noſtrarum cognitionum fines prorogentur. Id ut faciamus, conſideremus oportet, quonam pacto prædicatum particularis cum ſubjecto conſentit: eamque explicationem addamus, quæ prædicatum ad omnia ſubjecta trahat.

E. g. In hac propoſitione: *Quidam homo eſt Philoſophus*: ſi inveſtigamus, cur prædicatum ſubjecto conſentiat, reperiemus cauſſam eſſe, propterea quia aliqui homines facultate gaudent rerum cauſſas perſpicue intelligendi, & inde per ratiocinationem conſecutiones inferendi. Itaque faciam univerſalem hoc modo: *Omnis homo, qui facultatem habet rerum cauſſas inveſtigandi, & ſua pronunciata demonſtrandi, eſt Philoſophus*.

Hac ratione & cognitiones mentis noſtræ mirandum in modum augentur, & graviores diſciplinæ ad ſummum faſtigium provehuntur: nam quod ſubjecto univerſali tribuitur, ſingulis ſub eo contentis tribui poteſt. Quod ipſum eſt dilatare fines noſtræ inveſtigationis.

COROLLARIUM.

Hinc omnes propoſitiones ad quatuor claſſes referuntur.

Id exprimunt Logici quatuor litteris. A *aientem* ſeu *adfirmantem*, E *negantem*, univerſales: I *aientem*, O *negantem*, particulares ſignificant.

De Oppoſitione.

Oppoſitio propoſitionum eſt, *Comparatio duarum propoſitionum, quæ idem prædicatum, & ſubjectum habent, mutata vel forma, vel quantitate, vel utraque*. Jam ſi propoſitiones hoc modo comparamus, quadrifariam inter ſe oppo-

Hoc ſæculo pauci ſunt paſtores, qui parati ſint animam ponere pro ovibus ſuis.

Igitur, hoc ſæculo pauci ſunt boni paſtores.

Secunda, & tertia propoſitio hujus ſyllogiſmi verbis videntur adfirmantes, re ſunt negantes, & faciunt hunc ſenſum: *Plurimi hoc ſæculo paſtores non ſunt parati animam ponere pro ovibus ſuis*. Ex quo bene colligimus: *Plurimi hoc ſæculo paſtores non ſunt paſtores boni*. Hæc diligenter animadvertenda ſunt, præſertim cum ſyllogiſmos expendimus, ne per errorem judicemus, peccare eos in leges communes, cum tamen non peccent.

CAPUT V.

De Propoſitionis quantitate.

Quando prædicatum pluribus, aut paucioribus ſubjectis convenit, vel repugnat, hæc vocatur *quantitas* propoſitionis. Id plerumque ex ampliori, aut ſtrictiori ſubjecti ſignificatione derivatur.

Itaque cum ſubjectum pro omnibus individuis accipitur, pro quibus accipi poteſt, vocatur propoſitio *univerſalis*: ut *Omnis homo eſt vivens*. Sin autem unum individuum ſignifcet, quin ullum certum deſignet, nominatur *particularis*: ut *Aliquis homo eſt vivens*. Quod ſi aliquod individuum peculiari appellatione deſignetur, dicitur *ſingularis*: ut *Joannes eſt vivens*. Poſtremo ſi nullum nomen addatur, quod vel extendat, vel reſtringat ſignificationem nominis, appellatur *indefinita*: ut *Homo eſt vivens*. *Homo eſt albus*.

Harum duæ ultimæ claſſes reducuntur ad priores. Nam *Joannes* nihil amplius ſignificare poteſt, quam *hunc Joannem*. Propterea ſingularis propoſitio, cum de forma quæritur, habetur pro univerſali.

Indefinita autem ſi materia eſt neceſſaria, ut *Homo eſt animal*, cenſetur univerſalis: nam *eſſe animal*, neceſſario convenit omni homini. Si vero eſt contingens, ut *Homo eſt albus*, habetur pro particulari: non enim omnes homines ſunt albi, ſed aliqui tantum.

Quando prædicatum ita convenit omnibus, ut nullus exci-

excipi queat, vocatur univerſalis *metaphyſice*: ut *Omnis homo eſt animal*. Si vero ita convenit, ut poſſit alicui interdum non convenire, dicitur univerſalis *moraliter*: ut *Aethiopes ſunt libidinoſi*. *Græca fides non eſt firma*. Quamvis enim, ſi utriuſque gentis mores conſideramus, verum ſit, pleroſque iis flagitiis inquinari; aliquando tamen excipiuntur non nulli.

Plurimum tamen intereſt Philoſophi, ex particularibus propoſitionibus univerſales deducere, quibus noſtrarum cognitionum fines prorogentur. Id ut faciamus, conſideremus oportet, quonam pacto prædicatum particularis cum ſubjecto conſentit: eamque explicationem addamus, quæ prædicatum ad omnia ſubjecta trahat.

E. g. In hac propoſitione: *Quidam homo eſt Philoſophus*: ſi inveſtigamus, cur prædicatum ſubjecto conſentiat, reperiemus cauſſam eſſe, propterea quia aliqui homines facultate gaudent rerum cauſſas perſpicue intelligendi, & inde per ratiocinationem conſecutiones inferendi. Itaque faciam univerſalem hoc modo: *Omnis homo, qui facultatem habet rerum cauſſas inveſtigandi, & ſua pronunciata demonſtrandi, eſt Philoſophus*.

Hac ratione & cognitiones mentis noſtræ mirandum in modum augentur, & graviores diſciplinæ ad ſummum faſtigium provehuntur: nam quod ſubjecto univerſali tribuitur, ſingulis ſub eo contentis tribui poteſt. Quod ipſum eſt dilatare fines noſtræ inveſtigationis.


COROLLARIUM.

Hinc omnes propoſitiones ad quatuor claſſes referuntur.
Id exprimunt Logici quatuor litteris. A *aientem* ſeu *adfirmantem*, E *negantem*, univerſales: I *aientem*, O *negantem*, particulares ſignificant.

De Oppoſitione.

Oppoſitio propoſitionum eſt, *Comparatio duarum propoſitionum, quæ idem prædicatum, & ſubjectum habent, mutata vel forma, vel quantitate, vel utraque*. Jam ſi propoſitiones hoc modo comparamus, quadrifariam inter ſe opponi,

poni, facile intelligemus. Quarum differentiam indicat hæc figura, quæ diligenter eſt conſideranda.



Corollaria

I. *Hinc ſi vera eſt propoſitio univerſalis, vera etiam erit ſubalterna particularis: non contra.*

II. *Hinc ſi falſa eſt particularis, falſa etiam erit univerſalis ſubalterna: non contra.*

III. *Hinc Subalternæ poſſunt eſſe ſimul veræ*: Omnis homo eſt animal: Aliquis homo eſt animal: *& ſimul falſæ*: Nullus homo eſt animal: Aliquis homo non eſt animal. *Quare non ſunt ſtricte oppoſitæ.*

IIII. *Hinc contradicentium, ſeu contradictoriarum altera neceſſario erit vera, altera falſa.*

Nam quod adfirmatur in una, eodem ſenſu negatur in alia; eadem autem res nequit ſimul eſſe, & non eſſe. Ideo ſunt vere oppoſitæ. [1]

V. *Hinc*

[1] *Negarunt id veteres aliqui, ut Heraclitus, Democritus, Protagoras, aliique, nec non & Sceptici. Illi adfirmabant,*

V. *Hinc Contrariæ ſimul falſæ eſſe poſſunt : ſimul veræ non poſſunt .*

Poſſunt eſſe ſimul falſæ , ſi ſunt contingentes , vel impoſſibiles . Simul veræ eſſe non poſſunt , quia tunc [per 1.] ſimul veræ eſſent Subalternæ earum : & , quod inde ſequitur, Contradicentes eſſent ſimul veræ .

VI. *Hinc Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ : non ſimul falſæ .*

Nam verum eſt , *aliquem hominem eſſe album* , nempe Europæum : item verum eſt , *aliquem hominem non eſſe album* , ſcilicet Aethiopem . E diverſo ſi falſum eſt , *aliquem hominem eſſe lapidem* ; fit conſequens nullum remanere ſubjectum , de quo verum ſit dicere , *eſſe lapidem* . Unde vera erit Subcontraria alia , *aliquis homo non eſt lapis* . Hæ propoſitiones , quia non habent idem ſubjectum , reapſe non ſunt oppoſitæ .

SCHOLION


Hæc , ſi recte intelligantur , omninò ſunt accommodata ad verum inveſtigandum . Nam ſi cognoſco aliquam propoſitionem eſſe falſam , harum regularum ope , quid verum ſit , colligo . Et qui ad eas animum non advertunt , fieri non poteſt quin vel voce, vel ſcripto decertantes in λογομαχίαν logomachiam *incidant, propterea quod non utuntur terminis contradicentibus.*

De Aequipollentia.

Poſſunt tamen duæ propoſitiones re oppoſitæ revocari ad eamdem ſententiam ope particulæ *non* : quo caſu vocantur Logicis *Aequipollentes* , quaſi dicas , *eumdem ſenſum habentes* . Id ut faciant , plurima illi quidem præſcribunt , & doctrinam non inutilem verſiculis , & regulis ſatis multis obſcu-

mabant , contradicentia poſſe eſſe ſimul vera , *propterea quod negabant falſitatem , & exiſtimabant , quidquid unicuique videtur verum , ita eſſe . Hi vero contendebant* , contradicentia poſſe eſſe ſimul falſa, *quia tollebant omnem veritatem . Sed de his diſputabimus L.V. p.1. c.1. 2. 4.*

poni, facile intelligemus. Quarum differentiam indicat hæc figura, quæ diligenter eſt conſideranda.



Corollaria

I. *Hinc ſi vera eſt propoſitio univerſalis, vera etiam erit ſubalterna particularis: non contra.*

II. *Hinc ſi falſa eſt particularis, falſa etiam erit univerſalis ſubalterna: non contra.*

III. *Hinc Subalternæ poſſunt eſſe ſimul veræ*: Omnis homo eſt animal: Aliquis homo eſt animal: *& ſimul falſæ*: Nullus homo eſt animal: Aliquis homo non eſt animal. *Quare non ſunt ſtricte oppoſitæ.*

IIII. *Hinc contradicentium, ſeu contradictoriarum altera neceſſario erit vera, altera falſa.*

Nam quod adfirmatur in una, eodem ſenſu negatur in alia; eadem autem res nequit ſimul eſſe, & non eſſe. Ideo ſunt vere oppoſitæ. [1]

V. *Hinc*

[1] *Negarunt id veteres aliqui, ut Heraclitus, Democritus, Protagoras, aliique, nec non & Sceptici. Illi adfirmabant,*

V. *Hinc Contrariæ ſimul falſæ eſſe poſſunt: ſimul veræ non poſſunt.*

Poſſunt eſſe ſimul falſæ, ſi ſunt contingentes, vel impoſſibiles. Simul veræ eſſe non poſſunt, quia tunc [per 1.] ſimul veræ eſſent Subalternæ earum: &, quod inde ſequitur, Contradicentes eſſent ſimul veræ.

VI. *Hinc Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ: non ſimul falſæ.*

Nam verum eſt, *aliquem hominem eſſe album*, nempe Europæum: item verum eſt, *aliquem hominem non eſſe album*, ſcilicet Aethiopem. E diverſo ſi falſum eſt, *aliquem hominem eſſe lapidem*; fit conſequens nullum remanere ſubjectum, de quo verum ſit dicere, *eſſe lapidem*. Unde vera erit Subcontraria alia, *aliquis homo non eſt lapis*. Hæ propoſitiones, quia non habent idem ſubjectum, reapſe non ſunt oppoſitæ.

Scholion

Hæc, ſi recte intelligantur, omnino ſunt accommodata ad verum inveſtigandum. Nam ſi cognoſco aliquam propoſitionem eſſe falſam, harum regularum ope, quid verum ſit, colligo. Et qui ad eas animum non advertunt, fieri non poteſt quin vel voce, vel ſcripto decertantes in λογομαχίαν logomachiam *incidant, propterea quod non utuntur terminis contradicentibus.*

De Aequipollentia.

Poſſunt tamen duæ propoſitiones re oppoſitæ revocari ad eamdem ſententiam ope particulæ *non*: quo caſu vocantur Logicis *Aequipollentes*, quaſi dicas, *eumdem ſenſum habentes*. Id ut faciant, plurima illi quidem præſcribunt, & doctrinam non inutilem verſiculis, & regulis ſatis multis obſcu-

mabant, contradicentia poſſe eſſe ſimul vera, *propterea quod negabant falſitatem, & exiſtimabant, quidquid unicuique videtur verum, ita eſſe. Hi vero contendebant*, contradicentia poſſe eſſe ſimul falſa, *quia tollebant omnem veritatem. Sed de his diſputabimus* L.V. p.1. c.1. 2. 4.

obſcurant. Hæc tamen accurata vocabulorum explanatione multo facilius & melius, quam legibus, fieri ſolent: atque ex communi uſu loquendi ſine ullis præceptis intelligitur, quando particula *non* variet ſenſum. Quare ex Grammaticæ regulis potius, quam ex Logica, petenda ſunt. Regula autem eſt:

Præ Contradic: *poſt* Contra: *præ, poſtque* Subalter.

Quæ hoc ſignificat: Negatio in *Contradicentibus* præponitur ſubjecto, ut fiant æquipollentes: in *Contrariis* poſt ſubjectum: in *Subalternis* ante, & poſt ſubjectum.

De Converſione.

Evenit aliquando, cum diſputamus, ut terminos propoſitionum invertamus, ac propoſitiones ipſas perturbate efferamus: idque vel per inprudentiam noſtram, vel cavillationem collocutoris. Vocatur hæc *converſio*. Quo vero id ita fiat, ut ſemper eumdem ſenſum præferant, ac ambæ propoſitiones veræ maneant, hæc ſervanda ſunt.

1. Univerſalis negans, & particularis ajens ſi convertantur, ſervetur eadem quantitas hoc modo: *Nullus homo eſt lapis*: *Nullus lapis eſt homo*. *Aliquis homo eſt vivens*: *Aliquod vivens eſt homo*. Hæc converſio dicitur *ſimplex*.

2. Univerſalis ajens ſi convertatur, mutari debet quantitas univerſalis in particularem: ut *Omnis homo eſt animal*: *Aliquod animal eſt homo*. Secus eſt falſa. [1] Hæc vocatur *per accidens*. Eodem modo converti poteſt univerſalis negans: ut *Nullus homo eſt lapis*: *Aliquis lapis non eſt homo*.

3. Particularis negans nequit alio modo converti, niſi termini finiti fiant indefiniti adhibita *non*: quod vocatur *per contrapoſitionem*: ut *Aliquis homo non eſt juſtus*: *Aliquod non juſtum eſt non homo*: quod valet: *Aliquod ens, quod non eſt juſtum, veluti lapis, etiam non eſt homo*: quod eſt verum. Item univerſalis ajens; *Omnis homo eſt animal*: *Omne non animal eſt non homo*: quaſi dicas, *Omne id, quod non eſt animal, etiam non eſt homo*: quod nemo dubitat. [2] Hæc

---

[1] *Ex dictis cap. ſuperiori.*

[2] Oppoſitionis, Aequipollentiæ, & Converſionis *regulas non aliter ad uſum reducimus, niſi ratiocinantes hoc mo-*

Hæc autem convertendi ratio eſt prorſus inutilis. Quod ſi talis propoſitio occurrat, reducatur ad terminos finitos, quo facilius, quid ſignificet, intelligatur. Hæ regulæ duobus verſiculis continentur.

E. I. ſimpliciter convertitur : E. A. per accid :
A. O. per contra. Sic fit converſio tota.

SCHOLION

Ut Aequipollentia, *ſic* Converſio *propoſitionum ex Grammatica potius, quam ex Logica, eſt colligenda. Non enim Logici aliquid reconditum & inauditum docent, ſed oculis ſubjiciunt, quando ex communi uſu loquendi particula* non *hoc, vel illo loco poſita ſenſum variet propoſitionum. [vocalium nempe, nam mentales ſunt individuæ, & ſemper ſunt eædem dum manent: ſin aliqua idea additur, aut mutatur, diverſæ: nec proinde poſſunt converti, nec niſi lata acceptione æquipollere] Quod eo magis perſpicuum erit ſi reputaverimus, Logicorum vulgatas regulas non niſi in Latina lingua, idque maxime in ſermone Logico, valere: immo tales excogitari poſſe propoſitiones, in quibus non ad amuſſim valeant; in vulgatis vero pro varietate linguarum perſæpe variare: cujus en exemplum. Ajunt*, duas negationes ſenſum aientem facere. *Sed hoc non niſi in Latina lingua eſt verum: nam in quibuſdam vulgatis, in quibus eſt Luſitana, duæ negationes interdum* ſenſum negantem præferunt. *Ut ſi Logicis mos gerendus eſſet, non niſi Latine de his umquam diſputare liceret. En myſteria illa veterum Logicorum, quæ pandere nefas erat!*

CA-

---

modo: Idem nequit ſimul eſſe, & non eſſe. Sed ſi hæ duæ: *Omnis homo eſt animal, Aliquis homo non eſt animal*; eſſent veræ, idem ſimul eſſet, & non eſſet. Ergo ſi prima eſt vera, altera falſa eſt. Sed vera prima, falſa igitur ſecunda. *Eadem ratione in* æquipollentia, *&* converſione *colligimus. Sed hæc ex iis, quæ de ſyllogiſmis infra dicentur, clariora evadent.*

obſcurant. Hæc tamen accurata vocabulorum explanatione multo facilius & melius, quam legibus, fieri ſolent: atque ex communi uſu loquendi ſine ullis præceptis intelligitur, quando particula *non* variet ſenſum. Quare ex Grammaticæ regulis potius, quam ex Logica, petenda ſunt. Regula autem eſt:

Præ Contradic: *poſt* Contra: *præ, poſtque* Subalter.

Quæ hoc ſignificat: Negatio in *Contradicentibus* præponitur ſubjecto, ut fiant æquipollentes: in *Contrariis* poſt ſubjectum: in *Subalternis* ante, & poſt ſubjectum.

De Converſione.

Evenit aliquando, cum diſputamus, ut terminos propoſitionum invertamus, ac propoſitiones ipſas perturbate efferamus; idque vel per inprudentiam noſtram, vel cavillationem collocutoris. Vocatur hæc *converſio*. Quo vero id ita fiat, ut ſemper eumdem ſenſum præferant, ac ambæ propoſitiones veræ maneant, hæc ſervanda ſunt.

1. Univerſalis negans, & particularis ajens ſi convertantur, ſervetur eadem quantitas hoc modo: *Nullus homo eſt lapis*: *Nullus lapis eſt homo*. *Aliquis homo eſt vivens*; *Aliquod vivens eſt homo*. Hæc converſio dicitur *ſimplex*.

2. Univerſalis ajens ſi convertatur, mutari debet quantitas univerſalis in particularem: ut *Omnis homo eſt animal*: *Aliquod animal eſt homo*. Secus eſt falſa. [1] Hæc vocatur *per accidens*. Eodem modo converti poteſt univerſalis negans; ut *Nullus homo eſt lapis*: *Aliquis lapis non eſt homo*.

3. Particularis negans nequit alio modo converti, niſi termini finiti fiant indefiniti adhibita *non*: quod vocatur *per contrapoſitionem*: ut *Aliquis homo non eſt juſtus*: *Aliquod non juſtum eſt non homo*: quod valet: *Aliquod ens, quod non eſt juſtum, veluti lapis, etiam non eſt homo*: quod eſt verum. Item univerſalis ajens; *Omnis homo eſt animal*: *Omne non animal eſt non homo*: quaſi dicas, *Omne id, quod non eſt animal, etiam non eſt homo*: quod nemo dubitat. [2] Hæc

[1] *Ex dictis cap. ſuperiori*.

[2] Oppoſitionis, Aequipollentiæ, & Converſionis *regulas non aliter ad uſum reducimus, niſi ratiocinantes hoc mo-*

Hæc autem convertendi ratio eſt prorſus inutilis. Quod ſi talis propoſitio occurrat, reducatur ad terminos finitos, quo facilius, quid ſignificet, intelligatur. Hæ regulæ duobus verſiculis continentur.

E. I. ſimpliciter convertitur: E. A. per accid:
A. O. per contra. Sic fit converſio tota.

SCHOLION

Ut Aequipollentia, *ſic* Converſio *propoſitionum ex Grammatica potius, quam ex Logica, eſt colligenda. Non enim Logici aliquid reconditum & inauditum docent, ſed oculis ſubjiciunt, quando ex communi uſu loquendi particula* non *hoc, vel illo loco poſita ſenſum variet propoſitionum. [vocalium nempe, nam mentales ſunt individuæ, & ſemper ſunt eædem dum manent: ſin aliqua idea additur, aut mutatur, diverſæ: nec proinde poſſunt converti, nec niſi lata acceptione æquipollere] Quod eo magis perſpicuum erit ſi reputaverimus, Logicorum vulgatas regulas non niſi in Latina lingua, idque maxime in ſermone Logico, valere: immo tales excogitari poſſe propoſitiones, in quibus non ad amuſſim valeant: in vulgatis vero pro varietate linguarum perſæpe variare: cujus en exemplum. Ajunt*, duas negationes ſenſum aientem facere. *Sed hoc non niſi in Latina lingua eſt verum: nam in quibuſdam vulgatis, in quibus eſt Luſitana, duæ negationes interdum* ſenſum negantem præferunt. *Ut ſi Logicis mos gerendus eſſet, non niſi Latine de his umquam diſputare liceret. En myſteria illa veterum Logicorum, quæ pandere nefas erat!*

CA-

---

modo: Idem nequit ſimul eſſe, & non eſſe. Sed ſi hæ duæ: *Omnis homo eſt animal, Aliquis homo non eſt animal*; eſſent veræ, idem ſimul eſſet, & non eſſet. Ergo ſi prima eſt vera, altera falſa eſt. Sed vera prima, falſa igitur ſecunda. *Eadem ratione in* æquipollentia, & converſione *colligimus. Sed hæc ex iis, quæ de ſyllogiſmis infra dicentur, clariora evadent.*

CAPUT VI.

De quibuſdam Propoſitionibus, quæ in uſu ſunt apud Philoſophos.

Sunt autem propoſitiones quædam, quæ cum præcipuum uſum in indagatione veri habeant, a Philoſophis ſæpiſſime adhibentur, & ſuis nominibus diſtinguuntur: de quibus nos breviter, ſed accurate dicemus.

Definitio Rei.

Propoſitio, *quæ naturam rei diſtincte, complexim, & adæquate explicat*, vocatur *definitio rei*, ſeu *realis*. Quæ quomodo intelligenda ſunt, ex iis, quæ de notitia diſtincta, completa, & adæquata diximus, [1] palam eſt. Niſi enim tales ideas ac notitias habeamus, rem definire non poſſumus: cum definitio iſta nihil aliud ſit, quam idea adæquata rei.

COROLLARIA

I. *Hinc debet pertenſere notas omnes, quæ rem definitam ab aliis omni tempore, & loco ſecernunt.* Secus non eſt definitio, ſed *deſcriptio*.

E.g. Si dico: *Horologium eſt machinatio, hoc & illo modo facta, quæ vel ſtilo, vel percuſſione oſtendit, quota ſit hora diei*: hæc eſt *definitio* horologii, quia in omni loco diſtinguit horologium. Si dico: *Eſt fabricatio rotunda, quæ pendet ex catena prope lectum*: hæc propoſitio, tametſi clara, eſt *deſcriptio* horologii: quia ſolum numerat adtributa, quæ aliquando ei conveniunt, vel aliis poſſunt convenire. Nam ſi horologium non prope lectum penderet, ſed ſuper menſam eſſet; aut ſi loco horologii globus alius e catenula penderet; non intelligeres, quid ego deſignare vellem. Quæ nota eſt communis cum multis, vocatur *genus*, ut *machinatio*: quæ peculiaris ejus rei eſt, vocatur *differentia*, ut reliquæ.

II. *Hinc*

[1] *L. III. p. 1. c. 3.*

II. *Hinc nec terminis latioris, nec anguſtioris ſignificationis conſtare debet, quam definitum*. Nam utroque caſu non ſecernet rem definitam ab aliis.

E. g. Male defnio equum hoc modo: *Ens quod ambulat*: quia latius patet definito. Item male defnio hominem tali modo: *Animal eruditum*: quia id non convenit omnibus hominibus. Quare definitio debet ſtricte rei definitæ congruere, ut altera de altera veriſſime poſſit adfirmari: quod Logici vocant, *reciprocari cum definito*.

III. *Hinc clarior eſſe debet re definita*. Aliter nec exponet naturam rei, nec eam diſtinguet a reliquis.

Peccant in hanc legem Philoſophi multiplici nomine. 1. Cum explicant rem verbis ſynonymis: ut Peripatetici, qui definiunt *infinitum* hoc modo: *Quod fines non habet*. Nam id ipſum intelligimus, audita voce *infinitum*. Veruntamen definitione *identica* interdum commode utimur, ſi vocabula non nulla antea explicavimus.

2. Cum verbis valde obſcuris rem definiunt: ut iidem Peripatetici, qui *animum* hoc modo definiunt: *Actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis*: & his ſimiles finitiones. Etenim, his auditis, incertior ſum de natura *animæ*, quam ante.

3. Cum vocabulis negantibus rem finiunt: ut cum iidem dicunt: *Materia eſt id, quod neque eſt quid, neque quantum, neque quale, neque quidquam eorum, quibus ens denominatur*. Hæc enim explicatio lectorem non efficit doctiorem: nemo enim, qui non omnino deliret, ea audita, contenderit, intelligere ſe, *quid ſit materia*. Idem peccabo ſi dixero: *Homo eſt id, quod non eſt equus*: nam præter equum plura ſunt entia, quæ de homine adfirmari non poſſunt.

Tamen quia per obſcuritatem humani ingenii rerum proprietates non adſequimur omnes; ſi res ſunt ſtricte oppoſitæ, hoc eſt contradicentes, tolerari poteſt hujuſmodi definitio. Quare non inepte dicitur: ens compoſitum eſt, *quod partes non habet*: ſimplex eſt, *quod habet partes*.

4. Cum terminis obſcuris, aut translatis utuntur, præter communem ſignificationem. Nam talia vocabula impedimento ſunt, ne aperiamus naturam rei defnitæ. Quod ſi antea hæc forent explicata, definitio inprobanda non eſſet.

COROL-

Alia Corollaria

I. *Hinc eæ res definiri poſſunt, quarum habemus ideas ex pluribus ſimplicibus compoſitas*. Hujuſmodi ſunt *Species*: nam *Individua* deſcribuntur tantum, quia non habemus ideas completas, & adæquatas eorum. [1]

II. *Hinc ideæ ſimplices definiri non poſſunt*. Quia nulla ibi enumeratio notarum, ſeu idearum, ex quibus ab aliis diſcerni queant.

III. *Hinc ſi definitiones hæ rei proprietates non enumerant omnes, non ſunt definitiones* reales, *ſed* nominales; *de quibus nunc eſt dicendum*.

Definitio Nominis.

Propoſitio, *quæ explicat ideam, quam nomini ſubjicio; idque ex nota aliqua, quæ rem ſemper comitatur*, vocatur *definitio* nominis, *ſeu* nominalis. [2]

E.g. Cum

---

[1] *Confer, quæ diximus de Ideis*. L.III. p.1. c.2.

[2] *Aliqui cum Wolfio vocant* definitionem realem *eam, quæ oſtendit, quomodo res componatur, vel fieri poſſit, veluti cum dico*: Circulus eſt figura, quæ radio circa punctum circumacto deſcribitur. *Sin autem notam tantum adfero, ex qua rem ab aliis ſemper diſcernere queam, eſt definitio nominalis, ut hæc*: Circulus eſt figura cujus peripheria a centro æqualiter diſtat. *Verum prima explicatio & definitio, ſi recte accipiatur, ad noſtram reducitur: niſi enim notas omnes, quæ rem ab aliis diſtinguunt, enumerare poſſim, ſeu, quod idem eſt, niſi adæquatam ideam habeam, numquam oſtendam, quo modo res aut exſiſtat, aut fieri poſſit. Deinde definitio Wolfiana ejus ſyſtemati defendendo excogitata videtur: proinde caute eſt uſurpanda*.

Nec dicat aliquis, inde ſequi, vel omnes, vel pleraſque definitiones rerum, quæ in ſcholis traduntur, eſſe tantum nominales: *quod ferri non poteſt. Nam facilis eſt reſponſio: Nimirum tam bene id eos ferre debere, quam bene ferunt cum audiunt*, nos rerum naturas penitus non pernoſcere, nec proin-

E. g. Cum dico: *Triangulum eſt, figura tribus lineis definita*: *Horologium eſt, fabricatio, quæ ſtilo horas diei indicat*: definio nomen: hoc eſt, ex quibuſdam notis, quæ triangulo, & horologio ſemper conveniunt, planum facio, quid illis nominibus ſignificem.

Quoniam vero eidem nomini, *triangulum*, & *horologium*, poſſum adjungere diverſam ideam, conſequitur, nominum definitiones pendere ab hominum arbitrio: nec aliquem jure reprehendi, quod nomina arbitratu ſuo definiat, modo vocabula eadem ſignificatione perpetuo uſurpet. Nam & ii, qui vocantur Mathematici, nomina pro lubitu definiunt; & Philoſophi recentiores, immo ipſemet Wolfius, vir accuratiſſimus, novas aliquas definitiones nominum proponit. Conſultius tamen fuerit, definitionibus receptis uti, ſi modo nihil incommodi præferant, ne obſcuri lectoribus ſimus.

Duo hic curemus oportet. 1. *Vt nomina, quæ in controverſiam veniunt, accurate definiamus, ne ex ambiguo diſputemus*. Ea dico, quæ non ſunt clara: nam perſpicua quæque definire velle, aut id requirere, & inutile eſſet, & ineptum. Peccant in hanc legem Peripatetici, qui, quod vocabula non definiant, ad convicia, atque pugnos uſque altercantur inter ſe: etſi eadem ambo diſputantes dicant aliis & aliis verbis.

2. *Ne cum nomina definimus, putemus, nos rem ipſam definire*. In hanc regulam iidem ſæpiſſime peccant: cum enim certa vocabula arbitratu ſuo definiant, perſuadent ſibi, ſe naturas rerum ſignificatarum penitus cognoſcere & finire.

E.g.In-

---

proinde habere poſſe ideas adæquatas rerum. *Quod veriſſimum Philoſophis germanis eſt. Quare non niſi ſenſu* vulgato *dici poſſunt* reales: *quod plurimas notas rerum indicant*: *& dum clariores non habentur, a Philoſophis ejuſdem diſciplinæ eodem ſenſu vocabula uſurpantur, quaſi rerum naturas aperirent. Qui proinde ut ſibi conſtent, & diſcrimen* realis, & nominalis *conſtituant, vocant* definitiones nominales *eas tantum, quas quiſque pro lubitu condit, ut ideam, quam mavult, vocabulo ſubjiciat. Sed modo memoria teneamus, utramque re vera eſſe* nominalem; *uſum loquendi iiſdem concedamus, ſcientiam nobis reſervemus*.

E. g. Interroges eos, quid ſit *arbor*: ajunt, *eſſe vivens inſenſitivum*. Quid ſit *fulmen*: reponunt, *eſſe exhalationem in nube accenſam, quæ tendit deorſum*. Verum hæ explicationes tantum declarant, quæ res iis nominibus ſignificentur; at rerum naturas non aperiunt, niſi prius diſtincte cognoſcam, quid ſit *vivens*, *inſenſitivum*, *exhalatio*, *nubes*, *accenſio*, cetera.

Diviſio.

Propoſitio, *quæ reſolvit totum in partes, quo facilius; quid contineat, intelligatur*, vocatur *diviſio*. Id, quod reſolvitur, aut ſecatur, dicitur *diviſum*: partes, in quas dividitur, *membra dividentia*. Quæ quidem membra, ac novæ ideæ, cum iterata diviſione poſſunt adquiri, omnino ſunt accommodata ad completam, vel adæquatam rei notitiam conſequendam. Propterea *diviſio* definitioni rei mirifice opitulatur.

Alia eſt diviſio *Phyſica*, ut cum dividimus lignum in partes. Alia *Logica*, ut cum mente divido Logicam in *practicam*, & *ſpeculatricem*; Subſtantiam in *corpus*, & *ſpiritum*. Hæ partes vocantur *inferiora*.

COROLLARIA

I. *Hinc diviſum nec plus, nec minus debet habere; quam membra dividentia ſimul.*

Vitioſe igitur dividunt Ariſtotelici *ens* in decem *categorias*: quia plures conſtitui poſſunt. Vitioſe etiam divido *canem* hoc modo, in *terreſtrem*, *marinum*, *ſidereum*: quia duæ ultimæ partes non ſunt canis, niſi voce tenus.

II. *Hinc nullum membrum contineat aliud, nec de eo adfirmetur.*

Quare numerus non recte dividitur in *imparem*, & *parem*, & *binarium*: nam *binarius* continetur in *pari*. Recte vero in *imparem*, & *parem*; nullum tertium. Quod ſi unum in alio continetur, ſed alterum de altero adfirmari non poteſt, recta eſt diviſio. Quo nomine recte dividunt Geometræ extenſionem in *lineam*, *ſuperficiem*, *ſolidum*.

III. *Hinc membra non ſint aut prorſus diſparia, aut valde minuta.*

Et

Et recte quidem; nam utroque caſu confuſionem induci neceſſe eſt. e.g. Si de Europa diſputans, eam ſecarem in Italiam, & reliquam Europam; inepta eſſet diviſio. Nam de reliquis regnis diſſerens, cum ad Italiam venirem, vix tenerem memoria, eſſe alterum membrum diviſionis. Deinde ſi rem infinite divido, fatigatur & obruitur mens multitudine membrorum; & iterum exſiſtit confuſio, quam diviſionis ope vitare cupiebamus.

Logicus itaque pro ſua ſapientia rem ita dividat, ut clarior inde rei cognitio habeatur, quo facilius & accuratius eam definiat, & in bono lumine collocet. Atque illud caveat ſtudioſe, quod ſupra de definitione monuimus, ne, cum dividit ſignificationem nominis, exiſtimet ſe rem ipſam dividere: quod flagitium Ariſtoteles ipſe, & veteres non nulli inprudentes admiſerunt.

Axioma.

Propoſitio quælibet vel eſt *Theoretica*, vel *Practica*, referendo ad objectum. Theoretica eſt, quæ aliquid de ſubjecto ſimpliciter ait, vel negat: ut *Homo eſt aptus ad ratiocinandum*. Practica eſt, quæ enunciat aliquid fieri poſſe, vel debere; ut *Qui ſalvus eſſe vult, is bona opera perpetuo faciat*.

Cum propoſitio theoretica ex terminorum intelligentia, ſine ulla probatione, vera eſſe cognoſcitur, vocatur *Axioma*: ut *Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*. *Bis quinque faciunt decem*.

Revocatur ad hanc claſſem propoſitio, quæ ex definitione aliqua perſpicue & proxime ducitur, adeo ut ipſius veritas ſine ulla probatione admittatur.

E. g. Si ex hac definitione: *Homo eſt animal intelligens, & liberum*: colligo has propoſitiones; *Homo eſt præditus voluntate*: *Homo eſt liber*; *Homo eſt intelligentia præditus*: hæc ſunt *axiomata*, quia ſe ipſis nota fiunt. Similiter propoſitiones *identicæ*, hoc eſt, quæ idem prædicatum, & ſubjectum habent, ſunt *axiomata*: ut *Omnes homines ſunt homines*.

Poſtu-

Poſtulatum.

Quod ſi propoſitio practica ex una definitione evidenter proficiſcitur, vocatur *Poſtulatum*: e.g. *Ex puncto A ad punctum* B *duci poteſt linea recta. Quiſque poteſt facere quod vult.*

Theorema.

Si propoſitio theoretica ex plurimis definitionibus, & axiomatis ducitur per ratiocinationem, vocatur *Theorema*: cujuſmodi ſunt concluſiones *demonſtrationum* perfectarum. [1]

Problema:

Si vero propoſitio practica ex plurimis definitionibus infertur, vocatur *Problema*: e. g. *Mens noſtra adſiduæ meditationis auxilio adquirit habitum recte cogitandi*: eſt *Problema*, quod poteſt demonſtrari. Aliæ ſignificationes huic vocabulo *problema* ſubjiciuntur, quæ nihil ad nos.

Corollarium.

Propoſitiones, quæ ex definitionibus, & axiomatis perſpicue & ſine ullis ambagibus ſequuntur, vocantur *Corollaria*: e. g. ſi ex hac: *Omnes homines ratiocinantur*; infero ſic: *Ergo Petrus ratiocinatur*, eſt *corollarium*. Aliquando vero latius patet hæc vox, & ſignificat quamcumque propoſitionem, quæ ex aliis neceſſario nexu ducitur. Quo ſenſu & nos in hac Logica *corollaria* addimus, ut brevitati conſulamus.

Scholium, & Notatio.

Interdum propoſitionibus adduntur breves explicationes, quæ vel obſcuritatem, & dubium omne tollunt; vel quædam, quæ neceſſaria ſunt, explanant. Hæ vocantur *Scholia*, ſeu *Notationes*: quarum etiam in noſtris lucubrationibus occurrunt non nullæ.

Lem-

[1] *Habes exemplum infra L. V. p. 1. c. 9.*

Lemma.

Poſtremo cum ex aliis diſciplinis advocamus propoſitionem vel perſpicuam, vel demonſtratam, ut in aliqua materia demonſtrationem componamus; hæc vocantur *Lemmata*.

E. g. Demonſtraturus in Logica, ſenſus noſtros aliquando falli, dum rerum gravitatem æſtimant; ſumo ex Phyſica tamquam certum hoc lemma: *Aer eſt grave*: & inde efficio, nos, dum judicamus ab aëre corpora noſtra undique non premi, egregie decipi.

Digitized by Google

LIBRI QUARTI

PARS ALTERA

DE

RATIOCINATIONE

CAPUT I.

De natura Ratiocinationis.

Quamquam mens noſtra peculiare hoc habeat; ut ideas, quas adquiſivit, alias cum aliis comparet, & intelligat, conveniantne, an aliter; interdum tamen per obſcuritatem idearum evenit, ut continuo convenientiam non percipiat. Idcirco hac induſtria rem aperit: duas illas ideàs cum tertia idea clariori confert, & ſi intelligit cum ea congruere, colligit, aliam aliæ convenire.

E. g. Idea *Solis*, & idea *lucis* tam perſpicue altera congruit alteri, ut cum eas inter ſe confero, ſtatim judico, *Solem eſſe lucem*. Verum idea *Solis*, & idea *ignis* non adeo evidenter conveniunt, ut me cogant protinus judicare, *Solem eſſe ignem*. Itaque hac arte rem expedio: quæro proprietatem aliquam notiſſimam ignis, nimirum *comburendi* facultatem; eamque cum duobus comparo hoc modo: *Quidquid comburit lignum eſt ignis*: hoc eſt evidens. Et rurſum, *Solis radii vitrea lente, vel ſpeculo æneo colligati comburunt lignum*: hoc etiam experientia eſt notum. Quibus conſtitutis perſpicuum fit, *Solem eſſe ignem*. Nullus enim eſt, qui non videat, Solem habere proprietatem illam notiſſimam ignis, hoc eſt *eſſe ignem*.

Hæc judicandi ratio, ſeu progrediendi ab uno ad aliud, vocatur *ratiocinatio* ſeu *diſcurſus*. Proinde ratiocinatio ni-

hil

hil aliud eſt, quam *Comparatio duarum idearum inter ſe ex comparatione earum cum idea tertia*. Judicium autem duplex, in quo fit comparatio cum tertia, & a quo incipit curſus mentis, vocatur *antecedens*, ſeu *præmiſſæ*. Illud vero, in quo ultimo comparantur ideæ inter ſe, & in quo curſus conſiſtit, vocatur *conſequens*, *conſecutio*, *conſequentia*, *concluſio*, immo & aliis nominibus, quod uſus docebit.

Porro cum duas ideas comparamus cum illa tertia, vel intelligimus convenire cum ea, & tunc colligimus inter ſe etiam convenire ambas: vel unam tertiæ convenire, alteram non convenire percipimus, & ducimus inde, non convenire inter ſe. Prior ratiocinatio vocatur *ajens*: poſterior *negans*. Quod ipſum ex concluſione dignoſcitur: quæ cum ſit præcipua pars, cujus perpendendæ gratia adhibentur præmiſſæ; prout eſt vel ajens, vel negans, nomen ratiocinationi donat. Utriuſque leges paullo diſtinctius exponemus.

1. En exemplum *ajentis*. Ideam rei, quæ adurit, Latini ſignificarunt nomine *ignis*: adeo indoctum ſi interrogas, quid ſit illud, quod adurit; reſpondebit, eſſe ignem. Itaque hæc enunciatio eſt perſpicua: *Quidquid adurit eſt ignis*. Sed experientia habeo exploratum, *Radios Solis ſpeculo uſtorio colligatos cremare quidquid objicitur*. Igitur ſic colligo: *Radii ſolares ſunt ignei*. Eodem modo ſcimus hoc aliud: *Quicumque aufert per vim rem alienam, eſt latro*. Sed ego video, *Marcellum per vim auferre res omnes Titii*. Itaque vero colligo, *Marcellum eſſe latronem*.

Jam ſi me ipſum interrogem, cur tribuam Marcello nomen *latronis*, protinus cognoſcam hanc eſſe cauſſam, quia video in Marcello notas omnes & characteres hominis, qui vulgo *latro* nominatur: hoc eſt, video Marcellum contineri in illo ſubjecto, de quo adfirmo eſſe *latronem*. Iccirco quod nomen tribuitur cuicumque homini, qui id facit, & Marcello tribui debet.

Igitur vis ratiocinationis ajentis innititur hoc principio: *Quidquid convenit omnibus individuis unius ſpeciei, convenit etiam alicui individuo, quod ad eamdem ſpeciem pertinet*: ſeu aliis verbis; *Quæ conveniunt in uno tertio veluti regula, conveniunt inter ſe*. Hoc vulgares Logici efferunt hoc modo: *Dici de omni, dici de ſingulis*.

2. Ecce exemplum ratiocinationis *negantis*. Certo ſcio,

nullum lapidem eſſe, qui, ſi mittatur in aquam, in ſuperficie ſiſtat; ſed omnes mergi, & fundum petere. Intelligo, *hanc particulam adamantis ſubtiliſſimam reapſe eſſe lapidem*. Colligo igitur neceſſario, *particulam hanc, ſi in aquam injiciatur, non eſſe in ſuperficie manſuram*. Præterea certus ſum, idque perpetua experientia, *nullum vivens perpetuo vivere*. Animadverto, *Petrum, quamquam ſit optima valitudine, nihilo ſecius eſſe viventem*. Itaque concludo, *Petrum perpetuam vitam non eſſe victurum*.

Vis igitur ratiocinationis negantis ex hoc axiomate proficiſcitur: *Quidquid de ſpecie omni negatur, etiam de ſingulis individuis negatur*; ſeu aliis verbis: *Quæ non conveniunt in uno tertio veluti regula, non conveniunt inter ſe*. [1] Scholaſtici tale principium vocant, *Dici de nullo*.

Quod ſi utriuſque effati cum ajentis, tum negantis perſpicuitatem, & firmitatem perſcrutamur, facile cognoſcemus ex hoc fonte manare: *Eadem res nequit ſimul eſſe, & non eſſe*. Nam dum adfirmo, *omnem hominem eſſe viventem*; id adfirmo de ſingulis individuis nullo excepto: etenim, τὸ *omnis* idem ſignificat, ac ſi eos ſingulatim nominarem. Deinde cognoſco, Petrum ea generali propoſitione comprehendi, ſeu *eſſe hominem*. Quibus poſitis ſi fas eſſet dicere, *Petrus non eſt vivens*: tunc idem Petrus dum in prima propoſitione involvitur, eſſet vivens: dum in ultima exprimitur, non eſſet vivens; quod ſanus nullus judicaverit. Præ-

[1] *Exempla, quæ ſupra dedimus, clariſſime oſtendunt, quid ſit, conferre duo extrema cum idea media veluti* regula. *Sed habes aliud apertiſſimum exemplum.*

Sit regula 4. palmorum. Dirige ad eam filum 3. palmorum, & dic, Hoc filum non convenit cum regula. *Dirige iterum aliud filum 3. palmorum, & dic*, Etiam hoc filum non convenit cum regula. *Poteſne inde inferre*, duo illa fila non convenire inter ſe, cum apertiſſime conveniant? *minime: cur ita? quia non exegiſti duo fila ad regulam debito modo, id eſt, ut regulam: regula enim tibi non opitulatur ad id, quod cupis, examinandum, niſi oſtendas, unum filum convenire regulæ. Ergo ut duo extrema ope regulæ comparentur inter ſe, neceſſe eſt, ut una præmiſſa oſtendat convenientiam cum regula, id eſt, ſit ajens.*

Præterea cum dico. *Nullus homo eſt lapis*, hoc dico: Nulla res eſt, cui conveniat nomen *homo*, cui etiam convenire poſſit nomen *lapis*. Conſidero deinde, Petrum comprehendi in illa univerſali; hoc eſt, eſſe unum ex illis, cui convenit nomen *homo*. Itaque ſi colligerem hoc modo; *Petrus eſt lapis*: tunc idem Petrus [in prima propoſitione concluſus] non eſſet lapis: & iterum [in ultima propoſitione] lapis vocaretur: quod prorſus fieri non poteſt.

COROLLARIUM I.

Hinc omnis ratiocinatio vera tribus tantum terminis conſtare debet, nimirum duabus ideis, quas comparare volumus inter ſe; & tertia aliqua idea, cum qua utramque comparamus.

Exemplo ſit hæc ratiocinatio: *Qui non obtemperat divinæ legi eſt peccator. Petrus non obtemperat divinæ legi. Igitur, Petrus eſt peccator.* Tres in ea ſunt termini: *Petrus, peccator, qui non obtemperat divinæ legi*: qui eſt terminus utrique præmiſſæ communis. Communis terminus Logicis vocatur *medius terminus*: qui cum eo confertur in primo judicio, *major terminus*: qui in ſecundo judicio, *terminus minor*.

COROLLARIUM II.

Hinc in omni ratiocinatione vera tria tantum judicia inveniri debent.

Nam duos *terminos* cum *medio* comparamus, quotieſcumque recte ac vere ratiocinamur. Itaque tria judicia requiruntur; unum, quo comparemus *majorem terminum* cum *medio*: alterum, quo *minorem terminum* cum eodem *medio*: tertium, quo *terminos ipſos inter ſe* conferamus. Nullus excogitari poteſt diſcurſus mentis, in quo non tria judicia reperiamus. [1] Judicium, in quo eſt *terminus major*, vocatur *major enunciatio*: alterum, in quo *minor* confertur, *enunciatio minor*: tertium, *concluſio*.

[1] *Confer, quæ dicemus capite ſequenti.*

COROLLARIUM III.

Hinc in altera præmiſſa ratiocinationis concluſio æquivalenter continetur, in altera id ipſum declaratur.

Si major eſt continens, minor eſt declarans, ut in hoc: *Spiritus eſt inmortalis. Animus eſt ſpiritus. Igitur, animus eſt inmortalis.* Minor declarat, hanc rem *animus* contineri in illo ſubjecto univerſali *omnis ſpiritus.* Si minor eſt continens, major eſt declarans, ut in hoc: *Aliquis homo eſt vivens. Omne vivens eſt ſenſitivum. Igitur, aliquod ſenſitivum eſt homo.* Major declarat, hanc rem *homo* contineri in illo ſubjecto *omne vivens.* Si vero alterutra præmiſſa eſt negans, hæc eſt continens: quia ratiocinatio negans ex concluſione negante nomen habet: concluſio autem negans non niſi in præmiſſa negante contineri poteſt.

COROLLARIUM IIII.

Hinc quidquid de Ratiocinatione diſputatur, valet etiam in Syllogiſmis.

Eſt enim ſyllogiſmus, *Integra ratiocinatio verbis expreſſa.* Itaque quod convenit *ratiocinationi* convenit etiam *ſyllogiſmo*, & contra: ſi illud excipias, quod vocum peculiare eſt.

SCHOLION

Quoniam Ratiocinationes *quales ſint, non niſi per voces ſit manifeſtum; & quæ de* Syllogiſmis *diſputantur, in ipſas* Ratiocinationes *quadrant; deinceps de* Syllogiſmis *diſputabimus: & quæ utilitatis non nihil videbuntur habere, explicabimus accurate. Superſedebimus ceteris, quæ obſtaculo ſunt tironibus, ne utiliora perſequantur.*

CAPUT II.

De ratiocinatione verbis expreſſa, ſeu de Syllogiſmo.

CUM *Syllogiſmus* reſpondeat perfecte ratiocinationi mentis [coroll.4.] tres etiam habet terminos, qui reſpondent

dent tribus ideis: [coroll. 1.] & tres propoſitiones, quæ reſpondent tribus judiciis: [coroll 2.] & termini, ac propoſitiones ipſæ iiſdem vocabulis exprimuntur, atque in ratiocinatione.

Porro prædicatum, & ſubjectum concluſionis quatuor modis comparari poſſunt cum medio, ex quo quatuor conjunctiones ſeu *Figuræ* naſcuntur. Harum prima frequentiſſime eſt in uſu: reliquæ vero non item.

I.	II.	III.	IIII.
M. P. S. M.	P. M. S. M.	M. P. M. S.	P. M. M. S.

I. *Omne quod fertur deorſum eſt corpus grave.*
Omnis lapis fertur deorſum.
Ergo, omnis lapis eſt corpus grave.

II. *Omnis homo prudens providet futurum,*
Infantes pueri non provident futurum.
Frgo, infantes pueri non ſunt prudentes.

III. *Nullus Luſitanus eſt Italus.*
Quidam Luſitani ſunt divites.
Ergo, quidam divites non ſunt Itali.

IIII. *Omne animal vivit, & ſentit.*
Omne quod vivit, & ſentit eſt ſubſtantia.
Ergo, quædam ſubſtantia eſt animal.

Quoniam vero propoſitiones quadruplicis generis ſunt, A. E. I. O. iccirco ex harum varia collocatione in qualibet Figura aliæ conjunctiones propoſitionum exſiſtunt, quæ vocantur *Modi*. Horum tantum XVIIII. ſunt legitimi & boni, qui ſuis vocabulis a Logicis diſtinguuntur. Sed de his alio loco commodius differemus. [1] Nunc Syllogiſmi, & Argumentationis ſpecies breviter percurramus.

I. Aliquando vel uni, vel utrique præmiſſæ ſua probatio adjungitur: quæ argumentatio appellatur *Epicherema*.

E. g. *Qui occidit injuſte alium perpetuo ſibi timere debet.* [Probatio] *Nam fieri non poteſt quin delictum pateſcat, & occiſor aliquem offendat, qui vel odio eum occidat, vel jure poſtulet de crimine.*

[1] *Ea habes in* Appendice de Arte Syllogiſtica cap. 3.

Sed Caimus injuria occidit Abelem fratrem. [Probatio] *Nam id Sacræ litteræ luculenter demonſtrant*.

Merito igitur ſibi timebat: [Explicatio] *ne primus, quem offenderet, ab eo pœnas ſumeret ſceleris graviſſimi*.

Nihil frequentius in ſermone vel familiari, vel erudito, quam *Epicheremata*, occurrunt. Immo ſyllogiſmi compoſiti omnes, qui vel metaphoris, vel tranſpoſitionibus leporem & venuſtatem orationi conciliant, ſunt *Epicheremata* alio & alio modo formata.

II. Interdum uni ſyllogiſmo perfecto alter ita ſubnectitur, ut prioris ſyllogiſmi concluſio ſit major poſterioris, & duo ſyllogiſmi ex quinque propoſitionibus conſtent. Hæc argumentatio vocatur *Proſyllogiſmus*: & quarta illa propoſitio *lemma*, ſeu *adſumtio*, ſeu *minor adſumta*. &c.

E. g. *Omnis homo eſt vivens*.
Omne riſibile eſt homo.
E. Omne riſibile eſt vivens.
Sed nullus lapis eſt vivens.
E. Nullus lapis eſt homo.

Syllogiſmus itaque eſt præſtantiſſima argumentationis forma. Ceteræ, de quibus vulgares Logici copioſe diſputant, ad ſyllogiſmum nullo negotio reduci poſſunt, quod breviter tironum gratia demonſtrabimus.

III. *Enthymema* eſt, *argumentatio conſtans duabus propoſitionibus, quarum una ex alia aperte inferri videtur*.

E. g. 1. *Spiritus eſt inmortalis*.
Ergo, Deus eſt inmortalis.
2. *Homo non eſt bellua*.
Ergo, Petrus non eſt bellua.

Hæ conſecutiones perſpicue ſunt veræ. Sed cum ex hucuſque diſputatis evidens ſit, nullam propoſitionem ex alia duci poſſe, niſi exploratum ſit cur ex ea inferatur; ſit conſequens, mihi eſſe certum concluſionem ex prima neceſſario duci. Quod ſi diligenter examino rationem hujus certitudinis, illico reperiam cauſſam eſſe, quia in mente habeo propoſitionem, quæ nexum oſtendit utriuſque: quæ quidem propoſitio, quia tam eſt perſpicua, ut a nemine non concedatur, compendii, aut elegantiæ cauſſa reticetur. Itaque in primo ſubauditur hæc minor: *Deus eſt ſpiritus*. In ſecundo hæc: *Petrus eſt homo*. Ex quo efficitur, *enthymema* in mente nullum dari, ſed voce tenus, & in verbis. Poteſt

Poteſt item ſubaudiri minor propoſitio *identica*, ut in his:

1. *Omnis homo eſt animal.*
   Ergo, Aliquis homo eſt animal.
2. *Nullus homo eſt lapis.*
   Ergo, Aliquis homo non eſt lapis.
3. *Triangulum eſt figura.*
   Ergo deſcribere triangulum eſt, deſcribere figuram.

Nam propoſitio, quæ oſtendat nexum utriuſque, ſeu conſequens in antecedente contineri, non alia eſſe poteſt niſi *identica*. In primo igitur, & ſecundo ſubauditur hæc minor: *Sed aliquis homo eſt homo*. In tertio hæc: *Sed deſcribere triangulum eſt deſcribere triangulum*. Ex quo apparet, ut ſcite Wolfius, *identicas* propoſitiones mirificam utilitatem adferre in exploranda bonitate conſecutionum.

IIII. *Inductio* eſt, *argumentatio in qua, quod de ſingulis individuis adfirmatur, de tota ſpecie adfirmatur*. Non quod partes omnes debeant ſingulatim numerari; ſufficit ſi id verbo aliquo commode ſignificemus.

E. g. 1. *Petrus, Joannes, Franciſcus, & ceteri homines ſunt animalia.*
   Igitur, omnis homo eſt animal.
2. *Nec Petrus, nec Paullus, nec alius homo eſt, qui aliquando non peccet.*
   Igitur, nullus homo eſt, qui non peccet.

Hæc argumentatio eſt enthymema, in quo ratio inferendi, ſeu major, quia ſatis evidens eſt, tacetur. Itaque in primo ſubauditur hæc major: *Si ſinguli homines ſunt animalia, omnis homo eſt animal*. In altero hæc: *Si ſinguli homines peccant, & ſpecies humana peccat*. Ubi notandum eſt, duas propoſitiones ſecundi ſyllogiſmi eſſe adfirmantes, quamvis negantes videantur. Sic enim accipi debet ſyllogiſmus:

Si ſinguli homines peccant, & ſpecies humana, ſeu omnis homo peccat.
Sed Petrus, Paullus, ceteri, hoc eſt ſinguli homines peccant.
Ergo, ſpecies humana, ſeu omnis homo peccat.

V. *Exemplum* eſt, *argumentatio in qua ex uno ſingulari magis cognito aliud ſingulare illi ſimile colligitur.*

E.g. Da-

E. g. *David pœnitentiam agens ſalvus eſt.*

Igitur, & Petrus ſi pœnitentiam egerit, ſalvus erit.

Hæc argumentatio etiam eſt enthymema, in quo, ut ante diximus, major, quæ nobis eſt fundamentum comparandi, brevitatis gratia omittitur. Nemo enim non videt, rationem comparationis ex hoc fonte proficiſci, quia ponimus veluti notum, *Rebus ſimilibus ſimilia prædicata convenire.* Itaque facile reducitur ad ſyllogiſmum, vel proſyllogiſmum, vel epicherema, ſi majorem exprimas, &, quod in ſingulis propoſitionibus latet, recte proponas. Ad ſyllogiſmum hoc modo:

Rebus ſimilibus ſimilia prædicata conveniunt.

Sed David, & Petrus pœnitentes ſunt ſimiles.

Igitur, ſi David ſalvus eſt, & Petrus ſalvus erit.

Nam hæc concluſio utitur terminis æquipollentibus prædicato majoris: vult enim dicere: *Igitur Davidi, & Petro pœnitentibus ſimilia prædicata conveniunt, nempe eſſe ſalvum.* Ad proſyllogiſmum hoc modo:

Rebus ſimilibus ſimilia prædicata conveniunt:

Sed David, & Petrus pœnitentes ſunt ſimiles.

Igitur, ſimilia iis prædicata conveniunt.

Sed David pœnitens ſalutem conſecutus eſt.

Igitur, Petrus pœnitens ſalutem conſequetur.

Ad horum rationem facile componi poteſt epicherema.

VI. *Sorites* eſt, *argumentatio, quæ conſtat plurimis propoſitionibus eo ordine poſitis, ut prædicatum prioris ſit ſubjectum poſterioris; donec prædicatum ultimæ, & ſubjectum primæ conjungantur in concluſione.*

E. g. *Joannes eſt homo:*

Homo eſt animal:

Animal eſt vivens:

Vivens eſt ſubſtantia.

E. Joannes eſt ſubſtantia.

In Sorite tot ſunt ſyllogiſmi, quot ſunt propoſitiones inter primam & ultimam. Facile autem ſyllogiſmi primæ Figuræ manifeſti fient, ſi ſecundam ponas loco majoris, & primam loco minoris, & exprimas minorem, quæ ſubauditur, in hunc modum:

1. *Homo eſt animal.*

Joonnes eſt homo.

Joannes eſt animal.

2. *Animal eſt vivens.*
Joannes eſt animal.
Joannes eſt vivens.
3. *Vivens eſt ſubſtantia.*
Joannes eſt vivens.
Joannes eſt ſubſtantia.

Vel non mutato ordine præmiſſarum, in quarta Figura indirecte, ſic:

1. *Joannes eſt homo.*
Homo eſt animal.
Joannes eſt animal.
2. *Joannes eſt animal.*
Animal eſt vivens.
Joannes eſt vivens.
3. *Joannes eſt vivens.*
Vivens eſt ſubſtantia.
Joannes eſt ſubſtantia.

Immo etiam directe in quarta: tum partim in quarta, partim in prima: immo & aliis modis, nec non in enthymemata reſolvi: quæ ſingula iis, qui otio abundant, tentanda relinquimus.

VII. *Dilemma* eſt, *argumentatio in qua, facta ſagaci membrorum numeratione, id ipſum, quod de ſingulis membris probavimus, toti adtribuimus*, ut in hoc:

Si uxor eſt ducenda, aut eſt ducenda pulcra, aut deformis:
Non pulcra, quia zelotypiam movet. Non etiam deformis, quia faſtidium.
Igitur, nulla ducenda eſt.

Hæc argumentatio eſt ſyllogiſmus disjunctivus bimembris. [1] Poteſt autem ad ſyllogiſmum non disjunctivum reduci, ſi præmiſſas, quæ iſtis æquipollent, & in iis ſubaudiuntur, adjungas hoc modo:

Feminæ, quæ adferunt angorem animi, ducendæ non ſunt.
Sed nulla femina eſt, vel ea pulcra ſit, vel deformis, quæ non adferat angorem animi.
Igitur, nulla ducenda eſt.

Poteſt item duplex ſyllogiſmus ex eodem fabricari, quorum quilibet ſuam partem explicet. Ex quo apparet, quod ſupra

[1] Vide Appendicem, cap.4.*ubi hæc fuſius exponemus.*

ſupra poſuimus, omnes argumentationis ſpecies ad ſyllogiſmum revocari.

Syllogiſmus autem vel eſt *Simplex*; vel *Compoſitus*. Simplex, qui etiam dicitur Categoricus, eſt, qui tribus conſtat propoſitionibus ſimplicibus. Compoſitus eſt, qui una ſaltem præmiſſa compoſita conſtat. Hic rurſum vel conſtat præmiſſa compoſita ſecundum materiam, vel ſecundum formam. Primus eſt ille, qui habet præmiſſas copulativas, & dicitur *copulativus* ſeu *conjunctivus*. Alter eſt, qui unam præmiſſam habet compoſitam ſecundum formam, quæ totam concluſionem continet, & plerumque major eſſe ſolet: ex quo vel *condicionalis*, vel *relativus*, vel *cauſſalis*, vel *disjunctivus* appellatur, pro varietate præmiſſæ, ex qua componitur. [1]

CAPUT III.

De modo inveſtigandi firmitatem Ratiocinationis.

QUO vero planius intelligamus, utrum argumentatio recte concludat, an ſecus; plurima Ariſtoteles, ceterique Dialectici excogitarunt: & leges minutiſſimas tradiderunt, quarum ope in qualibet Figura ſyllogiſmi recte conformarentur.

Has autem leges & veras eſſe, & ſummo ingenii acumine excogitatas, negare non poſſumus. Verum cum experientia ſit exploratum, neminem eorum, qui recte ratiocinantur, vel ipſe aliquid cogitet, & ſcribat, vel diſputando cum alio contendat, ne ipſis quidem Dialecticis exceptis, dum non ad pompam loquuntur, verum ſerio aliquid agunt; hujuſmodi regulis adjuvari ut aliquid conficiat; iccirco recentiores Philoſophi tantam regularum multitudinem, quæ memoriam fatigat, rejecerunt: & inveſtigarunt faciliorem legem, ex qua de bonitate ratiocinationis fieri poſſemus certiores.

Auctor Artis Cogitandi [2] Corſinius [3] Clercius [4] Buf-

[1] *Repete, quæ diximus ſupra* Parte I. c.3. *ubi de* Propoſitionibus.
[2] *Part.III. c.*10.
[3] *In Logica P.III.c.*3. *&* 7.
[4] *Log. P.IIII. c.*5.

Buſſierius [1] ſinguli ſingulas propoſuerunt leges: quarum duæ mediæ ad primam reduci poſſe videntur: ultima vero niſi ad noſtram revocetur, & impeditior eſt, propterea quia difficillimis inverſionibus propoſitionum ſubjecta; & non omnibus ſyllogiſmis aptari poteſt. Mihi vero rem accuratius meditanti, una tantum regula ſe offert, ad quam non modo ſyllogiſmi omnes & ajentes, & negantes exigi poſſunt, ſed inmenſa illa regularum copia, quam Dialectici tradiderunt, ſumma cum facilitate revocatur. [2] Quæ ipſa & facile memoria teneri, & non difficulter ad quemque ſyllogiſmum applicari poteſt.

Regula eſt: *Syllogiſmus tribus tantum terminis conſtare debet: nimirum duobus extremis, quos comparare volumus inter ſe: & medio, cum quo utrumque recte comparamus.* [3]

Quod hanc regulam non ſervant, ſophiſmata omnia fallunt, ut conſideranti patebit. Quo vero facilius pernoſcamus, an ſint tres termini, an aliter; ſingula vocabula tum propoſitionis, quæ probanda eſt, tum argumenti ſeu medii, quo ipſa eſt probanda, accurate ſunt exponenda. [4]

Quæ

---

[1] *Princip. du Raiſonement. Lett.*VII.

[2] *Confer. quæ in* Appendice de Arte Syllogiſtica *dicemus, ubi hæc recte demonſtrabimus.*

[3] *Nempe modo ſupra dicto* Capite I., *præſertim* §. Præterea.

[4] *Cum audis* tres terminos, *non intelligas* tria verba; *ſed* tres ideas complexas per plura, aut pauciora verba ſignificatas. *Id exemplis ſyllogiſmorum, quos & hoc loco, & in* Appendice de Arte Syllogiſtica, *dedimus, evidens eſt. Sed altero exemplo fiet clarius. Nam duæ propoſitiones ejuſdem ſubjecti, quarum una ſit univerſalis negans, altera particularis ajens, pro diverſa collocatione faciunt vel duos terminos, vel unum. Duos, ut in hoc:*

Nulla planta ſentit.
Aliquod vivens eſt planta.
E. Nullum vivens ſentit.

Sunt 4. *termini*; planta, ſentiens, aliquod vivens, nullum vivens. *Cum enim* aliquod vivens *ſit ante* nullum vivens *in con-*

Quæ quoniam in ſyllogiſmis, qui tribus conſtant vocabulis, nullo negotio occurrunt, iccirco Dialecticus tiro, qui cum operæ pretio meditari cupit, expendat ſtudioſe ſyllogiſmos, & epicheremata valde complexa: ut ſunt orationes, ceteraque, quibus aliquid argumentando conficimus.

Hæc autem inveſtigatio duobus potiſſimum continetur. 1. Quorum alterum & præcipuum eſt, in qualibet Syllogiſmi propoſitione partes ſeparare, & accuratiſſime diſtinguere, tum propoſitiones, quæ primo ponuntur, tum quæ ſunt incidentes: quo planius intelligi poſſit, tres illæ præcipuæ propoſitiones ajentes ſint, an negantes. 2. Alterum veluti ſubſidiarium eſt, in tribus illis propoſitionibus verba quam ſollerter interpretari, & animadvertere an idem ſignificent, ſeu æquipolleant, an aliter. [1] Sic facile perſpiciet, quot ſunt termini

---

concluſione, procedit a non diſtributo ad diſtributum, inducit 4. terminos, & ideo fallit. Contra in hoc:

Nulla planta eſt ſenſitiva.
Aliqua planta eſt fructifera.
E. Aliquod fructiferum non eſt ſenſitivum.

Sunt 3. termini: planta, ſenſitivum, fructiferum. *Nam cum ſubjectum* nulla planta *ponatur ante* aliqua planta, *hunc complectitur, & cum eo in univerſali ſubjecto diſtributo facit unum medium tantum. Ideo recte colligit in* Feriſon, *qui eſt modus 3. Figuræ, ut videre eſt in* Appendice cap.3. *Quod memoria tenendum, ut terminos ſyllogiſmorum recte ac facile expendere valeamus.*

[1] *Numquam ſatis pro rei utilitate hæc duo præcepta tironibus commendabuntur. Cum enim in ſermone & familiari, & erudito non terminis ſimplicibus, ſed valde complexis, ac æquivalentibus ſæpiſſime utamur, quorum aliqui interdum videntur repugnare, & æquipollent; alii æquipollere videntur, re autem pugnant inter ſe; qui hæc non animadvertat, putabit eſſe negantem propoſitionem, quæ ſenſum ajentem habet: propterea ſi ad ſyllogiſmum reducatur, exiſtimabit contra regulas peccare, cum tamen non peccet. Quod ex iis, quæ cap. ſuperiori in* Inductione *diximus, perſpicuum eſt. Sed plura exempla terminorum æquivalentium dare non poenitebit tironum utilitati.*

1. Vir-

mini præcipuæ propoſitionis: & an ambæ propoſitiones duo extrema cum eodem medio conferant: hoc eſt ad illud veluti regulam extrema dirigant, an non. Sed ut hæc facilius penitusque intelligantur, triplex ſubjiciemus exemplum: unum *legitimi Syllogiſmi*, alterum *fallacis ſimplicis*, tertium *fallacis complexi*.

I. Primum exemplum ſit Ciceronis oratio pro Milone. Probaturus Cicero, *Clodium jure occiſum fuiſſe a Milone*; primo ponit tamquam omnibus exploratum, *eum, qui nobis inſidias facit, jure meritoque occidi poſſe*: quod Naturæ lege, & Gentium, & exemplis ex veteri memoria petitis confirmat. Deinde oſtendit, *Clodium inſidias feciſſe Miloni*: quod ab apparatu, & ſatellitio Clodii, ceteriſque adjunctis ducit. Hinc

---

1. Virtus meretur laudes
   Silentium collocari debet in claſſe virtutum.
   Igitur, ſilentium dignum eſt, quod laudibus proſequamur.

Hic evidens eſt in minori, & concluſione terminos æquivalentes primis adhiberi, ſignificat enim:

Virtus meretur laudes.
Silentium eſt virtus.
E. Silentium meretur laudes.

Similiter hic Syllogiſmus ſatis vulgatus:

2. Omne, quod non eſt corporeum, non eſt corruptibile.
   Animus noſter non eſt corporeus.
   E. Animus noſter non eſt corruptibilis.

Videtur ex tribus negantibus conſtare, & ideo peccare contra Legem VII. *generalem, de qua* Appendicis cap. 2. *dicemus. Veruntamen & recte colligit, & unam ſaltim præmiſſam habet ajentem, æquivalet enim huic:*

Omne incorporeum non eſt corruptibile.
Animus noſter eſt incorporeus.
E. Animus noſter non eſt corruptibilis.

Immo vero utraque ajente conſtare poterit, ſi terminos æquivalentes majoris termini ſubſtituas in hunc modum: Omne incorporeum eſt incorruptibile. *&c. Horum autem ſyllogiſmorum innumeræ ſunt ſpecies, in quibus expendendis magno cum fructu tirones exercebuntur. Adde, quæ diximus hujus* Libri Parte I. c. 4.

Hinc infert, *licuiſſe Miloni Clodium occidere*. Itaque oratio illa hoc ſyllogiſmo continetur:

Is, qui alteri inſidias facit, jure occiditur.
Clodius is eſt, qui inſidias fecit Miloni.
Igitur, Clodius jure occiſus eſt a Milone.

In hoc ſyllogiſmo perſpicue occurrunt tres termini: *inſidias facere, jure occidere, Clodius*: ideo recte concludit.

II. Alterum exemplum ſit illud ſophiſma Diogeni Cynico objectum, & ab Agellio relatum. [1]

Tu non es, quod ego ſum.
Ego ſum homo.
Igitur, tu non es homo.

Hujus ſyllogiſmi major hoc ſignificat: *Tu non es hic homo, qui ego ſum*. Minor hoc præfert: *Ego ſum aliquis homo*. Concluſio vero hoc: *Tu non es ullus homo*. Igitur ſunt quatuor termini: *tu, hic homo, ego, aliquis homo*: immo quinque, ſi addas, *non ullus homo*. Iccirco eſt vitioſus. [2]

III. Tertium exemplum ſit ille Scholaſticorum ſyllogiſmus, quo ii, cum a Recentioribus philoſophis argumentis fatigantur, ſe defendere ſolent.

Majores noſtri, viri graviſſimi, ad unum omnes dixere, neceſſariam eſſe Logicam ad diſciplinas omnes, & præſertim ad Theologiam addiſcendam, & Hæreticorum inpudentiam confringendam.
Sed nos Logicam docemus.
Ergo Logica, quam excolimus, neceſſaria eſt ad diſciplinas omnes, & etiam Theologiam addiſcendam, atque Hæreticos confutandos.

Qui de hoc ſyllogiſmo cupit judicare, oportet primo concluſionem probandam intelligat: quam niſi intelligit, ſtultum eſt amplius diſputare. Subjectum itaque concluſionis

---

[1] L. XVIII. *c.* 13.

[2] *Clarius: Hoc dicere vult*: Tuum individuum ut aliis humanis diſſimile, non eſt meum individuum ut aliis humanis diſſimile. Sed meum individuum ut aliis humanis ſimile, eſt aliquis homo. Ergo tuum individuum ut aliis ſimile, non eſt ullus homo. *Ubi manifeſte ſe offert duplex medium*, diſſimile aliis, & ſimile aliis: *proinde* 4. *termini*. *Hoc ſophiſma peccat contra leges* IIII. *Figuræ*.

nis eſt *logica Peripatetica*, ſeu *Scholaſtica*; hoc eſt, diſciplina, quæ conſtat *Procemialibus*, *Univerſalibus*, *Signis*, *arte Syllogiſtica*, & *Topicis*. Aliquando vero *Ariſtotelica logica* tantumodo ſignificat libros de *Univerſalibus*, & *Signis*. Nempe in eorum Scholis, qui nihil aliud pro Logica tradunt.

Diſciplinæ omnes vel ſunt humaniores, ut Grammatica, Rhetorica, Poetica, Hiſtorica, Critica: vel graviores, ut Mathematica, Phyſiologia, Ethica, juriſprudentia Civilis, ac Pontificia, & Theologia. Hæc vel eſt Naturalis, vel Superna: hæc rurſum vel eſt Hermeneutica, vel Dogmatica, vel Polemica. Recte igitur percipienda ſunt hæc: tum & quibus fundamentis innitantur ſingulæ diſciplinæ, qualeſque uniuſcujuſque ſint fines, probe examinandum.

Hæretici vel ſunt veteres, vel recentiores. Illi a philoſophorum vel Orientalium, vel Græcorum ſectis plerumque ſua dogmata duxerunt: ut Valentiniani, Cerdoniani, Marcionitæ, Hermogeniani, Origeniſtæ, Manichæi, ceteri. Hi in multiplici ſunt differentia: nec enim omnes idem defendunt, nec eamdem viam ſequuntur. Unaquæque ſecta ſua principia habet, ſuos canonas, quos aliæ refellunt: ut Anabaptiſtæ, Sacramentarii, Confeſſioniſtæ; & quæ ex iſtis natæ ſunt ſectæ innumeræ. Quibus addendi ſunt recentiores Athei, Polythei, Deiſtæ. Quæ homini hiſtoria tum Eccleſiaſtica, tum Litteraria erudito minime dubia ſunt.

Itaque qui tali argumento utitur, hoc ſibi ſumit probandum: „ *Procemialia*, *Univerſalia*, & *Signa*, vel ſaltim „ cetera, quæ nominavimus, ea eſſe, ſine quibus diſciplinæ „ omnes, &, quod plus eſt, Theologia ipſa comparari non „ poteſt. Deinde neceſſaria ea eſſe ad refutandam infinitam „ Hæreticorum vim in omni varietate dogmatum ſuorum.

His conſtitutis, quo argumento ſeu *medio* id efficere velint, perpendendum eſt. Quare in majori propoſitione accurate examinandum, quid ſignificetur nomine *majorum*, quid *viri graviſſimi*: an veteres Epiſcopi uſque ad III. & ad VI. Eccleſiæ ſæculum: an qui ab hoc ſæculo uſque ad ſolidum X. floruere: an qui XI. & XII. an qui ab XIII. uſque ad finem XV. an qui XVI. an demum, qui ſuperiori ſæculo poſt inſtauratas graviores diſciplinas ſcripſere. Hæ enim claſſes in alio & alio ſunt pretio: & quemadmodum per quoſdam veluti gradus uſque ad ſæculum XV. deteriores ſunt facta;

ctæ; ita gradatim priſtinum ſplendorem ſunt conſecutæ, atque ad meliorem formam redactæ ſunt. Quare non omnibus idem prædicatum accommodari poteſt.

Deinde diligenter conſiderandum eſt, an ſingulæ veterum claſſes de eadem *Logica* ſint locutæ, quæ a XIII. ſæculo in uſu fuit, & etiam nunc ab Scholaſticis excolitur. Deinde, an de tota Logica, an de una ejus parte. Nam qui, *Univerſalibus*, & *Signis* tradendis, Logicæ ambitum definiunt, ii quidem, dum hoc argumento utuntur, aliud omnino, quam ceteri Scholaſtici, vocabulo *Logica* ſignificare videntur.

Poſtremo loco, ut reliqua omittam, diligenter diſquirendum, quid ſignificetur vocabulo *Theologia*. Nam aliud ſignificabant veteres Chriſtiani, & Epiſcopi: aliud Scholaſtici. Quæ niſi plane interpretemur, & conſtituamus, quo ſenſu ea vocabula ſumimus, inepte hoc argumento utimur ad aliquid conficiendum.

Cum hæc recte ſunt explanata, ſine labore intelligitur, Scholaſticorum ratiocinationem eſſe paralogiſmum. Nam ut præmiſſæ ſint veræ, oportet hunc ſenſum faciant: *Veteres Epiſcopi dixere, bonam Logicam eſſe neceſſariam ad recte ratiocinandum, & Hæreticos confutandos. Noſtra Logica eſt diverſa a bona Logica veterum. Igitur, noſtra Logica eſt neceſſaria.* Quis vero hic non videt, aliter *Logicam* in majori ſumi, aliter in minori? Itaque ſunt quatuor termini: *bona Logica*: *neceſſaria ad recte ratiocinandum*: *noſtra Logica*: *diverſa a bona Logica*. Qua de cauſſa vitioſa eſt.

Jam ſi majori propoſitioni adderent hanc minorem: *Sed noſtra Logica eſt eadem Logica veterum Epiſcoporum, & Eccleſiæ doctorum*: recte concluderet hoc modo: *Ergo, noſtra Logica eſt neceſſaria*. Verum cum hæc minor ſit falſa, propterea quia veteres Chriſtiani ad confutandos Hæreticos Scholaſticorum logica uſi non ſunt, ut ex eorum ſcriptis, & hiſtoria Eccleſiæ manifeſtum eſt; conſequitur, concluſionem, quæ ex ea ducitur, eſſe falſam.

Verum hæc analyſis poſtulat ingenium & ſubtile, & adſiduo judicandi uſu ſubactum. Quod non niſi legendis optimis auctoribus, & uſu doctorum hominum, atque quotidiana ſcribendi, & diſputandi exercitatione comparatur. Deinde poſtulat multijugem lectionem, & hiſtoriæ præſertim Litterariæ notitiam interiorem. Quæ qui habet, is facile & vocabu-

cabulorum ſenſum, & propoſitionum nexum intelliget: atque ea, quæ aliis ſunt abſtruſa & intricata, perſpicue & plane ratione comprehendet.

Hæc duo quoniam in pueris, & tironibus deſiderantur, vix umquam de improviſo bene ratiocinantur de rebus graviſſimis, aut diſputantium fallacias animadvertunt. Quare monendi ſunt hi, ut ſedulo in hac analyſi conficienda ſe exerceant, uſque donec tantam facilitatem adquirant, quanta neceſſaria eſt ut ictu oculi ſingulas ratiocinationis partes mente comprehendant. Quæ quidem facilitas ab homine non hebete, & bene exercitato non difficulter comparatur. Ac de ſyllogiſmis compoſitis quoad materiam ſatis dictum.

Venio ad ſyllogiſmos compoſitos quoad formam. De quibus Ariſtoteles nihil clare, & expedite tradidit: quique vix incredibili labore ad regulas ſimplicium ab eo datas reduci poſſunt, interdum vero ne vix quidem poſſunt. In quo certe hominis judicium requiro: nam ii multo magis, quam ſimplices, in uſu & domeſtico, & erudito ſunt. Nos vero quam facillime ad noſtram legem eos reducemus. Dabimus itaque exemplum præcipuorum, nempe *condicionalis*, [1] & *disjunctivi*.

I. Condicionalis: *Si Sol lucet, dies eſt.*
Sed Sol lucet.
E. Dies eſt.

Major condicionalis, quia eſt neceſſaria, æquipollet huic abſolutæ: *Omne tempus, in quo Sol lucet, eſt dies*. Minor hoc aperte ſignificat: *Hoc tempus eſt tempus, in quo Sol lucet.* Concluſio hoc: *Ergo, hoc tempus eſt dies*. Ubi clare ſe offerunt tres termini: *omne tempus, in quo Sol lucet*: *dies*: *hoc tempus*. Proinde recte colligit in prima Figura.

Similiter hic: *Si Sol lucet, dies eſt.*
Sed dies non eſt.
E. Sol non lucet.

ob rationes jam datas æquivalet huic:
Omne tempus, in quo Sol lucet, eſt dies.
Hoc tempus non eſt dies.
E. Hoc tempus non eſt tempus, in quo Sol lucet.

 In quo

[1] *In* Appendice cap.4. *oſtendemus, Relativos, & Cauſales ad Condicionales pertinere.*

In quo iidem tres termini occurrunt: *Omne tempus, in quo Sol lucet*: *dies*: *hoc tempus*. Proinde bene colligit in ſecunda Figura.

Contra hic ſyllogiſmus:

Si Sol lucet, dies eſt.
Sed dies eſt.
E. Sol lucet.

a Logicis peccare dicitur, [1] & merito. Cur? quia adverſatur noſtro principio: nam ſi propoſitiones recte perpendimus, æquivalet huic:

Omnis pars diei, in qua Sol lucet, eſt dies ſplendidus.
Sed omnis pars diei eſt dies vel ſplendidus, vel nubilus, vel crepuſculum.
E. Omnis pars diei eſt pars, in qua Sol lucet.

At in hoc ſyllogiſmo nemo non videt 4. terminos: *omnis pars diei, in qua Sol lucet*: *dies ſplendidus*: *omnis pars diei*: *dies vel ſplendidus, vel nubilus &c.* Proinde vitioſus eſt.

II. Disjunctivus: *Petrus vel eſt ingenuus, vel libertinus, vel ſervus.*
Sed eſt ingenuus.
Ergo, nec libertinus, nec ſervus.

Nemo, qui hunc ſyllogiſmum diligentiſſime perpendit, non continuo intelligit, majorem hoc velle dicere: *Petrum eſſe neceſſario unum ex tribus re vera oppoſitis &c.* minorem vero eadem de cauſſa hoc præferre: *Hoc unum ex tribus eſſe, quod ſit ingenuus*. Ex quo evidenter inferimus: *Petrum eſſe ingenuum*. Igitur talis ſyllogiſmus disjunctivus æquivalet huic abſoluto:

Petrus neceſſario eſt unum ex tribus re vera oppoſitis &c.
Hoc unum ex tribus oppoſitis &c. eſt eſſe ingenuum.
Ergo, Petrus eſt ingenuus.

In quo quidem ſyllogiſmo tres ſunt termini tantum: *Petrus*: *unum ex tribus oppoſitis*: *ingenuus*. Qua de cauſſa legitime concludit in quarta Figura.

Quod ſi dico:

Petrus

[1] *Vide* Appendicem cap. 4. n. 3.

Petrus vel eſt gigas, vel pygmæus.
Sed non eſt gigas.
Ergo, eſt pygmæus.

Hic ſyllogiſmus, ſeu dilemma, ſecundum Logicos eſt vitioſus: [1] nec id nos difitemur. Hoc agimus, ejuſmodi vitium ex noſtra regula facile cognoſci. Nam ſi mentem proferentis perſcrutamur, ac rationem concludendi; facile ex ratione jam poſita animadvertemus, neceſſario æquivalere huic:

Petrus neceſſario habet unam ex duabus ſtaturis, quæ duæ ſtaturæ omnes ſtaturas comprehendunt; nempe gigantea, aut pygmæa.
Sed ex quinque ſtaturis, quæ omnes ſtaturas comprehendunt, nempe gigantea, excelſa, juſta, brevis, pygmæa; ſolum illi convenit pygmæa.
Ergo, Petrus eſt ſtatura pygmæus.

Qui ſyllogiſmus duo media ſine ulla dubitatione præfert, ſeu 4. terminos: *Petrus*: *una ex duabus ſtaturis, quæ omnes comprehendunt*: *una ex quinque ſtaturis, quæ omnes comprehendunt*: *ſtatura pygmæa*. Icсirco fallax merito habetur. Et de utilitate noſtri principii ad omnem ſyllogiſmorum varietatem, quantum puerili inſtitutioni ſatis eſſe videtur, hactenus.

Fuit tamen non nemo, qui objiceret, ex hac lege novam legem nobis inponi, expendendi propoſitiones ſingulas, & æquivalentes alias pro iis ponendi: quod profecto difficile & tironi, & ſtudiis contrito ſit. Cui ego homini ſententiam meam non petulanter, ut mos quorumdam eſt, ſed amice ac humaniſſime exquirenti, reſpondi, iſtam ipſam difficultatem omnibus Logicorum ſyſtematibus eſſe communem: atque adductis ſyllogiſmis tum ſimplicibus, tum compoſitis, qui recte concludunt, & a nemine ſanæ mentis negari poſſunt; eidem oſtendi, eos, ſi nuda verba ſpectemus, tum Ariſtotelis, tum quorumdam Recentiorum regulis adverſari: nec ad regulas ullas exigi poſſe, niſi virtute propoſitionum æquipollentium, quas continent. Proinde omnibus omnino Logicis eſſe perneceſſarium terminorum ſenſum explorare, indefinitos pro finitis negantibus quam ſæpiſſime adhi-

[1] *Vide* Appendicem cap. 4. n. 3.

adhibere, & e contrario, ſi de bonitate ſyllogiſmorum ſtatuere cupiunt, & aperte intelligere, cur bene colligant.

Nec vero id tam eſt difficile & impeditum, ut multi putant. Nam ſi exemplis & crebris, & claris tirones adjuventur, ex data regula tantam facilitatem brevi ſane tempore adquirent, ut ipſimet mirentur: nec eos ſane ſeſe iſtiuſmodi inveſtigatione aliquot aut dies, aut hebdomadas conſumſiſſe, umquam poenitebit. Quod ſi homo tam eſt ineptus aliquis, ut hæc percipere & examinare non queat; multo minus innumeras & inplicatas Logicorum vulgarium regulas memoria tenebit; aut eas ex tempore ad quemque ſyllogiſmum applicare poterit: ut inepti quidam Logici contendunt. Quare, vel me admonitore, quidvis potius agat, quam Philoſophum.

Ex his autem duo, de quibus ſuis omnino locis monuimus, apertiſſime conſequuntur. Alterum contra Veteres: nempe æquipollentiam propoſitionum ex communi uſu loquendi ſine ullis regulis exquiſitis quam facillime intelligi, & aliam pro alia ſupponi propoſitionem. Alterum contra Recentiores quoſdam: nempe, inſcite falli eos, qui putant, levi aliqua Dialecticæ notitia imbutum poſſe quemquam de ratiocinationibus paullo intricatioribus, maxime in rebus graviſſimis, & in litterariis concertationibus, ut fieri ſolet, recte dijudicare.

Sed ut eorum item palato ſerviam, qui recepta jam ac trita loquendi formula abſtinere difficile putant; illud hoc loco monere peropportunum ducimus, nempe regulam ab Auctore Artis Cogitandi traditam, ex hac noſtra omnino proficiſci. Ille enim ſic ait: *Debet præmiſſarum altera continere concluſionem, idque ab altera declarari*. Si ita ſe habet, recte colligit ſyllogiſmus: aliter, eſt vitioſus. Exemplo ſit ille Ciceronis ſyllogiſmus:

Qui inſidias facit jure occiditur.
Sed Clodius inſidias fecit Miloni.
Igitur, Clodius jure occiſus eſt.

Major, quia eſt neceſſaria, hoc ſignificat: *Omnis homo, qui inſidias facit, jure occiditur*. Quid autem intereſt inter majorem, & concluſionem? unum tantum: ſubjectum majoris eſt, *qui inſidias facit*: concluſionis vero, *Clodius*. Minor autem oſtendit, Clodium eſſe unum ex illis hominibus, qui inſidias

ſidias facit. Perſpicuum eſt igitur, idem prædicatum etiam Clodio adtribui debere: ſeu, quod idem eſt, concluſionem in majori contineri. Quare recte colligit ſyllogiſmus.

Sit exemplum fallacis illud Diogenis ſophiſma, quod hoc modo exponemus:

Tu non es hic homo, qui ego ſum.
Ego ſum aliquis homo.
Igitur, tu non es ullus homo.

Quis hic non videt, in prædicato majoris, quod eſt ſingulare, nullo modo comprehendi prædicatum concluſionis, quod eſt univerſale? Qua de cauſſa vitioſum eſt. Id ipſum, ſi cetera ſophiſmata perſcrutamur, liquido inveniemus. [1]

Jam vero hujuſmodi regulam noſtra omnino inniti, evidens eſt. Nam ſi vocamus ad examen, cur ſyllogiſmus recte concludat, cum in majori concluſio continetur, reperiemus cauſſam eſſe, quia duo tantum termini cum medio conferuntur. Quare ad noſtram reducitur. Qui hanc explicandi viam commodiorem exiſtimant, ea utantur: quod & nos, quia valde eſt vulgata, interdum faciemus.

Caput V.

De modo inveſtigandi ideam Mediam.

Erit fortaſſe moroſus aliquis, qui miretur, Adoleſcentes, me, qui omnes judicii nervos hucuſque contenderim, ut, veteris Logicæ ambagibus exploſis, clariora, & breviora ſubrogarem; ſubito nunc mei inſtituti oblitum de *Arte inveniendi medium* differere non dubitare: de arte, inquam, illa, quæ vel ſola Ariſtotelicæ logicæ obſcuritatem, ac inutilitatem demonſtrat: quippe quæ tam mire ab iis in libris ſuis laudatur, quam mire in uſu diſputandi contemnitur. Sed is erit certe ex eorum numero, qui præcipitanter judicantes, ex inſcriptione tantum de tota diſputatione ſtatuendum putent. Ii ſi cognoverint, me non artem illam Peripateticam, ſed longe diverſam prædicare, quæ non augeat præceptorum molem, ſed inluſtret jam data, & ad uſum facile

[1] *Confer.* Auctor Art.Cog. P.III. c.11. *ubi eam ad quoſdam ſyllogiſmos intricatiores applicat.*

cile reducat; ſuam temeritatem notandam, noſtram vero diligentiam laudandam exiſtimabunt. Sed moroſi de nobis ut velint: nos inſtituti memores ſani judicii hominibus placere tantum conamur: ac vobis, Adoleſcentes optimi, veſtriſque commodis quam maxime ſervire. Sed ad rem venio.

Diximus, Adoleſcentes, artem inveſtigandi, poſita propoſitione ſeu concluſione aliqua probanda, an prædicatum ſubjecto conveniat, an ſecus; in hoc ſitam eſſe, ut quæramus tertiam ideam clariorem, quæ evidenter ſit propria alterutrius, cum qua veluti regula utrumque ſeorſum ac recte comparemus. Hanc autem inveſtigationem rerum uſui relinquendam putavimus, qui oſtendat, quænam ſit ea proprietas notior. Et recte quidem: niſi enim proprietates utriuſque cognitas habeamus, nullæ nobis regulæ ſatis erunt ut intelligamus, conveniant, an aliter.

Nunc vero ut rem ipſam etiam tironibus facillimam facto eſſe monſtremus; provectioribus autem novam facilitatem addamus de bonitate comparationis recte ſtatuendi; breviter indicabimus, quo ex ſigno bonitatem ejuſcemodi ideæ clarioris dignoſcere poſſimus. Itaque rem aliquibus obſcuram ſatis & impeditam una tantum regula quam facillime expediemus; ſi primum monuerimus, nobis ſermonem eſſe de propoſitione *vera* probanda: nam de falſa nulla nobis eſſe quæſtio debet: viderint Sophiſtæ.

Regula eſt: *In concluſione ajente, idea media debet includi in ſubjecto, & includere prædicatum. In negante, includi in ſubjecto, & excludere prædicatum.* [1]

Exempla.

I. *Omne animal eſt vivens.*
Omnis homo eſt animal.
E. *Omnis homo eſt vivens.*

In

[1] *Etſi ideæ aliquæ re ipſa ſimplices ſint, tamen cum in propoſitionibus, & ſyllogiſmis comparantur, evadunt compoſitæ, hoc eſt, adjunguntur iis aliæ ideæ, quæ omnes uno prædicati, aut ſubjecti nomine deſignantur. Aliter non poſſet fieri comparatio, ſi nullæ proprietates earum cognitæ eſſent.*

Digitized by Google

In hoc ſyllogiſmo adſumo pro idea media inter prædicatum & ſubjectum concluſionis probandæ, ideam *animalis*. At idea *animalis* includitur in ſubjecto *homo*, & includit prædicatum *vivens*. Propterea eſt vere *media*: & idem valet ac ſi dicerem:

Idea animalis includit ideam viventis.
Idea hominis includit ideam animalis.
E. Idea hominis includit ideam viventis.

II. *Nullus ſpiritus eſt lapis.*
Omnis angelus eſt ſpiritus.
E. Nullus angelus eſt lapis.

In hoc idea media eſt *ſpiritus*. Hæc autem idea *ſpiritus* includitur in idea ſubjecti *angelus*: ſed eadem idea *ſpiritus* non includit, ſed excludit ideam *lapidis*: & volo dicere:

Idea ſpiritus non includit ideam lapidis.
Idea angeli includit ideam ſpiritus.
E. Idea angeli non includit ideam lapidis:

Illud tantum ad rectam comparationem, & concluſionem eſt obſervandum. Si prædicatum concluſionis probandæ neceſſario aut convenit, aut non convenit ſubjecto, poſſum concludere univerſaliter: ut in duobus ſyllogiſmis ſupra poſitis. [1] Quod ſi prædicatum nec convenit, nec repugnat neceſſario omni ſubjecto, tunc non niſi particulariter poſſum concludere, ut in hoc:

Omnis flos eſt vivens.
Aliquod odoriferum eſt flos.
E. Aliquod odoriferum eſt vivens.

Nam quia multo plura *odorem exhalant*, quam *vivunt*, prædicatum non convenit omni ſubjecto, ſed alicui tantum: propterea non poſſum dicere: *omne odoriferum eſt vivens*: ſed, *aliquod odoriferum eſt vivens*: & volo dicere:

Idea floris includit ideam viventis.
Idea alicujus odoriferi includit ideam floris.
E. Idea alicujus odoriferi includit ideam viventis.

Hacte-

[1] *Nihil tamen vetat, quominus etiam particulariter in hoc caſu concludam. Nam quod convenit omnibus, convenit etiam ſingulis ſub eo contentis.*

Digitized by Google

Hactenus de rectis ſyllogiſmis. Venio ad fallaces.

III. *Omne quod loquitur vivit.*
Nullus equus loquitur.
E. Nullus equus vivit.

Hujus ſyllogiſmi concluſio probanda eſt falſa: nam idea *equi* includit ideam *viventis*. Quare mirum non eſt ſi idea media, nempe *ens, quod loquitur*, repugnet noſtræ regulæ. Cum enim idea *entis, quod loquitur*, non includat ideam *equi*; non poteſt tamquam regula & medium adſumi ad explorandam diſconvenientiam *equi*, & *viventis*.

Itaque, ut multa paucis complectar, etſi dum ratiocinamur, ſenſa noſtra aliis & aliis vocabulis exprimamus; etſi multa commixtione verborum, ac turbato ordine naturali ſententias quam ſæpiſſime obſcuremus; tamen ſi rem adtente, ac penitus conſideramus, ſi inutilia vocabula removemus, ſi rerum ordinem reſtituimus, & ſceleton, ut ita dicam, ratiocinationis nudum relinquimus, & contemplamur; clare videbimus, nihil aliud facere mentem, quam numerare ideas ſuas, &, quæ in iis includantur, quæ excludantur, conſtituere. Sed alio modo ſi propoſitio eſt ajens, alio ſi eſt negans. In primo enim, hoc, aut ſimili modo:

Idea decem includit ideam quinque.
Idea quinque includit ideam trium.
E. Idea decem includit ideam trium.

In ſecundo hoc, aut ſimili modo:

Idea decem includit ideam quinque.
Idea quinque non includit ideam viginti.
E. Idea decem non includit ideam viginti.

Quod ſi hanc rationem concludendi in ſingulis ratiocinationibus non advertimus, noſtrum eſt vitium, qui res ipſas diligenter non perſcrutamur. Nam decepti unica illa voce vel prædicati, vel ſubjecti, per errorem exiſtimamus, unam tantum ideam, aut ſummum duas ſignificari; cum ſignificet multo plures, quas collectim ſumtas uno vocabulo deſignamus: quæ proinde alias includunt, quas ſub nomine prædicati illis tribuimus.

Hunc autem errorem tunc facile animadvertimus, cum legem nobis dicimus examinandi, quas ideas iis verbis deſignare velimus: vel cum adverſarius aliquid ideæ ſignificatæ vel addit, vel demit. Velut ſi diſputans cum altero, & per

& per errorem putans, me, cum dico *homo eſt animal*, unam ideam ſimplicem nomini *homo* ſubjicere; ſi alter in reſponſione addat, *homo pictus*, vel *homo, qui habet alas*, vel quid ſimile; tunc quaſi e ſomno aliquo excitati accurrimus dicentes, *non de his, ſed de homine vero eſſe ſermonem*. Quo ipſo vel inviti notum facimus, quam multas ideas unico illo verbo vel inprudentes notabamus. Sed hæc ex iis, quæ de propoſitionibus jam diximus, [1] perſpicua puto.

COROLLARIUM I.

Hinc natura ipſa dictante clarius, & facilius ratiocinabimur, ſi prius ideam mediam cum ſubjecto, deinde cum prædicato comparemus concluſionis probandæ.

Nam multo facilius convenientia intelligitur, cum dicimus:

Decem includit quinque.
Quinque includit tres.
E. Decem includit tres.

quam ſi dicimus:

Quinque includit tres.
Decem includit quinque.
E. Decem includit tres.

COROLLARIUM II.

Hinc quarta Figura, ſi ordinem naturæ reſpicimus, multo clarior, & facilior eſt, quam prima Figura. Si varium uſum in omni propoſitione probanda, minus univerſalis eſt, & hoc ſenſu minus expedita dici poteſt. [2]

SCHOLION I.

Reliquas Syllogiſmorum leges, quas vulgares Logici tradere conſueverunt, ex huc uſque dictis non operoſas modo, ſed inutiles omnino eſſe, nemo non intelligit. Si quis tamen eas noſce-

[1] *Hoc* Libro p. 1. c. 1.
[2] *Conſule, quæ dicemus in* Appendice, cap. 3. coroll. 3.

noſcere cupit, ſine hujus Logicæ breviter ac perſpicue demonſtratas inveniet. Quod nos eo conſilio fecimus, ut iis, quibus religio eſt a trita via recedere, morem gereremus.

SCHOLION II.

Quas huc uſque explicavimus leges Syllogiſmorum potius neceſſariæ ſunt, ut de aliorum ratiocinationibus judicemus, quam ut ratiocinando aliquid conficiamus. Omnino unum eſt neceſſarium, perſpicuas, & veras cognitiones adquirere: quod qui faciunt, ii quidem nullo negotio legitime concludunt: qui vero id non curant, licet argumentationum regulas in promtu habeant, perpetuo male ratiocinantur. Non enim niſi ex propoſitionibus & perſpicuis, & veris, veræ concluſiones, quæque aptæ ſint ad mentem acuendam, atque diſciplinas perpoliendas, inferri poſſunt.

SCHOLION III.

Merito ridentur Peripatetici, qui tantum Arti Syllogiſmorum *tribuunt, ut ſibi perſuadeant, Ariſtotele non docente, neminem necumquam recte ratiocinaturum, nec ſyllogiſmos recte facturum. Nam primum Ariſtoteles non ex Arte aliqua* Artem Syllogiſticam *invenit, ſed logica Naturali duce animadvertit, quando homines naturaliter recte ratiocinabantur, quando non recte: & has animadverſiones pro regulis propoſuit. Ergo natura duce bonos ſyllogiſmos formabant homines antequam Ariſtoteles tale aliquid cogitaret. Deinde ſi homines recta ratione, ſeu logica Naturali pollent, ut fatentur Peripatetici; pollent utique arte fabricandi rectos ſyllogiſmos etiam nullo docente. Poſtremo tam eſt naturale homini ſyllogiſmos facere, quam eſt naturale eſſe ratiocinantem: mens enim noſtra non ratiocinatur niſi per ſyllogiſmos. Dari quidem poteſt in ſermone* Enthymema *&c. quia reticetur aliqua præmiſſa: at in mente ſemper manent ſyllogiſmi perfecti vel hoc, vel illo modo. Id evidens fit in pueris, & ruſticis, qui de rebus ſibi familiaribus & plane notis tam bene ſæpiſſime ratiocinantur, quam Philoſophi: modo enim præmiſſas clare percipiant, concluſiones recte ac ſine labore inferunt. Sin præmiſſas obſcure, aut non recte acceperunt,*

tunc

tunc male concludunt. Hæc dum ſua cogitata declarant. Quod ſi alios de iiſdem rebus inepte ratiocinantes audiunt, etſi nequeant interdum, ubi ſit error, indicare [interdum tamen appoſite detegunt errorem] veluti cum iis rem aliquam falſam ſuadere conamur; tamen aperte fatentur, ſibi talem ſermonem non placere: id eſt, nullo modo probari ſyllogiſmi concluſionem. Quare qui homini niſi ex Arte aliqua bonum ſyllogiſmum facere vetitum putat, idem contendat, ut nemo homo niſi ex arte Mechanices nec edere, nec bibere, nec ſedere, nec ambulare queat: quod merito indocti omnes ridebunt. Ex quo illud efficitur, quod Scholio ſuperiori diximus, nempe artem comparandi cognitiones claras eſſe omnino neceſſariam ad recte ratiocinandum: Artem vero ſyllogiſticam, eam præſertim, de qua fine Logicæ diſſerimus, interdum recte ratiocinanti, & ſua cogitata declaranti, utilem eſſe poſſe; ſed potius *eſſe neceſſariam ut aliorum & fallacias, & ineptias detegamus, & confutemus.*



ALOY-

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER QUINTUS

DE

COGNITIONE VERI.

PARS PRIMA

DE VERO CERTO.

CAPUT I.

De Conſecutione Veri generatim.

PErceptiones animi noſtri, de quibus ſuperioribus libris egimus, ea de cauſſa a nobis explicantur & poliuntur, ut veritatem adſequamur: ad quam impetu quodam naturæ feruntur omnes. Nemo enim eſt, qui, ſi interrogetur, velitne verum intelligere, an aliter; non id ſe havere ſcire cum quodam gaudio fateatur. Quod verbum quoniam frequentiſſime occurrit, non apud ineruditos modo, ſed etiam Philoſophos; quid illud ſignificet, conſtituamus oportet.

Vocabulum *veritas* triplicem apud Philoſophos ſententiam habet. 1. *Verum* dicitur omne ens vel exſiſtens, vel poſſibile, cum eſt conſentaneum ideæ, quam Deus habet de eo.

eo. Quare hoc ſenſu, Petrus eſt *verus* Petrus, quia reſpondet ideæ Dei. Hæc vocatur *realis*, ſeu *Metaphyſica*. 2. *Verus* dicitur etiam ſermo noſter, cum eſt congruens menti noſtræ. Qui ita ſentiunt ut loquuntur, nominantur *veraces*: quibus ex altera parte reſpondent *mendaces*, qui aliud ſentiunt, aliud dicunt. Hæc vocatur *Ethica*. 3. *Verum* præterea appellatur judicium noſtrum, ſeu propoſitio, cum eſt conveniens rei ut revera eſt. e. g. Cum dico: *Petrus eſt animal*: *Paullus eſt liber*: hæc concordia propoſitionis cum re, eſt *veritas Logica*. Si vero ea enunciem, quæ re non ita ſe habent; vocatur *Logice falſa*. De hac in præſentia diſputamus.

Fuere Philoſophi, qui dixere, non poſſe hominem certo ſcire, an judicium ſuum ſit conſimile rei, quam adfirmat, an aliter: ſed omnes cognitiones eſſe incertas & dubias. Hujuſmodi præter ceteros [1] fuere *Sceptici*: qui a Pyrrhone, Anaxarchi Eleatici auditore, nomen habuere *Pyrrhoniorum*; a modo vero philoſophandi, *Scepticorum*. Iccirco ſectarum omnium dogmata perpetuo confutabant: nihil definiebant, *neque hoc ipſum quidem, nihil definio*. [2] Tantum admittebant, ſcire ſe, ſecundum ſenſuum, & phantaſiæ apparentias, quod vivant, quod videant, quod dies ſit. [3] Ignorare tamen, quo pacto & vivant, & videant: nec poſſe conſtituere omnino certo, neſcire ſe, quo modo id ſit: ſed dubitanter diſputandum.

Arceſilas, Academiæ Mediæ princeps, & is parum differre a Pyrrhone videbatur: & conſtanter ajebat, nihil eſſe, quod ſciri poſſet, ne illud quidem Socraticum, *nihil ſe ſcire*: [4] ſed perpetuo dubitandum, & in utramque partem diſpu-

---

[1] *Xenophanem, Zenonem, ceteroſque Eleaticos; tum Protagoram, alioſque Dialecticos ante Pyrrhonem generalem dubitationem induxiſſe, ac expenſis in utramque partem rationum momentis, adſenſionem retinuiſſe; ait e veteribus Laertius L.VIIII. ſect.71. ſeq. cui addi poteſt Empiricus* Pyrrhon. Hyp. *Sed hanc* acatalepſian *nova forma, & apparatu excitavit Pyrrho.*

[2] *Laert. ibi ſect.*74. [3] *Ibid. ſect.*103.

[4] *Cicer.* Acad. L.I. c.12.

diſputandum. Quamquam re vera nihil aliud velle videatur, niſi oſtendere imbecillitatem humanæ mentis, & obſcuritatem cognitionum: ipſe enim dogmaticus in quibuſdam fuit: id eſt quædam interdum re eſſe conſtituit. [1]

Carneades vero, Novæ Academiæ conditor, ut invidiam declinaret, dicebat, omnibus veris falſa quædam eſſe adjuncta tanta ſimilitudine, ut nulla inſit certa judicandi & adſentiendi nota. [2] Veruntamen ſapienti concedebat *opinari*: id eſt, quoſdam probabilitatis gradus relinquebat: ſeu aliquod magis, & minus bonum videri fatebatur, quod hominem moveret, & quo vitam ſapienter poſſet inſtituere. [3] Quod ipſum negabant Pyrrhonii: & contendebant, hominem, dum bene agit, aut bonum amplectitur, non veri notione aliqua, ſed uſu & conſuetudine duci. Verbo dicam: criterium *practicum* admittebant ad vitam inſtituendam, nempe receptas opiniones: *theoreticum* vero negabant Pyrrhonii.

Hanc philoſophandi viam, quamvis moderatam, recentiores quidam ſunt amplexati. Quos inter primum locum tenet *Franciſcus Sanchezius* Luſitanus Bracarenſis. Quo ego homine nihil, ut iis temporibus, arbitror inveniri poſſe præſtantius, ſive acumen judicii ſpectes, ſive eruditionem Philoſophicam, & Mathematicam. Scripſit librum, *De multum nobili, & prima univerſali ſcientia, quod nihil ſcitur*. Moritur anno CIↃIↃCXXXVI. Paullo poſt *Franciſcus Mottæus Vayerius* Gallus, vir multæ lectionis, & ingenii acutiſſimi, eamdem methodum totis viribus commendavit, cum in aliis libris, tum vero magis in ſuis *Dialogis*.

Sed præ aliis tale inſtitutum coluerunt viri eruditiſſimi duo: alter *Petrus Daniel Huetius* Epiſcopus Abrincenſis, libro *de Imbecillitate Mentis Humanæ*: alter Petrus Bælius, qui in *Dictionario Hiſtorico-Critico*, præſertim verbo *Pyrrho*, cauſſam *Scepticiſmi* acutiſſimis ſophiſmatibus defendit: quæ tantam ſpeciem veri habent, ut non niſi acerrimi ingenii Philo-

[1] *Aldroband.* ad Laert. L.IIII. ſect.28.

[2] *Cicer.* Nat. D. L.I. c.5.

[3] *Cicer.* Acad. L.IIII. c.24. *Empiricus*, Adverſ. Mathem. L.VII. ſect.153.

Philoſophus, iſque admodum exercitatus, ab iis ſe poſſit erroribus, & laqueis explicare. [1]

Verum etſi veteres illi omnes ἀκαταληψίαν *acatalepſian* rerum omnium aliis inculcarent, hoc tamen illis erat infixum, nempe ſe adfirmare, *nihil percipi poſſe*. Et quamquam Pyrrhonii verbis id negare quodammodo viderentur, re tamen fatebantur, nam ſcientes, & prudentes conſtanter de omnibus dubitabant. Itaque indicium veritatis aliquod præ ſe ferebant: propterea commiſeratione potius, quam reſponſione, digni erant. Quis enim ſanus dubitet, ſit, necne? loquatur, an taceat? jaceat, an ſtet? ambulet, an ſedeat? Ego vero nullos tam deſipere exiſtimo, ut de his interrogati, neſciant reſpondere. Pueruli, mulierculæ, agreſtes ipſi, & indoctiſſimi, ſi aliquem de talibus interrogantem intelligant, alterutrum verum eſſe dicebunt.

Atque, ut vir doctiſſimus ſapienter ponit, quis ſibi perſuadeat, ita nos a ſapientiſſimo, & providentiſſimo rerum conditore male tractari, ut nobis inpreſſerit vehementiſſimum deſiderium inveniendi veritatem, quam tamen nos nulla induſtria reperire poſſe ſciamus? Aut eſſet inprovidus, & inpotens Deus; aut nos deciperet, & torqueret perpetuo inani appetitione: quod a bonitate, & præſtantia divini numinis alienum eſt. Cum ergo veritatem ardenter deſideremus, proque ea conſequenda nihil non faciant homines; poſſe nos ad eam pervenire conſequens eſt. Datur igitur *criterium veritatis*, ſeu certa nota cur verum a falſo ſecernamus.

Illud ſupereſt ut doceamus, quibus auxiliis ad verum inveſtigandum pervenire poſſimus. Quod facilius explicabimus, ſi hominem per omnes cognitionis gradus, tamquam per quaſdam zothecula, ad ipſum gynæceum veritatis perducamus.

M CA-

[1] *Confutavit Bælium Crouſazius* in Examine Pyrrhoniſmi Veteris, & Novi: *& Joan. Franc. Buddeus*, Diſſert. de Scepticiſmo Morali. *Argumenta Scepticorum qui ſcire havet, legat Huetium laudato libro. Sed & nos de hac materia diſputavimus in* Metaphyſica. L.III. c.4. *& omnia Scepticorum argumenta ad pauca capita reduximus, eorumque imbecillitatem pateſecimus.*

CAPUT II.

De gradibus per quos ad Verum pervenimus.

AC profecto omnis cognitionis expertem hominem naſci, omnino eſt certum, uti ſecundo libro docuimus. Infans plurimis ideis perfunditur, iis nimirum, quæ ſenſuum miniſterio adquiruntur. Pauca admodum conſtituunt infantes: nam ea tantum reputant ſibi bona, quæ palatum, & tactum molliter adficiunt: ea mala, quæ dolorem adferunt: nec id conſideratione, ſed facilitate quadam naturæ. De reliquis omnino nihil.

Grandior factus non nihil jam judicat, ſed prorſus in eodem genere. Movetur plurimum auctoritate loquentis. Itaque duo illi fontes deliberandi, *ſenſus*, & *auctoritas*. Perſuadet enim ſibi, eſſe verum quidquid & videt, & audit. Quare, ſi acu pungitur, exiſtimat dolorem eſſe in acu, & in eum invehitur. Si de larvis, de gigantibus, de viris, qui bipalmarem ſtaturam habent, de aliis, qui ſunt monoculi, deque hujuſmodi nugis aliquem dicentem audit; nullus dubitat verum eſſe id omne. Habet quidem plurimas cognitiones certas, ut *ſe eſſe tali nomine vocatum, eſſe diem, eſſe noctem*: ſed de his ita eſt perſuaſus, ut, ſi aliquis vir gravis contrarium adſeveret, ſi non credit illico, non nihil dubitet tamen. Itaque hujuſmodi judicia, quamvis perſpicua ſint, tamen vix audeam vocare ſcientiam.

Homo vero ineruditus in hoc differt a puero, quod ex diuturno cognoſcendi uſu non adeo facile mutet judicium de rebus perſpicuis: cetera eſt ſimilis. Nam plurimum movetur ſenſu, & auctoritate eorum, quos putat ſe eſſe doctiores. In hoc homine perſpicuæ multæ cognitiones ſunt: pleræque tamen aut dubiæ, aut falſæ, idque meditationis inopia.

Jam qui lectione tritus eſt, & meditando clariores cognitiones adquiſivit, certo ſcit, plurima ita ſe habere ut videntur: de aliis dubitat: cumque multum in utramque partem diſputet, conſtituere aliquando non audet. Eſt enim mens noſtra arctis terminis circumſcripta: nec plane internoſcit cauſſas rerum, earum etiam, quæ ſibi familiares ſunt.

ſunt. Nam quis naturam animi ſui noſcit? quis machinationem corporis humani? quis fabricationem vel mini ni animalis? quis naturam & proprietates omnes corporis?

Itaque Philoſophus, qui modo hoc nomine dignus eſt, de his interrogatus ingenuo pudore profitetur, ignorare ſe quid ſint: nec niſi perplexe, & dubitanter adfirmare quædam. Proinde, ſi pauca demas, nihil aliud facit vir doctus, quam adſentiri cum quadam dubitatione: quod judicium vocatur *probabile*. Nec niſi eis certo adhæret, quæ extra omnem dubitationis aleam poſita videntur, & prorſus ſunt perſpicua: quæ pauca, uti diximus, ſunt.

I. Hinc fit manifeſtum, quibus gradibus ad veritatem perveniamus. Primo igitur dubitamus, ſitne verum, quod intuemur, an aliter. Qui enim inprudenter adſentitur, is profecto verum non adſequetur. Nam plurima fallunt hominem oculatum etiam: quid de eo ſperandum, qui ſine ulla hæſitatione, quidquid objicitur, putat verum?

II. Dum vero momenta perpendimus, evenit interdum, ut non plane intelligamus, in quam partem majus pondus trahat: quod ubi contingit, a judicando temperare debemus, & diutius explorare: en iterum dubitatio. Interdum vero in alterutram partem vi rationum allicimur & trahimur, ſed ſic, ut quædam etiam argumenta ex adverſa parte occurrant. Hoc caſu non niſi dubitanter judicamus: quod Philoſophis eſt *opinari*: & hic gradus adſenſus *probabilitas* vocatur. Probabilitas autem eſt duplex: nam ſi argumenta promuntur ex ratione, vocatur probabilitas *intrinſeca*: ſi ab auctoritate dicentis, *extrinſeca*.

III. Jam ſi momenta rationum pendentibus nulla omnino ratio occurrit cur dubitemus, an res ita habeat; vocatur *certitudo*: ut cum dico: *Virga palmaris eſt minor quam bipalmaris. Corpus hominis eſt majus quam manus. Duo & duo paria ſunt*. Nam hæc judicia, & ſimilia ſunt omnino certa.

COROLLARIUM I.

Hinc non omne judicium certum eſt verum.

Nam poſſum eſſe certus de re aliqua, id eſt, adfirmare aliquid ſine ulla dubitatione, & tamen falſum adfirmare. Plenæ exemplorum ſunt hiſtoriæ.

 E.g. Lu-

E. g. Lutheranum Theologum ſi interrogas, an verum dicat, ſine ulla hæſitatione reſpondebit, ita eſſe. Idem Calvinianus, idem Socinianus, Judæus, Muhammedanus, ceteri. Tamen hi omnes falſum dicunt. Sed tam ſunt perſuaſi, ſe veram colendi Deum viam tenere, ut pro ea defendenda ſe occidi facile patiantur. Quid? Philoſophos ſi audis de ſuis dogmatibus diſputantes, nullum profecto invenies, qui ſe verum adſecutum eſſe non dicat; etſi alii perſpicuis rationibus oſtendant, falli eum.

Corollarium II.

Hinc omnis propoſitio nobis vera vel eſt certo vera, vel ſimilis veræ. Quia poſſum adſentiri ſine ſollicitudine alteri propoſitioni veræ, & alteri falſæ, quæ mihi vera eſſe videatur

Item omnis propoſitio nobis falſa vel eſt certo falſa, vel ſimilis falſæ. Quia e contrario poſſum negare adſenſum omnino firmiter alicui propoſitioni, quæ reapſe ſit falſa: & alteri, quæ appareat falſa, re ſit vera.

Corollarium III.

Hinc eadem propoſitio alteri poteſt eſſe certa, *alteri* incerta.

Nam poteſt aliquis diſtincte cognoſcere nexum prædicati & ſubjecti, & ſimul cognoſcere, nihil in contrariam partem dici poſſe; & huic erit *certa*. Alter vero non ita clare percipere, & huic erit *falſa*. Exemplo ſit hæc propoſitio, *Aer eſt grave*: quæ Nevvtoniano philoſopho eſt certa; Scholaſtico autem falſa, minimum incerta.

Corollarium IIII.

Hinc duplex eſt veritas: Certa, *cum penitus ſum perſuaſus, rem ita ſe habere*: Probabilis, *cum ita ſum perſuaſus ut timeam, ne id ipſum ſit falſum.* [1]

Ca-

[1] *Objectum Logicæ eſſe duplex, nempe* verum, *&* veriſimile, *agnovit Ariſtoteles, cum Logicam diviſit in Dialecticam,*

CAPUT III.

De modo cognoſcendi verum Certum.

SUnt autem characteres non nulli, ſeu certæ adſentiendi notæ, quæ item *criteria veritatis* vocantur, [1] quibus verum a falſo ſecernitur: & in quæ intuentes nos veritatem, quam quærimus, invenimus. In his conſtituendis non mediocriter veteres diſſentiebant. Eorum tamen ſententiæ ad tres veluti claſſes referri poſſunt.

I. Quidam exiſtimabant, ſenſus ſolos eſſe nuncios veri, in iiſque judicium veri conſiſtere. Fuere in hac ſententia Aſclepiades [2] Protagoras [3] ceterique, qui putabant, ea, quæ cuique vera videantur, eſſe vera: ut Democritus [4] & Eleatici plerique, qui falſitatem omnem tollebant. Quibus repugnabant Sceptici, & Academici Medii, ac Novi, qui nullam perſpicuam veritatem, nullum judicium veri exſtare dicebant. [5]

II. Alii dixere, ſolam cogitationem, & mentem eſſe *criterium*: ſenſus autem, propter eorum tarditatem, non poſſe vera judicare. Hujuſmodi fuere Plato [6] Empedocles [7] Xenophanes [8] Parmenides, [9] & fere omnes Pythagorei.

cam, quæ verum explorat probabilibus argumentis; & Analyticam, quæ veritatem certiſſima argumentatione perſequitur. Ipſe tamen de veritate probabili nihil, quod ſit ex uſu, reliquit: de certa vero nimis obſcure diſputavit.

[1] *κριτήριον ita a Cicerone explicatur, ut ſit* inſignis, & propria percipiendi nota [*Academic. IIII. c.31.*] *ſeu* regula veri, & falſi *dignoſcendi. ibidem c.11.*

[2] *Empiric.* Adverſ. Logic. I.

[3] *Empiric.* Pyrrhon. Hyp. I. *c.32. ſect.216. Laertius;* L.VIIII. ſect.51.

[4] *Empiric.* Adverſ. Mathem. L.VII. ſect.135. & L.VIII. ſect.139. *Plutarch.* ad Col. Tom.II. p.411.

[5] *Cicero*, Acad. I. c.12. [6] *Cicero*, Acad. IIII. c.46.

[7] *Ibid. c.5.* [8] *Empiric.* Adverſ. Mathem. L.VII. ſ.49.

[9] *Laert.* L.VIIII. ſect.22.

III. Poſtremo alii *criterium* partim in ſenſu, partim in animo poſuerunt: id eſt, in rebus ſenſilibus judices veri eſſe ſenſus: in iis vero, quæ intelligentia continentur, eſſe animum. Ad hanc claſſem revocatur Speuſippus [1] cum Academia Veteri, Ariſtoteles [2] & Peripatetici. [3] Etiam Epicurus referendus eſt: [4] qui omne judicium in ſenſibus, & in rerum notitiis ſeu anticipationibus, & in voluptate conſtituit, ita tamen ut primas partes tribuat ſenſibus. Quemadmodum etiam Cyrenaici, qui in permotionibus intimis doloris, & voluptatis, quæ a ſenſibus oriuntur, judicium veri eſſe putabant. [5]

In eamdem ſententiam loquebantur Stoici: qui etiamſi in ſolis ſenſibus collectim ſumtis *criterium* veri eſſe defenderent, tamen in ſenſu, & anticipatione, ſeu rerum, & propoſitionum univerſalium cognitione, illud ponebant: quod præter cæteros Chryſippus fecit. [6] Quare verbis magis, quam ſententiis, ab Ariſtotele, & Epicuro diſcrepabant. In eadem ſententia erat Potamon [7] Eclecticorum princeps, & Ariſtocles, [8] ut alios omittam.

Præterea ſunt homines, qui non illi quidem omne falſum tollunt; ſed *contradicentes plures veritates admittunt*: ut Judæi, qui defendunt, Rabbinos ſeu Doctores legis, etiamſi pugnantia dicant, tamen dicere verum. Qui ad primam, aut ſecundam claſſem reduci poſſunt.

Fuere etiam inter Chriſtianos, qui defenderent, quædam ſecundum Philoſophos eſſe falſa, quæ apud Juriſprudentes ſunt vera: ut Alexander Neapolitanus quidam. [9] Alii dixere, quædam in Philoſophia eſſe vera, quæ ſunt falſa in Theologia. Hi rurſum vel id fecere ex nimio in Ariſtotelem amore, quo eum Sacris codicibus conciliarent, velut Pomponatius [10] & Averroeſiani aliqui: vel ex odio Philoſophiæ, ut Lutherus aliquando, & Hoffmanniani: vel ut

---

[1] *Empiric.* L.VII. ſect. 145. [2] *Laert.* V. ſect. 29. [3] *Cicero*, Fin. IIII. c. 4. [4] *Idem* Acad. IIII. c. 26. & 46. [5] *Ibid.* IIII. c. 7. [6] *Laert.* L.VI. ſect. 49. *Cicero* Acad. I. c. 2. III. c. 6. [7] *Laert.* Proœm. ſect. 21.

[8] *Apud Euſebium*, Præpar. L.XI. c. 17.

[9] *Chriſt. Thomaſius*, Introd. ad Phil. c.V. §. 41.

[10] De Fato L.III. c. 1. & Immortal. Animæ c. 15.

ut Atheiſmum ſuum celarent, cujuſmodi eſt Auctor *Specimi-nis Ratiocinandi*, qui fuit diſcipulus Benedicti Spinoſæ, Athei ingenioſiſſimi.

Recentiores poſt Carteſium [1] exiſtimant, *criterium veri eſſe perſpicuam notionem*. Hoc autem inter eos intereſt. Quidam arbitrantur, nullam rem creatam talem notionem generare poſſe: ſed ſolam Dei locutionem eam eſſe, quæ certos nos facit non errare. Eſt in hac ſententia Huetius. [2] Benedictus autem Spinoſa contendit, mentem noſtram omnia videre in Deo, quia eſt particula mentis divinæ. [3] Quam ſententiam alii *Pantheiſtæ*, & *Fanatici* receperunt magno cum plauſu. Malebranchius vero, qui putat mentem noſtram *eſſentialiter* conjunctam Deo, in Dei lumine verum intueri; nihilominus ait [4] criterium ſitum eſſe in quadam veluti coactione animi ad conſentiendum. Quæ niſi ſignificent, Dei lumen eſſe *criterium veri*; quo pacto componi poſſint, ignoro.

Sed qui rem ſine ullo præjudicio examinarunt, defendunt, unum eſſe judicium veri *rei evidentiam*: id eſt, ea eſſe vera, quæ nos perſpicue vera eſſe intelligimus, vel ex perſpicua veritate perſpicue deducuntur. Velut cum prædicatum propoſitionis perſpicue ſubjecto convenit, aut repugnat. Nam quæ propoſitiones ita ſunt claræ cogunt nos, ut iis adſentiamur. Non aliter ac in meridie apertis oculis, & valentibus, fieri nequit quin objecta corpora videamus. Quod adeo perſpicuum eſt, ut ſupervacaneum ſit, id ipſum argumentorum copia demonſtrare.

Primum igitur conſulere debemus interius animi judicium, quam *conſcientiam* vocaut: quæ ſi nos certiores facit, nullam rationem occurrere, quæ rem dubiam faciat, nulli dubitemus, habere nos cognitionem perſpicuam. Sin autem vereamur ne, per tarditatem humanæ mentis, decipiamur adhuc; inveſtigemus, quid ceteri homines, ii præſer-

M 4 tim,

[1] Medit. IIII. & V. de Prima Philoſ. *Qui tamen non ſenſuum evidentiam, quos fallaces putat, ſed perceptionis evidentiam, pro veritatis indicio ponit.*

[2] De Imbecillit. Mentis Hum.

[3] Tractatus Theologico-Politic. c. 1.

[4] *Malebranchius*, de Inq. V. L. I. c. 2. §. 4.

tim, qui ingenio, ac doctrina præter ceteros pollent, exiſtiment: qui ſi dixerint, id ita ſe habere, ſine ulla dubitatione judicabimus, rem eſſe certam & perſpicuam.

Porro autem evidentia vel eſt *Phyſica*, vel *Metaphyſica*, vel *Mathematica*, vel *Moralis*. Evidentia *Phyſica* eſt, quæ per ſenſus integros, & valentes habetur. e. g. Cum claræ adſpicio Petrum e regione ſtantem, habeo evidentiam Phyſicam exſiſtentiæ Petri. Eodem modo de reliquis ſenſibus dicendum eſt.

Metaphyſica eſt, quam habent axiomata Metaphyſica: ut *Quod in idea complexa includitur, de ea poteſt enunciari*: &, quæ ex iis componuntur, demonſtrationes. Item argumentationes, quibus demonſtramus exſtare Deum; tum animum noſtrum eſſe ſpiritalem, liberum, cetera; evidentia Metaphyſica fruuntur.

Mathematica eſt, quam habent Mathematicorum axiomata, & demonſtrationes. Itaque hæc axiomata: *Si æqualibus addas æqualia, tota erunt æqualia*: *Si ab æqualibus demas æqualia, quæ remanent, erunt æqualia*: habent eam evidentiam Mathematicam, quæ ſine ullis argumentis fit nota. Demonſtratio vero, qua efficitur, *tres angulos unius trianguli eſſe æquales duobus rectis*; & ipſa habet Mathematicam evidentiam, quæ ratiocinatione comparatur.

Metaphyſica, & *Mathematica* evidentia eadem certitudine fruuntur. In hoc differunt, quod hæc celerius, quam illa, nos cogat ut adſentiamur. Nam demonſtrationes Mathematicæ conſtant numeris, & figuris, quæ facilius in animo defiguntur. Demonſtrationes vero Metaphyſicæ ex ideis abſtractis componuntur, quas non niſi homines litteris ſubacti penitus intelligunt. Utraque tamen evidentia vocabulo *Mathematica* ſignificatur.

Moralis eſt, quam habent propoſitiones, quæ plurimis, & graviſſimis teſtibus nulli exceptioni ſuppoſitis ſunt confirmatæ: veluti eſſe Indiam, Americam: tum exſtitiſſe Marium, Auguſtum, Ciceronem: & hujus generis multa, quæ aliorum teſtimonio cognita habemus. [1] De

[1] *Evidentia pro varia natura rerum diverſo modo ſe habet. Nempe hæc propoſitio*: Verbum Dei eſt verum: *eſt Mathe-*

De quo alio loco eſt diſſerendum. [1] His conſtitutis ſit

Lex I. *Evidentia Mathematica præferri debet Phyſicæ evidentiæ*

Nam cognitio, quæ per ſenſus habetur, quamvis perſpicua ſit, tamen nos fallere poteſt: [2] non ita vero, quæ perſpicua demonſtratione comparatur. Hinc cum Mathematica evidentia efficiatur, aërem prodigioſa vi undique premere corpora noſtra, adeo ut plus quam mille [3] pondo aëris ſinguli ſuſtineamus; ſi quis reſponderit, ſe nullo modo pondus, & preſſionem aëris ſentire, hujuſmodi ratio flocci facienda eſt, præ illa evidentia.

Lex II. *Mathematica, & Phyſica evidentia anteponi debet auctoritati humanæ.*

Nam humana fides etiamſi firma videatur, tamen fallere, & falli poteſt: iccirco conferri nequit cum Phyſica evidentia, & multo minus cum Mathematica. Hinc ſi mille auctores graviſſimi dicerent, *Zonam Torridam non habitari*; audiendi non eſſent: nam alii ſuis oculis vident, in eo orbis terræ tractu homines nimis multos habitare. Item ſi dicerent, *Lunam eſſe paullo minorem Sole*; minime eſſent adtendendi: propterea quia Mathematica evidentia conficitur, Lunam eſſe longo intervallo minorem: & opinamur, ſecundum

---

Mathematice evidens, quia conſtat perſpicua ratione naturæ: Hæc vero: Sacra ſcriptura eſt verbum Dei: *nec Phyſice, nec Mathematice eſt evidens: quia conſtat traditione Catholica, quæ rem quidem certam facit, ſed non evidentem. At eſt Moraliter evidens, quia rationes, quæ id credibile faciunt, ſunt Moraliter evidentes. Exſiſtentia autem talium rationum eſt Phyſice evidens, quia vel auditu, vel lectione comparatur. Sed de his alias opportunius.*

[1] L.V. p.2. c.2. & Metaphyſ. L.III. c.7.

[2] *Confer, quæ diſputabimus capite ſequenti.*

[3] *Mariotte*, de la Nature de l'Air. *Sturmius*, Colleg. Experiment. P.II. *Ottho de Guerick*, *Boyle*, *ceteri*, *qui de Aëre ſcripſerunt*.

dum Recentiores graviſſimos, rationem eam cum Sole habere, quam $\frac{1}{60}$ habet ad 1,000,000. [1]

Lex III. *Cum Mathematica evidentia alteri Mathematicæ, vel Phyſica Phyſicæ adverſatur, alterutra eſt falſa*.

Nam Mathematica evidentia eſt veritas rei. Ergo non repugnat alteri Mathematicæ: quia verum non repugnat vero. Item Phyſica, quæ experientia accurate inſtituta comparatur, non opponitur alteri experientiæ recte inſtitutæ. Quare utroque caſu judicandum eſt, alterutrum eſſe falſum: & quin aliquid conſtituamus, rem diu multumque examinare, quouſque verum adtingamus.

Lex IIII. *Mathematica evidentia non adverſatur auctoritati divinæ*.

Nam evidentia Mathematica eſt, ipſa rei veritas perſpicua, quæ rationis ope percipitur: quam rationem Deus nobis dedit, ut verum exploremus. Auctoritas itidem divina eſt vera. At verum non adverſatur vero.

Lex V. *Si Mathematica repugnat Deo dicenti, vel non eſt evidentia, vel id Deus liquido non dixit*.

Nam quod Deus dixit eſt verum. Ergo non poteſt haberi evidentia Mathematica ex adverſa parte. Unum ſupereſt, ut conſulas quid Catholica ſentiat Eccleſia: quæ ſi liquido proponit, Deum id dixiſſe; ſcito te non habere talem evidentiam. Quod ſi liquido non conſtat, ex ſapientiſſimorum hominum ſententia, qui rem libero judicio examinarunt, conſtituendum eſt.

Lex VI. *Si Phyſica evidentia repugnat auctoritati Divinæ, nulla eſt talis evidentia*.

Nam auctoritas Divina, uti diximus, eſt ipſa veritas indeficiens. Senſus autem non poſſunt conferri cum veritate indeficiente: immo ex ea, maxime ſi clara eſt, fallaces repræſentationes eorum ſunt emendandæ.

COROL-

[1] *Caſſini*, Elemens de l'Aſtronomie, p. 49. Recueil d'Obſervat. par Mrs. de l'Academie. *Conferatur Nievventytius*, Contempl. XXV. §. 4. ſeqq.

COROLLARIUM I.

Hinc recte Philoſophi judicium veritatis partim in ſenſibus, partim in mente poſuere.

Nam tametſi mens eſt illa, quæ judicat, non ſenſus; tamen non niſi ab ſenſibus habet ideas, de quibus judicat.

COROLLARIUM II.

Hinc falſo dicit Huetius, non niſi a Deo certiores nos fieri, nos non errare judicando.

Nam ſi ratione nihil poſſumus certo definire, quo modo certiores erimus, Deum id nobis dixiſſe? Non omnes divino ſpiritu adflantur, & vocem Dei, nullo internuncio, audiunt. Deinde homines ſæpiſſime in judicando decipiuntur. Quapropter nequeunt plane conſtituere, an a Deo fiant certiores, an aliter.

COROLLARIUM III.

Hinc falſo adfirmat Spinoſa, mentem noſtram eſſe modificationem, ſeu particulam divinæ mentis.

Duo enim homines diverſa, immo & contraria eodem tempore cognoſcunt, & cupiunt: tum infinita propemodum ignorant: quorum utrumque a Deo alienum eſt. Quo nomine falſa item eſt ſententia Malebranchii.

CAPUT IIII.

De fallaciis Senſuum, quæ veri cognitionem retardant.

OBſtant tamen non nulla, idque frequenter, ne veritatem adſequamur: quæ Logicus perſpecta habere debet, ut ea, quoad poterit, declinet; ſin autem, errata ſua quodammodo emendet. Hæc ad tres claſſes commode referuntur, *Senſus*, *Voluntatem*, *Mentem*: de quibus ordine explicabimus.

Prin-

I.

Principio ſenſus noſtri, per quos primas ideas conſequimur, ſæpiſſime nos fallunt. Non quod re ipſa fallant, nam ſemper aliquid, quod exſtat, objiciunt; ſed quia occaſionem præbent cur fallamur, judicando ita eſſe. Nam *oculi* id præſtant in capite, quod præſtaret vitrea lens. Hi enim excipiunt imaginem objecti, & eam in retina depingunt: quod jam ſecundo libro demonſtravimus. Quare non oculi nos decipiunt: ſed nos, qui, per ſtupiditatem ſenſuum, obſcure objectum percipimus; cum exiſtimamus eſſe, ut pingitur, fallimur ſæpiſſime. Aliqua exempla ſubjiciemus, cetera apud recentiores legere poteſtis. [1]

1. Vix umquam certo judicare poſſumus, nos veram rerum *magnitudinem* ratione comprehendere. Nam quemadmodum lentes vitreæ, ſi majores, aut minores ſunt, magis aut minus convexæ, objecta vel majora, vel minora repræſentant; ita oculi noſtri, ſi magis aut minus ſint convexi, idem præſtabunt. Nos autem, etiamſi non poſſimus definire, quam ſimilem figuram habeant oculi duorum hominum; ſcimus tamen, & frequenter videmus, duos homines, immo & eumdem interdum diverſo modo conformatos oculos habere. Jam ſi quid minimum intereſt vel in figura, vel in denſitate humorum, vel in ſitu; diverſam extenſionem corporis, ut vitreæ lentes, exhibebunt. Ideo nec pro certo dicere poſſumus, quam magnum ſit objectum, quod contuemur.

Confirmat id ipſum experientia. Nam vitra oculorum, quæ ſenibus opitulantur, adoleſcentes minime juvant. Deinde ea, quæ homini *myopi* juſtam hominis magnitudinem offerunt, alteri bene videnti, minorem offerunt. Vix ut ſine errore adfirmemus, alterutrum eſſe verum.

2. Decipimur etiam aliquando cum conſtituimus, an corpora ſint *æqualia*, an ſecus. Nam cum in aliquo horto deambulamus, in quo arbores vel in quincuncem ſunt poſitæ, vel in duas lineas parallelas; ſi initio viæ collocati ultimas

---

[1] *Legatur præ aliis Malebranchius*, de Inquir. Verit. *ex quo plurima ſumſit Soria*, in Inſtit. Philoſ. Ration. c. 9.

timas intuemur, hæ multo minores apparent: tum & via ipſa latior initio, & ſenſim anguſtior venit in conſpectum. Quodſi viam pergimus, & exacte eam metimur, vel æqualis eſt, vel extrema pars viæ amplior, atque arbores ipſæ proceriores ſe offerunt. Idem uſu venit, cum duos homines ſtatura æquales alterum prope nos, alterum longe conſpicimus. Hic enim multo minor, quam ille, oculis objicitur.

3. *Figuram* etiam corporum magnorum, ſi longo intervallo diſtant, vix certo conſtituemus. Nam turris quadrata, cum longe adſpicitur, ſine angulis videtur. Etiam corpora exiliſſima, quæ rotunda videntur, ut arenæ granum, ſi microſcopio adhibito ea contemplamur, plurimas habent ſuperficies, & figuras diverſas. Inſenſilia vero, quæ nudis oculis non apparent, ſi ea microſcopio exploramus, plurima, & multarum figurarum ſe offerunt, e. g. In aqua, in aceto, & aliis humoribus infinita propemodum animalia conſpicimus, quæ ſine vitro conſpici non poſſunt. [1] Item aer, qui purus videtur, ſi radium lucis, qui a janua clauſa in conclave obſcurum inlabitur, contemplamur, infinita corpuſcula heterogenea habet. Iccirco caute pronunciabimus, corpora vel prorſus non eſſe, vel figuras eas habere, quæ apparent.

4. De *motu* vero cum judicamus, frequentiſſime decipimur. Vulgatum eſt illud de nave, in qua, cum quis vehitur ſedens, videtur ſibi eſſe inmotus: terræ vero, & reliqua, quæ linquit, recedere videntur. Eodem modo, qui longe aliquem lente & placide videt deambulantem, putat eum conſiſtere. Luna, Venus, & plurima ſidera videntur non moveri, tamen moventur. Cum e dolio aliquo oleum per foramen ruit cum impetu, tam placide fluit, ut intuens adfirmare non dubitet, oleum non fluere, ſed conſiſtere. Cetera lubens prætereo, nam hæc ſatis conficiunt, quam in iſtis dijudicandis homines decipiantur.

Item, quam *velox* ſit motus, vix certo conſtituemus. Nam æque velox motus dicitur, qui æquali tempore æquale ſpatium percurrit. At cum video duos equos ſimul currentes

---

[1] *Conf. Leeuwenoeckius, in* Arcanis Naturæ ope Microſcopiorum detectis: *qui plura exempla ſuppeditat. Cui addi poteſt Hartſoekerus, Hookius, aliique.*

tes ad metam, non poſſum definire, an eodem tempore æqualia ſpatia conficiant. Quare inprudenter dicam, æque velociter currere. Nam fieri poteſt, ut, qui minori intervallo proximus eſt mihi, videatur velocius currere, quam alius: quod interdum eſt falſum.

5. Jam vero ſatis notum eſt, *colores* ſæpiſſime occaſionem dare cur fallamur. Nam ſi longe, aut ſub veſperum montem arboribus conſitum adſpicimus; ſine ullis arboribus nudum videbimus. Illæ ipſæ arbores floribus veſtitæ, ornatæ pomis, ſi e remoto cernuntur loco, omnino ſine ullo ornatu apparent.

6. Etiam falluntur homines cum judicant, *colores eſſe in objecto corpore*. Quod non indoctis modo, ſed & Peripateticis omnibus uſu venit. Nam exploratum eſt, nullos colores in objecto eſſe, ſed in eo, qui adſpicit: i. e. objecta corpora, pro ſuperficie magis, vel minus ſcabra, ſunt cauſſa, cur lux alio, & alio modo oculum adficiat, atque hanc perceptionem ſuſcitet in animo, qui vocatur *color*. Conficitur id multiplici experimento: ſed unum, & alterum ſufficiet in præſentia.

Nam ſi lapidis ſuperficiem ſcabram polias, diverſum colorem exhibet. Quod plane conficit, colorem non eſſe in objecto; nam nulla cauſſa adeſt, quæ novum colorem generet. Tritum jam eſt Clariſs. Nevvtoni experimentum. Si in conclavi obſcuro radios lucis per foramen in feneſtra factum excipis priſmate cryſtallino, hi, dum cryſtallum, & conclave pervadunt, colorati non videntur: dum vero in adverſam chartam albam incurrunt, ita refringuntur, ut excitent in nobis ſenſum ſeptem colorum, qui hoc ordine in charta exprimuntur: *violaceus*, *purpureus*, *cæruleus*, *viridis*, *flavus*, *aurantius*, *ruber*. Atqui charta facultatem non habet producendi colores, nec mutandi naturam radiorum, qui colorati non erant. Ex quo conſequitur, nihil aliud eſſe colores niſi perceptiones, quæ in animo excitantur, ad præſentiam corporis, quod certos lucis radios rejicit ad oculos, alios abſorbet, idque ex lege a Deo rerum naturæ præſcripta. [1]

1. *Au-*

[1] *Nevvtonus*, in Optica p. m. 103. 153.

I I.

1. *Auditus* itidem frequens errorum eſt cauſſa. Nam primo exiſtimamus, *ſonum* eſſe rem, quæ extra nos eſt, & a corpore ſonoro venit: quod tamen eſt falſum. Nam, uti de viſu docuimus, nihil aliud facit corpus ſonorum, quam citiſſime & certo modo tremere: qui tremor aërem ad tympanum auris inpellit, idque ita movet, ut excitet in animo ſenſum *ſoni*. Nam tam diu corpora ſonant, ut campanæ, & fides, quam diu tremunt. Quem tremorem ſi manu, vel alio pacto impedis & ſiſtis, ceſſat ſonus.

2. Deinde putamus, vocem repercuſſam ab aliqua turri, aut caverna, aut puteo, quam vocamus *echo*, ab illa parte venire: quod manifeſto eſt falſum. Nam aër motus, cum in corpus incurrit, quod aptum eſt ut eumdem ad aures mittat, quin tremorem minuat; vocem & ſonum ab ea parte remittere videtur, quæ dicitur *echo*. Non aliter ac in ſpeculo corpora videntur eſſe ultra ſpeculum, cum tamen e regione ſint.

Vidi ego quædam loca, ubi, ſi vocem placide ederes, ter *echo* audiebatur. Ferunt [1] in majori pyramide Aegypti ſonum repercuſſum ab interiori parte, *echo* duodecies referre. Sed majus aliquid eſt, quod narrant de quadam *echo* prope *Ormeſſon*, quæ interdiu XIIII. ſyllabas reddit, nocte vero VII. [2] Et multo mirabilius, quod de alia in Anglia prope *Woodſtock*, in qua XVII. ſyllabæ interdiu, per noctem vero XX. diſtincte audiuntur. [3] Ut eam in hortis gentis Simonettæ prope Mediolanum taceam percelebrem; quæ vices XXIIII., nonumquam vero XXX. vices vocem reddit. [4] Itaque ſedulo caveamus, ne ſecundum id, quod ſenſus repræſentant, ſine ullo examine judicemus.

I. *Odo-*

---

[1] *Lucas*, Voyages Tom.I. pag.43.
[2] *Marinus Merſenus*, Harm. Univ. L.III. pag.214.
[3] Journal des Savans 16. Août. 1677.
[4] *Kircherus*, Phonurgiæ L.II. *G. Schottus*, Magiæ Phon. p.122. Confer. *Sturmius* Phyſ. L.I. ſect.2. c.10.

Digitized by Google

III.

I. *Odoratus*, & *Guſtatus* eodem nomine nos decipiunt: propterea quia cauſſa ſunt, cur inprudentes exiſtimemus, *odorem*, & *ſaporem* eſſe in corpore, quod tangimus: cum tamen ſint nihil aliud, quam animi ſenſus, qui excitantur in nobis a particulis inſenſilibus corporum, quæ organa hæc duo contingunt. Nam ſi eſſent res, quæ ſeorſum a nobis exſtarent; idem corpus odorum, & idem cibus ſingulos homines eodem modo adficeret. Id tamen ſecus eſt: nam *zibethum* e. c. aut *odor lilii* gratus eſt aliis, aliis prorſus intolerabilis. Etiam, quid cibi poſſint, experimur communiter. Nec enim omnes eodem cibo delectantur: quinimmo quoſdam cibos averſantur, & non ſine nauſea vident, ne dum guſtant. Et, quod magis mirabile eſt, quæ nobis adoleſcentibus in deliciis fuere, dum ad virilem, aut ſenilem ætatem pervenimus, diſplicent interdum: quod unuſquiſque in ſe ipſo facile animadvertet. Hæc ſani.

In ægrotis vero mirabiliora phænomena ſæpiſſime occurrunt. Quis neſciat, mulieres oppilatæ quot ſpurcitias vorent? ſalem, carbonem, calcem, laterculos, cretam, & inmundiora alia: quæ illæ ipſæ, a morbo liberatæ, non ſine ſtomachi perturbatione nominant. Gravidas etiam quot ego vidi res, quæ nulli fatuo in mentem venirent, ſumma cum animi contentione perquirere, & avidiſſime deguſtare? morbo, an adfectatione neſcio, unum ſcio, id frequentiſſime evenire, eaque comedere, quæ mox puerperæ recuſabant. Febri laborantes amara ſentiunt, quæ ſani dulcia, & ſuavia habent. Idem in *odoribus* obtingit.

Hæc autem perſpicue efficiunt, non in objectis corporibus eſſe odores, & ſapores, ſed cauſſam tantum cur ea ſentiamus: quæ, pro diverſa conſtitutione organorum vel duorum, vel ejuſdem hominis, dum morbo, vel ætate laborat; diverſo modo fibras ſenſuum movent, titillant, pungunt; ut nervi diverſo modo adfecti alias & alias perceptiones excitent in animo, quæ ipſæ ſunt vel odores, vel ſapores.

I. *Tactus*

Digitized by Google

IIII.

I. *Tactus* denique, quod latius, quam ceteri ſenſus, pateat, eſt enim per totum corpus diffuſum, uberrimus errorum fons eſt. Nam ſine ulla dubitatione judicamus, ea in corporibus externis eſſe, quæ tactu diſtinguimus. Principio *calor*, & *frigus* videntur in corporibus eſſe, re non ſunt. Id certa experientia unicuique oſtendet. Nam ſi alteram manum bene calidam, alteram nimis frigidam in eamdem aquam tepidam mergas, quæ frigida erit, calidam ſentiet; contra vero, quæ calida, frigidam. Non ita diceremus, ſi aqua ſe ipſa eſſet calida: nam utraque manus moderatum calorem ſentiret: non ſecus ac utraque manus ſentit, eam eſſe corpus, eſſe fluidam, eſſe gravem, quia ita eſt.

Item cælum Ulyſſiponenſe homini in *Lapponia*, *Finlandia*, *Ruſſia* nato, videtur calidum: illi vero, qui a *Maranhone*, vel *Parà*, vel ab alia zonæ Torridæ parte venit, frigidum videtur. Miramur aliquando Aethiopes, cum naves noſtræ nudos eos in litore exponunt. Inſcite tamen: nam ſi nobiſcum reputaremus, natos eos eſſe in calidiſſima regione, & perpetuo ſic vixiſſe; cauſſa nulla eſſet, cur miraremur. Non aliter ac nullus miratur, ſe nudam faciem, id eſt nobiliorem & elegantiorem corporis partem, oſtendere, quia ita inſtituti & educati ſumus.

II. Venio ad *levitatem*, & *aſperitatem*: in quibus dijudicandis tam multa peccant homines, ut mirari poſſimus. Pronunciamus ſæpenumero corpora aliqua eſſe perfecte levigata, e.g. globum vitreum, qui tamen non eſt. Nam muſcæ per eum globum ambulant; quod certe non facerent, niſi cavitates quædam eſſent, & prominentiæ, quas ungulis tenere & capere poſſent, quo ſe ſuſpenderent. Pulcerrima manus, & levis nudis oculis apparet, quæ tamen, microſcopio adhibito, ſcabra eſt. Quod idem iu reliquis corporibus levigatiſſimis boni microſcopii auxilio oculis deprehendimus. Adeoque planum eſt, ſenſum *tactus* non ſecernere partes inſenſiles corporum: quas ſi ſentiret, & diſtingueret, numquam judicaremus, ea eſſe levigata. Præterea, quod puello, & feminæ urbanæ, ac deliciis diſluenti, aſperum videtur; ruſtico & Sole, & nive, & adſiduo labore ſubacto, ne leviter

viter quidem ſcabrum videtur: quod eam fibram, & cutem habet, quæ non facile movetur. Quare caute in iis, quæ tactu percipimus, judicare oportet.

III. Fallimur etiam per tactum, quod putamus, ea corpus noſtrum non adficere, quæ adficiunt. Nos undique premimur a prodigioſa vi aëris. Nam Philoſophi poſt *Torricellium* perſpicuis argumentis efficiunt, aërem magno niſu ad terram tendere; adeo ut hæc cauſſa ſit, cur in antlia aquam ſuſtineat altam pedes XXXII. mercurium vero pollices XXVIII. ultra quam altitudinem hoc cælo neque aqua, neque mercurius adſcendit. Nec ſolum terram premere perpendiculariter, ſed omni ex parte. Nos enim undique comprimimur ab aëre, idque tam violenter, ut explicari vix queat: tamen nullus id ſentit, propterea quia a prima exſpiratione auræ vitalis ita ſumus compreſſi, nec aliquam in ſenſibus patimur mutationem. Item qui mergitur in mare, & fundum petit, non is quidem ſentit magnam vim aquæ, quæ ſuper corpus eſt, hac de cauſſa, quia omni ex parte premitur æqualiter.

Unde mirari deſinamus, quod piſces velociter in aqua moveantur. Hæc enim tam eſt conſentanea naturæ eorum, quam noſtræ aër. Quid? nec ipſe aër nobis ſenſu, niſi moveatur, percipitur. Ita indocti conſtanter defendunt, aërem non eſſe corpus; immo & Peripatetici dicunt, *quantitatem* non habere, & eſſe leviſſimum. Itidem fallimur frequenter, cum *ſoliditatem*, & *gravitatem*, & *fluiditatem*, & *extenſionem*, & *figuram*, & *motum* corporum æſtimamus: cum *dolorem*, aut *voluptatem* metimur ex tactu. Quæ ex iis, quæ ſupra diximus, perſpicue fluunt.

Hinc fit manifeſtum, ſenſus illos nuncios veri plurimam occaſionem nobis dare cur fallamur. 1. Ob *debilitatem & tarditatem*: nam ſi eſſent ita comparati, ut eſſe poſſent, omnia nobis diſtincte repræſentarent. Nam & aper multo plura, & diſtinctius audit, quam nos: & ſimia guſtat acutius: immo & nos ipſi microſcopii ope ea videmus, quæ ſine tali præſidio exſtare vix ſuſpicaremur. 2. Ob *voluptatem*, quam tactu, & viſu, & aure percipimus: quæ nos impedit, ne rem, ut opus eſſet, examinemus.

Sed quoniam Deus nobis ſenſus non dedit ornatus cauſſa, ſed ut iis utamur, eorumque ope cognitiones adquiramus, atque vitam noſtram omnem ſapienter inſtituamus; iccir-

iccirco *criterium* aliquod ſit oportet, quo veras, & falſas notiones dignoſcamus.

Criterium autem eſt tale: *Eæ imagines veriſſimæ haberi debent, quæ, adjunctis omnibus accurate expenſis, ſemper ab eodem, vel a ceteris ſenſibus eædem reperiuntur: idque ab uno homine, & multo magis a diverſis, qui eas diligenter examinarunt.* Nam ſi ne hoc quidem caſu veræ haberi poſſent imagines, deluderet nos perpetuo Deus: quod a tanta bonitate alienum eſt. Quo ſane nomine Pyrrhoniorum commentum a veris Philoſophis confutatur. Hanc doctrinam duobus canonibus facilitatis cauſſa comprehendemus.

CANONES.

I. *Ne pronunciato, ea eſſe vera, quæ ſenſus repræſentant, aut non eſſe, quia in ſenſus non incurrunt; quin prius ſedulo id perpendas, & peritorum ſententiam adhibeas.*

II. *Experimenta ne facito, ut veteres aliqui faciebant: ſed exactiſſimis inſtrumentis, quæ recentiores excogitarunt & poliverunt, diligentiſſime utitor.*

CAPUT V.

De adfectibus Voluntatis, qui veri adſecutionem impediunt.

Parum haberemus ſi ſenſus tantummodo nos in errores inducerent: nam, cum errores hujuſmodi ſint conſpicui, eſſet in promtu remedium, nimirum de iis, quæ ſenſibus percipiuntur, caute pronunciare; eaque ad examen etiam atque etiam vocare, antea quam judicium faceremus. Sed eſt alia cauſſa, quæ quo tectior eſt, eo validius hominem a veritate revocat, & ad errorem inpellit. Ejuſmodi ſunt *adfectus animi*. Nam cum animus percipit res ſenſiles prout bonæ, vel malæ ſunt, oritur quidam animi motus, [1] cum fluoris nervorum, & ſanguinis ingenti commotione conjunctus; qui *adfectus* nuncupatur: quemque vel voluptas animi, vel dolor ſequitur.

[1] *Is vocatur* appetitus. *Rerum autem, quæ materiæ expertes ſunt, appetitio dicitur* voluntas.

Mirabile dictu eſt, quam valide, quamque celeriter hi adfectus, ſi ſunt vehementes, hominem tranſverſum agant. Quod uſu exploratum eſt. Hi primo mentem impediunt, ne accurate examinet ea, de quibus deliberare debet. Ex quo conſequitur, ut ideas obſcuras adquirat, & judicando fallatur. Deinde, quædam ut amemus, efficiunt; quædam vero refugiamus, quæ non debemus. Nam, non ſecus ac microſcopia, & ea, quæ placent, & diſplicent, ampliant, dilatant adeo, ut mens tali fulgore percuſſa judicet eſſe bonum, aut malum, quod re vera non eſt. Id tam multis argumentis effici poteſt, ut copia me inopem faciat. Pauca tamen addam: in ceteris moneo, ut unuſquiſque ſe ipſum conſulat: ſi enim ſuas actiones odoretur, & æſtimet pro merito, exempla nimis multa reperiet.

I. Præcipuus adfectuum fons, ex quo omnes dimanant, eſt, ut ſcite Ariſtoteles, inmodicus amor, quo unuſquiſque ſe amat, quam *Philautiam* nominamus: quare *Philautia* haberi debet parens errorum, qui a voluntate oriuntur. Amamus vehementer nos, noſtraque omnia, dicta, facta, cogitata. Nec aliquid tam glorioſum de ullo homine prædicari poſſe putamus, quod non de nobis potiori jure dici debere judicemus. Hic adfectus quaſi morbus quidam non ſemidoctos modo, ſed etiam doctiſſimos aliquando pervaſit.

Cicero, quam libet munitus præceptis ſeverioris Philoſophiæ, magnifice de ſe ſentit: & rerum a ſe geſtarum prædicationem texit perpetuo. Adeo ut Lucceium rogarit, ut ea ornaret vehementius, quam fortaſſe ſentiret: & in eo Hiſtoriæ leges negligeret. [1] Verius dixerimus, veteres omnes, qui aliqua laude nobiles exſtiterunt, nimis appetentes fuiſſe gloriæ: & nihil aliud deſideraſſe, niſi ut res ſuæ ab aliis prædicarentur. Cujuſmodi, ut alios prætercam, fuere Themiſtocles, duo Magni, Alexander, & Pompejus; Scipio Africanus, M.Varro, C.Trebonius. E recentioribus plurimi eruditi idem peccatum peccarunt. Quod nobilis auctor Menckenius ſingulari libro oſtendit. [2] Immo obſcuriſſimi ſcriptores eamdem ſæpe tibiam inflant, ut de ſe, non ſine aliorum contemptu, perpetuo loquantur: ſuaque, etſi leviſ-

[1] *Cicer. ad Famil.* L.V. epiſt.12.

[2] *In libro inſcripto*, Charlatanaria Eruditorum. 8.

leviſſima, inpudentiuſcule extollant. Qui adfectus judicandi aciem omnino retundunt.

II. Hinc & illud exſiſtit, ut de rebus judicium faciamus, non prout re ſunt, ſed pro modo, quo nos adficiunt. Itaque quæ nobis convenire putamus, bona, pulcra, juſta: quæ non convenire, e contrario judicamus. Amicos ſuos, conjunctos, præceptores, populares, plurimi ita extollunt, ut nihil ſanctius, nihil eruditius, nihil omni laude cumulatius ne cogitari quidem poſſe cenſeant. Si quem vero eorum errata notantem audiunt, ei mala omnia inprecantur: & quaſi hominem ſuperis inviſum, reipublicæ pernicioſum, nova atque nefaria facinora molientem, adeo averſantur, ut nihil ultra.

III. Apertius id videtur in iis, qui alicui ſectæ nomen dederunt. Quis enim ei Philoſopho dixerit, doctorem ejus erraſſe? quis perſuaſerit, debere eum præceptoris ſententias ad aliorum doctorum lumen revocare? Vulgatum illud eſt Averroeſii, qui, cum Ariſtotelem interpretaretur, hoc dicere non dubitarit: *Ariſtotelis doctrina eſt ſumma veritas, quoniam ejus intellectus fuit finis intellectus humani; quare bene dicitur de illo, quod ipſe fuit creatus & datus nobis a Divina providentia, ut non ignoremus, poſſibilia ſciri.* [1] Et alio loco: [2] *Nullus eorum*, inquit, *qui ſecuti ſunt eum uſque ad hoc tempus, quod eſt mille & quingentorum annorum, quidquam addidit: nec invenies in ejus verbis errorem alicujus quantitatis.*

Hæc homini Ethnico, tam rudi ætate ſcribenti, & qui bonos auctores non legerat, condonari poſſunt: at in viris Catholicis, & in hac Europæ luce, ferenda non ſunt. Audivi ego Peripateticum dicentem, veteres Epiſcopos a prima uſque Eccleſiæ ætate, Ariſtotelem quaſi normam diſputandi, etiam in rebus Fidei, habuiſſe: nec latum unguem ab ejus ſententiis receſſiſſe. Neque adfirmare dubitarim, plurimos etiam nunc in eadem hæreſi, quamvis occultius, permanere.

IIII. Quidam tanto amore antiquitatis tenentur, ut id ſolum laudabile putent, quod in veteribus codicibus invenitur. Id viris cetera eruditiſſimis, & moderatiſſimis, eveniſſe eſt certum: Philologis, & Criticis præſertim, qui, cum libros

[1] *Averroeſ. in* Deſtructorio. diſſ. 3.
[2] *Averroeſ.* Præfat. in Phyſicam Ariſt.

libros inluſtrant, ea in ſingulis periodis videre ſibi videntur, quæ reapſe non vident. Grotius, magnus homo, Sacram ſcripturam dilucidans, graviſſimorum Ethnicorum ſententias de jure Naturæ, & Gentium omnino expreſſas in ea videri exiſtimat. Alii in Ethnicorum libris loquentem Moyſen reperiunt. Quæ viri alii bene periti, & præjudiciis non occupati, in iis non cerni adſeverant.

Fuere Interpretes, qui Bibliorum libros explanantes, quaſdam ſententias ad Ariſtotelis placita revocare non dubitarunt. Quidam etiam in utroque Teſtamento logicam Ariſtotelis felici ſidere invenit. Plurimi e diverſo, nihil niſi recentiorum doctrinam crepant: vetera omnia, quaſi manifeſto falſa, contemnunt: immo veterum libros ne legunt quidem. Nempe imbuti iis opinionibus, quas hauſerunt, id ſolum vident, in reliquis ſunt cæci.

V. Hinc & illud exſiſtit, ut qui talibus opinionibus tenentur, nihil rectum putent, niſi quod ex illis fontibus dimanat. Hæc conſtanter & pertinaciter tuentur: reſpuunt cetera tamquam falſa, & damnoſa. Verentur ſcilicet, ne inconſtantiæ, aut erroris notam ſubeant: & laudem, quam tantis ſudoribus compararunt, ingenua erroris confeſſione perdant. Hæc *philautia* homines prohibet, ne verum perveſtigent: quod in ſenibus multo magis, quam in adoleſcentibus, uſu venit.

VI. Hinc eorum, qui in contraria ſententia ſunt, ſcripta aut omnino non legunt, aut oſcitanter legunt: quod ſi paullo adtentius examinant, id eo conſilio faciunt, ut eorum ſententias confutent. Quotus enim quiſque eſt, eorum etiam, qui magno ſupercilio recentiorum ſententias vituperant, qui Carteſium, qui Gaſſendum, qui Malebranchium, qui Leibnizium, qui Wolfium, quique ceteros Philoſophos acutiſſimos pervolutarit, non potius aliorum fide condemnet? Quot vero ſunt, qui Cl. Nevvtoni ſententiam de *adtractione* corporum repudiant, qui tantum Philoſophum ne intelligunt quidem?

Jam vero ii, qui adverſariorum ſcripta pervolvunt, nonne videmus, quam maligne, quamque invidioſe illorum ſententias traducant? quot falſa iis adfingant, de quibus ne ſomniarunt quidem? quam crudeliter in mortuos ſæviant, quorum, ſi vivi eſſent, vel ſolum conſpectum vererentur?

Pa-

Patriam, mores, religionem etiam accuſant adverſariorum. Si qua vero ab illis recte, ac ſubtiliter dicta offendunt, aut tacent, aut veluti inepta explodunt, aut ad pravum ſenſum contorquent: quæ, ſi ſuorum fautorum eſſent, ſummis laudibus ferrent in cælum.

VII. Hinc illud diſſentiendi ſtudium, & inexplicabilis quædam rixandi cupiditas, quæ homines non nullos agit, ut nil tam firmum, tamque perſpicuum habeatur, quod ii non ſuis diſputationibus debilitare, & obſcurare conentur. Hi enim, quaſi ad diſcordiam nati eſſent, omnia ad diſputationis trutinam vocant: & ſi forte in propoſita materia argumenta non habent, illico quærunt, an conjunctum, an ſeparatum genus ſyllogiſmi faciant. Sunt Philoſophi, qui, traditurì adoleſcentibus alicujus ſcientiæ rudimenta, eos primum doceant, certare verbis, & inpudentiuſcule garrire, quam aliqua præcepta tradant, quæ pueros ad ipſa penetralia ſcientiæ perducant. Alii ne ipſam quidem Dei exſiſtentiam, clariſſimam ſane, & perpetua ſæculorum traditione firmatam, ſine clamore & altercatione recipiunt. Pleni exemplorum ſunt libri, quæ facile foret proferre, niſi res eſſet notiſſima.

VIII. Hinc intoleranda illa naſcitur ſuperbia, qua homines adeo principatum ſibi tribuunt in litteris, ut vel aliorum eruditionem in aliis ſtudiis minuant; vel, ſi iis parcunt, in ea tamen facultate, quam tractant, omnes præ ſe contemnant. *Eſt mos hominum*, inquit Cicero, *ut nolint eumdem pluribus rebus excellere*. [1] Hic autem mos ad noſtram uſque ætatem pervenit. Juriſperitus e. g. ſi Theologum de Jure vel Publico, vel Privato diſputantem audit, plerumque deridet. Scilicet Juriſprudentia ei ſolum, qui doctoris inſignibus decoratur, eſt pervia: ceteros a ſe repellit. Theologus vero, etiamſi Juriſconſultum laudet, tamen nefarium ſcelus putat, ſi ille de Sacra ſcientia quidquam delibat. Quaſi leges Cæſarum non ex Sacris litteris, & Ethica diſciplina inluſtrentur: aut quaſi Sacrorum ſtatuta canonum non Principum conſtitutionibus adjuventur. Atque hæc nominatim de *philautia*, & ejus contrario *odio*: ad quos quia reliqui adfectus reducuntur, de iis dicemus pauca.

N 4 VIIII. *Ze-*

[1] In Bruto c. 21.

VIIII. *Zelotypia* vero quæ mala non in ſocietate humana progenerat! ad quot ineptias non impellit viros fortiſſimos! Amans nimia philautia ductus putat, amaſiæ benevolentiam unice deberi ſibi: ſe eum eſſe, quem venuſti vultus feminæ omnes debeant amare, & reliquos omnes contemnere. Iccirco injuriam ſibi fieri, niſi ſolus ametur: ac jure ſe in rivales ſævire poſſe. Hac inſania actus facile ſibi perſuadet, quicumque amaſiam intuetur, eſſe rivalem: præponi alterum ſibi: & ab utroque maximam ſibi injuriam irrogari. Hinc in tot pueriles ineptias incidunt, qui tali adfectione tenentur, ut rideantur merito. Interdum vero res eas faciunt, & dicunt, quas dementes ipſi vix per furorem cogitent.

X. Jam *Spes*, & multo magis *Deſiderium* quid non in mortalium pectore turbant! quam diſtrahunt mentem, ne ea, quæ ſunt, advertat! Qui cupiunt, & ſperant, ipſi ſibi ſomnia fingunt: hæc amant, hæc adorant, nihil præterea vident. Hinc facile putant, ea ſe habere, quæ ſperant: palpatoribus aures præbent, iis credunt, & mire falluntur. Paralyſi, vel hydrope laboranti dicat aliquis circulator, habere ſe remedium exquiſitum, quo eos unius diei curriculo liberet a morbo: ut mille homines graviſſimi oſtendant, fieri non poſſe; ægroti verum eſſe putabunt.

XI. At *Ambitio* nonne videmus, quam vehementer homines torqueat; eoſque cogat indecora multa, & quæ dignitatem hominis inminuant, ſine ullo pudore efficere? Hic adfectus latius panditur, quam vulgo putatur: & ſtudioſe curant homines, ut eum aliis & aliis nominibus obſcurent, ne probro, & riſui pateant.

Sunt, qui honores ſe ambire dicunt, ut conjunctis ſint præſidio. Hi ambitionem ſuam titulo *pietatis* celant. Alii paullo callidiores clamitant perpetuo, non commiſſuros ſe, ut ad honores evehantur, quia omnino digni non ſunt. Hi nempe ſperant, facile ſe hac arte ad aliquod faſtigium provehi poſſe. En ambitio nomine *contemptus bonorum* involuta. Qui in aulis Regum verſantur, plerique eam ſpecioſo nomine tegunt *obſequii*. Nimirum laudant hi perpetuo facta, & dicta eorum, ab quibus fortunas ſperant: & memores Terentiani effati, *Obſequium amicos, veritas odium parit*; imperant ſibi omnia adſentari, & omnia pro veris habere.

bere. Quæ conſuetudo judicium corrumpit, & aciem judicandi retardat.

„ Hinc [*ut monet vir clariſſimus*] laudationes evaſere „ adeo communes, & tam promiſcue congeruntur in omnes, „ ut jam dici nequeat, quid ſit de laudatis ſentiendum. „ Ubinam ille Concionator, qui hominum non audiat in „ *Gazeta*, eloquentiſſimus? qui auditores ipſa doctrinæ ſu- „ blimitate non rapiat in admirationem ſui? Quicumque „ moritur, pietate inſignis eſt. Triobuli ſcriptores vel vo- „ lumina conflare poſſunt, ſi in unum compingunt amico- „ rum elogia: adeo ut in hac profuſiſſima laudum ſine dele- „ ctu diſtributione, mirum ſit aliquos inveniri, qui tam „ cupide illas appetant, collataſque tanto ſtudio colligant, „ atque conſervent. „ [1] Quiſque prudens hæc pro ſua ſapientia ad eos, quos novit, applicet.

XII. Simillima huic eſt *Avaritia*, quæ quam mentem obtuderit hominum, quot bella in omni mundi ætate ſuſcitarit, quot regna ſolitaria fecerit & deſerta, Hiſtoria luculenter oſtendit. Sane qui tali adfectu aguntur, vix aut ne vix quidem verum audire, ne dum ratione comprehendere, & adtente conſiderare poſſunt.

XIII. *Timor* etiam mirabilia phænomena in hominum animis progenerat. Qui nimio timore corripiuntur, vix umquam res, prout ſunt, intelligunt: putant ſe videre, quod non vident, & perpetuo male ratiocinantur. Hinc tot portenta in Ethnicorum hiſtoriis ſe offerunt: quæ ex hoc fonte fluxere, quod populi, a ſacerdotibus decepti, ſibi perſuaſere, Deos inmortales viſibili ſupplicio pœnas de ſcelere eſſe ſumturos. Et motis ſemel in religionem animis, facile fuit ut exiſtimarent, quæcumque minus ordinaria eveniebant, vel Lunæ, aut Solis defectionem, vel ovum ſolito majus, vel ſerpentem domi, & id genus ineptias; hæc, inquam, eſſe oſtenta, quibus Dii illi ſui iram & indignationem declararent.

Sed & apud noſtros quam multæ fabulæ timore naſcuntur! Qui timent, ipſi noctium occurſacula, buſtorum ſpectra horrenda dictu ſe videre adſeverant. Quæcumque noctu audiuntur, lemures ſunt. Si qua femina annoſa, & pannoſa occur-

[1] Auctor Artis Cogit. P.III. c.20. p. m. 252.

occurrit, hæc ſcilicet præ ſe fert mirificam poteſtatem Dæmonas pro lubitu revocandi, male faciendi cui velit, & inpune hominem occidendi: & ſexcenta hujuſmodi nugaciſſima, quæ, niſi terrore correpti, aut fatui, numquam adfirmabunt.

XIIII. *Ira* quam præcipites det homines, nullus non ſentit. Hæc mentem animi retundit, oculos ipſos occæcat, ut nihil tam abſonum aut dici, aut cogitari poſſit, quod iracundus homo in ipſo furore non faciat: adeo ut ſui compotem pudeat aliquando, talia patraſſe. Hinc animus tam vehementer percellitur, vix ut poſſit recte de rebus judicare: ſed, quæ obſtant, majora; cetera multo minora eſſe exiſtimat: iccirco deteriorem partem eligit ſemper. Quare ſi rationem ſubducimus, inveniemus, mortalium calamitates majores ab iracundia profectas eſſe.

His breviter perluſtratis, manifeſtum fit, eos animi motus, qui rationem perturbant [omnes enim perturbant] compeſci oportere: & Philoſophi eſſe curare, ne adfectionibus ullis agitemur, ſed ſerenam mentem habeamus, ſi recte & ſapienter cupimus judicare. Nam ut navis in medio mari vehementibus, & contrariis acta ventibus, neque curſum tenere, neque portum petere poteſt; ſic animus noſter adfectionibus iis, quaſi vento, circumactus, vix umquam veritatem, quo tendit, conſequetur. Iccirco memoriæ mandate hunc

CANONEM.

Ne, dum adfectu aliquo occupati eſtis, judicetis: quod ſi judicaſtis, rem iterum ad examen vocate: tum demum libere, & re accurate perpenſa, pronunciate.

CAPUT VI.

De fallaciis Mentis, quæ obſtant, ne verum inveniamus.

SED etiam mens noſtra cauſſam domeſticam habet multorum errorum, in quos frequentiſſime delabimur: qui veri adſecutionem mirabiliter retardant. Hos ut vitemus, neceſſe

Digitized by Google

neceſſe eſt cauſſas pernoſcere, & alta mente defigere: quo facilius eas, cum occurrerint, decliuemus. Nos eas ad tres claſſes non incommode revocamus, *tarditatem noſtram*, *methodum perverſam*, & *præjudicia*: quas eodem ordine explicabimus.

I.

Prima ac potiſſima cauſſa, propter quam fallimur judicantes, eſt, *ipſa mentis noſtræ natura*; quæ & intelligendi facultatem anguſtis limitibus habet definitam; & illa ipſa, quæ intelligit, tam obſcure intelligit, vix ut credi poſſit. Id, ſi cognitiones noſtras diligentius examinamus, planiſſime deprehendemus.

Nam mens noſtra, etiamſi habitat in corpore, tamen ignorat plane mirabilem fabricationem corporis, cerebri præſertim. Non quod minime ſit ad cognoſcendum idonea; nam ſi ei alienum cerebrum objicitur, & partes ſunt conſpicuæ, perfecte cognoſcit: ſed hoc nomine tantum, quia Deus noluit animum res pernoſcere, niſi per ſenſus.

Deinde non adſequitur naturam rerum quantum libet vulgarium: e. g. nequit conſtituere, an corpus partes infinitas habeat, an ſecus: quæ ſit natura Solis, Lunæ, Stellarum, tum earum, quæ vagæ, tum quæ inerrantes dicuntur: poſtremo, an in aſtris ſint animantia, & ejuſmodi ſexcenta. Ut mittam in præſentia res, quæ fieri poſſunt a Deo, de quibus nugaciſſima multa fabulatur Schola, quæ omnino intelligi, ne dum definiri, nequeunt.

Verum hæc tarditas & imbecillitas prorſus emendari non poteſt: unum adhibere poſſumus remedium, ſtudioſe cavere, ne ea definiamus, ad quæ inveſtiganda omnino apti non ſumus. Harum autem duæ ſunt claſſes: una earum rerum, quæ intelligentiam noſtram ſuperant; ut natura *divinarum proprietatum*: itemque res omnes *poſſibiles*, quæ nec rationibus naturæ, nec divina locutione finiri poſſunt & explicari. Altera eſt rerum, quæ intelligi eæ quidem poſſunt, veruntamen caremus neceſſariis præſidiis, quibus ad earum cognitionem perveniamus: ut eæ ſunt, quas paullo ante nominavimus, tum etiam hiſtoriæ antiquiſſimæ, & hujuſmodi infinita. Et hæc de prima cauſſa.

Altera

II.

Altera vero cauſſa eſt, *methodus perverſa*. Hæc latiſſime patet, & ex ea plurimi errores, & infinita mala naſcuntur. Principio quidam tortuoſam & dirutam viam inſiſtentes, ad finem ſibi propoſitum non perveniunt: ſed frequenter labuntur: immo quo plus in eadem progrediuntur, eo magis a veritate deflectunt. Frequentiſſime hunc ſcopulum viri quidam litterati offendunt.

I. Sunt homines, qui, etiamſi Mathematicas diſciplinas non calleat, tamen de Philoſophorum recentiorum ſcriptis judicium faciunt confidenter; audentque plurima in Phyſica lucubrare. Sunt, qui Sacra biblia interpretantur, quin Græce, & Hæbraice ſciant: quin ullam hiſtoriæ Judaicæ,& Profanæ notitiam habeant: qui plane hoſpites ſunt in Critica arte. Sunt, qui Romanas leges e ſuperiori loco exponunt, qui nulla Romanæ hiſtoriæ notitia tincti ſunt, nec Ethices, & Politices rudimenta vel ſummis labiis deguſtarunt. Sunt, qui Pontificium jus, qui Sacram ſcientiam docent, quin umquam Patrum ſcripta pervolverint, & Eccleſiæ veterem diſciplinam examinarint. Poſtremo, ut reliquos omittam, ſunt Medici, qui infinitam morborum varietatem, quæ corpus humanum exercet, ſe curaturos eſſe ſibi perſuadent, quin umquam humani corporis viderint ſectionem. Hi omnes, quia, quæ neceſſaria ſunt, ignorant, paucos in his diſciplinis habebunt progreſſus.

II. Alii vero, tametſi recta pergunt, tamen in contrarium vitium incurrunt. Nimirum cum haveant omnia ſcire, & præter ceteros laudari, res plane diverſas eodem tempore legunt: cumque minime indocti videri cupiant, indoctiſſimi præ ceteris ſunt. Etenim mens noſtra, quæ vix aliquam diſciplinam perfecte arripit, dum plura ſimul legit, nihil penitus ac profunde cognoſcit; adeoque non niſi confuſas ideas adquirit, & ea de cauſſa in judicando decipitur.

III. Poſtremo ſunt alii, qui, cum animum ad aliquam diſciplinam applicant, utiliora relinquunt, iiſque inmorantur, quibus ſatius eſſet abſtinere. Ut ii, qui, dum Ariſtotelem explicant, meliores libros prætereunt: abſtruſiores vero

Digitized by Google

vero, vel potius eos, qui nulla arte ſanari poſſunt, examinant: & laborant multum de voce *entelechia*, de idea abſtracta *materiæ*, *formæ*, *privationis*, & his ſimilibus nugis. Tum & ii, qui Cæſaris Commentarios e. g. exponentes, ex quibus prudentia incredibilis, & maxime militaris comparari poteſt; occupantur toti verborum elegantia; & ex hac laude, quæ cum piſtoribus, & coquis ſua ætate erat communis, virum clariſſimum metiuntur.

His accenſendi ſunt quidam viri docti, qui eruditionem reconditam eam quidem, ſed inutilem & inanem, ſtudioſe perquirunt, & venditant. Ut illi, qui de numero Pyramidum, de hieroglyphicis, & pictura Aegyptiorum, de poeſi, ac muſica Hebræorum, de diphthongis Latinorum, plurimis verbis diſputant: & hujus generis ineptiis, de quibus Philologi præſertim, & Grammatici altercantur inter ſe ritu mulierum. Ut mihi talia conſideranti, frequenter veniat in mentem illud Athenæi: *Exceptis Medicis, nihil Grammaticis eſſe ſtultius*.

IIII. His denique addit amicus noſter eos, qui novitatis ſtudio adeo delectantur, ut, niſi nova & inaudita proferant, putent, ſe eſſe expungendos ab albo eruditorum. Quæ inſania quot Philoſophos, cetera acutiſſimos, & eruditiſſimos, tranſverſum egerit, & proximo ſæculo vidimus, & etiam in præſenti videmus,

III.

Tertia errorum cauſſa ſunt *præjudicia*, ſeu anticipata judicia, quæ mens noſtra de aliquibus rebus facit: ex quibus fit, ut cetera judicia plane ſimilia formemus, nec libere & ex merito de re ulla judicemus. Nam cum homines a prima ætate adſueti ſint alios audire, qui eorum animis rerum quarumdam ſpecies inprimunt; facile ſibi perſuadent, eſſe vera, quæ audiunt: & eam fidem talibus adjungunt, ut difficulter in contrariam partem torqueri poſſint. Ex quo infinita errorum ſeges progerminat. Itaque incredibilis præjudiciorum multitudo, quæ homines tenet, ad præjudicium *auctoritatis* revocatur: ſi pauca demas, quæ in adultis hominibus vel odio, vel amore naſcuntur.

I. Ac primo parentum auctoritas eſt filiis norma judicandi,

caudi, & plurium errorum cauſſa. Parentes enim filios a prima ætate ineptis præjudiciis imbuunt, quæ nutrices confirmant indeſinenter: cumque tenelli animi uſu rationis non valeant, & in judicando minime ſint exercitati, perſuadere ſibi non poſſunt, ſe a parentibus eſſe deceptos: iccirco mirandum in modum falluntur. Hinc *ſpectra*, & *larvæ*, & *lemures*, & *virtutes herbarum*, *ac medicamentorum*, & *circulatorum miracula*, & nugaciſſima cetera, quæ infelicium puerorum aures pulſant: uſque adeo ut viri facti, & ab eruditiſſimis viris admoniti, iis ſe præjudiciis vix ullo tempore liberare queant.

Deinde plerique omnes parentes filios ſuos molliter tractant, & genio indulgere ſinunt; quod ſibi perſuadent, ſi ſecus facerent, maximum damnum eos eſſe facturos. Hinc pueri in voluptates corporeas ſæpiſſime inmerguntur, præſertim cibi, & veneris: quæ & mentis acumen retundunt, & memoriam debilitant, & hominem ita agunt tranſverſum, ut vix umquam aliquid ſerio & meditate cogitare, & examinare poſſit. Sic enim habetote, Adoleſcentes, nullam capitaliorem peſtem vel corpori, vel animo obtingere, quam corporis voluptates: quæ non ſolum fabricationem hominis ſenſim labefactant, ſed, cum majores, ac longiores ſunt, omne animi lumen extinguunt. Plures enim extructæ menſæ, plures frequentes poculi, plures ipſa venus, quam peſtis, quam bellum, tollit e mundo.

Hinc iidem parentes plerumque filios a litteris repellunt, ne eorum ſanitati noceant. Quod ſi ad aliquam diſciplinam adjungunt, ſtudioſe curant, ne ii ſeſe in ſtudia inmergant: idque hac de cauſſa, quod ſtudiorum curſus & longus eſt, & intricatus, nec facile mens humana ex iis ſe laqueis poteſt expedire.

Hi autem duplici nomine mihi videntur errare: primum, quod conſtanter defendunt, ſtudia officere ſanitati. Nam ſi eorum, qui litteris in aliqua civitate ſtudent, tum indoctorum numerum inimus, & rationem habemus, multo plures ſenes in Monaſteriis, & Univerſitatibus ſtudiorum, habita ratione numeri, reperiemus, quam in reliqua civitate. Deinde quod contendunt, diſciplinas omnes obſcuras eſſe, & difficilis perceptionis; cum id non niſi in paucis ſit verum, & potius methodo, quam rebus ipſis, vitio tribuatur.

Alii

Alii vero filios ſuos nimis dure excipiunt, & nimio rigore obtundunt. Quare filii male educati, atque ab omni judicandi præſidio inparati, vel neſciunt recte cogitare, vel coguntur eorum aſperitate, & exemplis perpetuo male ratiocinari. Quæ quidem conſuetudo temporis progreſſu altera natura eſt, & ex ea pleraque omnia falſa judicia proficiſcuntur.

Hinc, parentibus auctoribus, diverſas in republica profeſſiones amplectuntur, & animum ad aliquam artem adjungunt, prius quam intelligant, an apti ſint, qui in ea cum laude ſe exerceant. Quod in cauſſa eſt, cur ea ſæpiſſime ſequantur, ad quæ eos non fert animus; & vel inertia, vel tarditate perpetuo in errore verſentur.

Offendimus ſæpiſſime præceptores diſciplinis excolendis parum aptos: qui ſi militari diſciplinæ, vel alteri arti reipublicæ utili ſe dediſſent, fortaſſe ad aliquam præſtantiam perveniſſent. Contra plurimi in rem militarem incumbunt, qui multo felicius litteris darent operam: & iis, qui e ſuperiori loco docent, nullo negotio anteponerentur. Quare conſultius foret, ſingulorum propenſionem prius explorare, quam ad certa ſtudia animum applicarent.

II. Parentibus ſuccedunt præceptores, qui mirificis ſententiis frequenter imbuunt puerulos; & auctoritate ſua continent, ne alias diſciplinas, quam, quas ipſi callent, ediſcant.

Peripateticus doctor clamitat, futiles & infirmas eſſe Recentiorum diſciplinas, Artem Criticam, hiſtoriam Naturæ, Geometriam, Arithmeticam, Mechanicam, & his ſimilia, nugas puerorum eſſe putat: homineſque his diſciplinis inluſtres, non ſecus ac inſanos, exſibilat. Contra vero Univerſalia, & Signa, & Syllogiſticam, & Topica, & ingentem ſputatilicarum quæſtiuncularum turbam, quam Phyſicam, & Metaphyſicam inſcribit, ubique crepat; atque iis Philoſophicæ ſcientiæ limites omnino definiri contendit. Quinimmo interdum novam puerorum animis religionem incutit, ne ii Mathematicam, vel Phyſicam diſciplinam addiſcant: neve ea, quæ rata & fixa ipſe habet, vocent ad examen.

Puellus hiſce admonitionibus innutritus præceptoris ſui pronunciata veneratur & oſculatur: exiſtimatque nihil præſtantius poſſe cogitari. Præclara aliorum inventa, quaſi meræ nugæ eſſent, averſatur; &, vel ſolo audito nomine recentio-

centiorum ſyſtematum, exhorreſcit: iccirco diſciplinarum fontes ignorat, nec aliquid eruditis auribus dignum aut cogitare poteſt, aut emittere. Itaque grandior factus, & ipſe alios eodem lacte enutrit: & inſcitiam tanto labore propagat, quanto opus non eſſet, ut in optimis diſciplinis clariſſimus haberetur.

Hæc cauſſa fuit, cur diſciplinæ graviores per tot ſæcula in ſordibus jacuerint: nimirum quia præceptores, qui doctiſſimi putabantur, viris equiſque contendebant, ne pueri veteres magiſtros desererent; neve aliquid novum, quod in illis non eſſet, cogitarent. Dolebant ſiquidem homines hujuſmodi, quod juniores eos doctrina ſuperarent: & ambitioſe curabant, ne gloriam illam, quam tot laboribus ipſi eſſent conſecuti, nova iſta doctrina, ac docendi via labefactaret. Itaque confidenter opponebant, plurimas hæreſes etiam melioris Piloſophiæ ope in Theologia ſuſcitari: atque argumento iſto ab invidia ducto, falſo illo quidem, ſed cum plauſu recepto, aliorum inventa, immo etiam ingenium perdiderunt. [1]

Ex hac vero inſtitutione nimis multa præjudicia naſcuntur, quæ ex adjunctis perſonarum, & librorum deſumi ſolent. Quis enim, inquiunt, non ea faciat, aut eſſe vera putet, quæ ab homine ætate provecto fiunt? quæ ab eo, qui pietatem erga Deum vel habet, vel ſimulat? qui ſapientiam, & moderationem animi præ ſe fert? qui nobilitate, qui divitiis, qui dignitate, qui honoribus ceteros antecellit? qui vitæ genere, qui nomine, qui ingenio ab aliis diſcriminatur? quis putet, hunc errare poſſe? Contra vero quis ſibi perſuadeat, aliquid egregium cogitari poſſe a juvene, aut a paupere, eoque pannoſo, nullis ornamentis, nullis dignitatis inſignibus præter ceteros noto? qui nihil expedite loquitur? qui vitæ diſciplina, qui vultu, qui geſtu aliquid deforme oſtentat?

Hæc ſunt communia præjudicia auctoritatis, quibus homines in omni vitæ parte ducuntur. Non quod expreſſe hoc dicant: *Eſt dives, aut nobilis, aut ſenex: igitur errare non poteſt*: nam hujuſce conſecutionis vitium ſtatim oculis objicitur. Sed taciti ita ſentiunt, & conſtituunt: & quia diſtin-

[1] *De his in* Apparatu *noſtro copioſe diſputavimus*.

diſtincte cogitent de iis, ex diuturno uſu audiendi, & inprudenter cogitandi, impetu quodam naturæ ad hanc regulam actiones ſuas conformant.

Adde huc eos, qui ex librorum multitudine, magnitudine, titulis, raritate, pretio, vel auctoris, vel poſſeſſoris eruditionem metiuntur. Nihil profecto frequentius non apud ineruditos modo, ſed etiam pleroſque eorum, qui in litteras incumbunt, quam hoc præjudicium, occurrit.

Quis enim non nullis perſuaſerit, copioſa illa volumina Toſtati, Abulenſis epiſcopi, quæ *Sacram Scripturam* exponunt, non dico Calmeto, aliiſque copioſioribus, ſed ipſi Tirino, & Menochio, ceteriſque, qui breviter ſcripſerunt, multis nominibus eſſe poſthabenda? Quis Hiſtoriæ, & Critices inperitus exiſtimet, Saliani *Annales Veter. Teſtam.* ſex magnis codicibus in folio, uti vocant, multo eſſe viliores Petavii *Rationario*, aut Sigonii, cæterorumque brevibus commentariis de *Republica Hebræorum*? Quis Caſuiſtarum ſibi perſuadeat, Leandri, Salmanticenſium, aliorumque Caſuiſtarum ingentia volumina, quæ *Moralem diſciplinam* tradunt, vel uni Antoine libello de *Re Morali*, [1] ut alios taceam, locum dare debere? Ad hæc quis Recentioris phyſicæ expers cenſeat, unius Nevvtoni codicem de *Phyſica*, eumque breviſſimum, bibliothecas Scholaſticorum, Carteſianorum, & Gaſſendianorum omnes, ſi quis rerum fontes, & ordinem perpenderit, firmitudine, ſoliditate, utilitate ſuperare? Idem de ceteris eſto judicium, quæ ſæpiſſime homines in errores inducunt.

Perpende cetera librorum adjuncta, idque libero judicio, plane deprehendes, non tituli pompam, quæ magnum quid polliceri videatur, ut *Theatrum*, ut *Theſaurus*, ut *Polyanthea*, ut *Encyclopedia*, ut *Corpus Juris Canonici*, aut *Civilis*: non raritatem, aut pretium librorum, non cetera hujus farinæ & nomen, & æſtimationem libris dare poſſe. Tamen ex hiſce præjudiciis plerique omnes ſemidoctorum

O erro-

[1] *P. Paullus Gabriel Antoine Societatis Jeſu edidit* Theologiam Moralem Univerſam. 4. *Hujus poſtrema editio facta fuit Romæ a Joanne Generoſo Salomonio, cura amici noſtri Philippi de Carboneano, qui eam ubi neceſſe erat inluſtravit, rurſumque, & tertio auctiorem edidit.*

errores proficiſcuntur. Quibus ſe illi egregie liberarent, ſi res merito ſuo, non ex aliorum opinionibus, judicarent.

III. Jam cum homo ex præceptorum diſciplina excedit, incurrit in mores popularium, qui tantum abeſt judicium expoliant, ut plerumque in errore confirment. Cum enim erroribus, quos cum primo lacte ebibimus, non niſi meditatio accuratiſſima medeatur; & pauci ſint, qui primas ideas, qui vim vocum libero judicio perpendant; ita fit, ut major pars hominum in erroribus pueritiæ perſeveret: & errore, ac obſtinatione ſua populares ſuos obfirmet. Hinc populares eoſdem plerumque mores habent, iiſdem cibis libenter victitant, eaſdem opiniones fovent. Nec id ſolum in re levi, ſed etiam in graviſſimis negotiis; &, quod plus eſt, in illo maximi momenti negotio, quod ſpectat ad religionem.

Interroges populum, quid ſit *Angelus*: reſpondebit, eſſe puerum alatum. Interroges, quid ſit *Dæmon*: audies, eſſe fœdiſſimum hominem, qui ſatyrum ſpecie præfert. Interroges etiam, quid ſit *Luna*, quid *Sol*: audies, eſſe animal, quod vultu hominem refert, & his ſimilia. Interroges, quid ſit *Deus*: adhuc pejora accipies.

Quid? eorum etiam, qui verſantur in litteris, plurimi amplexantur opiniones mirifice abſurdas. Sunt, qui ſibi perſuadeant, ſe, modo ſua in Deum peccata ſacerdoti confiteantur, & abſolutionis verba audiant, vere ab omni culpa liberari: nihil interim cogitantes, an doleant de flagitiis commiſſis; conſtituantque firmiſſime, ſe in poſterum tempus innocenter victuros. Horum quam frequens ſit numerus, utinam ipſi non fuiſſemus experti. Alii alia non minus noxia defendunt. Vere ut videar mihi dicere, eorum, qui dedita opera ſolidiori Theologiæ non vacant, paucos eſſe, qui veram religionis, & modi colendi Deum habeant ideam: confuſam plerumque, & erroneam qui mordicus teneant, multos eſſe.

Femellæ & indocti miraculo adſcribunt quidquid non intelligunt, & in ſuperſtitionem facillime incidunt. Quod ſi aliquem tales ineptias ridentem audiunt, tamquam perverſum hæreticum plenis buccis accuſant. Fidei decreta ſeu articulos inepte explicant, & intoleranda multa defendunt. Nimirum miſera plebs religionem aliam ſibi fingit diverſam

ab

ab ea, quam Theologi, & viri ſapientes habent. Cumque filiis, & amicis eaſdem opiniones inſtillent; mirum non eſt, ſi præjudicatæ iſtæ & ineptiſſimæ opiniones tam late pateant, ut civitates, & regna pervadant.

Itaque tametſi homines liberaliter educati, & qui viris doctis, ac piis familiariter uſi ſunt, ab iiſque hæc ſæpe & multum audierunt, puriorem religionis habent ideam; potior tamen hominum pars, id eſt feminæ, plebeii, & ruſtici, puriſſimam religionis noſtræ doctrinam vanis commentis, & intoleranda ſuperſtitione contaminant. Ut vix ab eodem fonte, quo nos, quæ ipſi credunt, hauſiſſe videantur. Vel quia a nullo ſacerdote religionis rudimenta rite acceperunt; vel quia eos paſtores ſortiuntur, qui, pro dolor! germanam religionis ideam, ineruditi ipſi, neſciunt explicare.

Hæc, quæ in Catholica & puriſſima religione tam ſunt trita & vulgaria, apud Heterodoxas gentes, quæ veritatis lumine non colluſtrantur, evenire mirum non eſt. Multa itaque veteres Romani plebeii pro veris habebant, quæ doctiſſimi homines, ſi non publice, at privatim damnabant. Multa nunc temporis apud Muhammedanos indoctos vigent, quæ politi eorum ſcriptores tamquam falſa rejiciunt. Nihil igitur agunt ii, qui ex Muhammedanorum vulgarium ſuperſtitione illorum omnium religionem metiuntur. Nam multa illi quidem falſa defendunt: [ut omnes defendunt, qui a vera & Catholica religione ſejuncti ſunt] at multa præclara in eorum legimus auctoribus, quæ ſi non nulli expenderent, abſtinerent profecto a calumniis, quibus Arabes proſequuntur, & Hebræos: quod etiam de Hæreticis dictum volo. Contra vero inpudenter Heterodoxi omnes ſacroſanctam Chriſti religionem derident, propter ſuperſtitionem, & inperitiam aliquorum, qui ea fingunt, & defendunt, quæ Romana eccleſia non docet.

Ergo, ut hiſce fallaciis occurramus, ſequentes Canones, ſecundum ordinem errorum, conſtituendi ſunt: & ea, quæ præcipiunt, ſervanda.

O 2 CA-

CANON I.

Quæ vires humanæ mentis excedunt, ne veſtigato: operam enim perdes. Quæ plane intelligi nequeunt, vitato. Poſſibiles res ne inveſtigato.

CANON II.

Via ac ratione ſtudeto; clariora & faciliora prius ediſcito, ex quibus, quæ conſequuntur, dilucidentur. Plura ſimul ne addiſcito: ſed ſeorſum unamquamque, & acerrime meditator. Inutilia & inania reſecato, utilioribus vacato. Caveto ab ſtudio novandi: adtamen non ſerviliter, ſed libere judicato.

CANON III.

Caveto a præjudicatis ſententiis, quas vel uſu domeſtico, vel ſcholæ, vel populi comparaſti. Singulas ideas, & voces ad examen revocato: nec eis adſentitor, quin prius intelligas, ita ſe habere. Diſciplinis, invita Minerva, ne vacato. De aliorum opinionibus temere ne pronunciato: nec ex turbæ, ſed ex optimatum ſenſu res exiſtimato.

CAPUT VII.

De modo verum certum Experimentis conſequendi.

QUod ſi homines hiſce canonibus recte uterentur; ſenſuumque, & voluntatis, & mentis erroribus declinatis, inveſtigationi veri unice ſe darent; dubium non eſt, quin eſſent plurimas veritates conſecuturi, ſi non omnino clare, ſaltim eo modo, quo in hac vita poſſunt adquiri. Nam, tametſi Deus homini non eam facultatem dedit, quæ ſatis ſit, ut omnia, ea præſertim, quæ ab ipſa natura involuta ſunt, perſpicue deprehendat; tantum tamen dedit quantum ſatis eſt, ut plurima & pulcerrima conſequatur: & ex eorum veſtigatione ad ipſius Dei numinis incredibilem pulcritudinem contemplandam ducatur.

Pri-

Primum igitur ſenſuum ope, ſeu experientia plurimas veritates intelligimus, uti ſupra docuimus. Experientia autem Philoſophis eſt, *Cognitio adquiſita ex conſtanti obſervatione eorum, quæ ſenſibus obvia ſunt*. e.g. Experientia certus ſum, *nivem refrigerare manum, ignem vero calefacere*. Ideoque exſiſtentia & individua corpora, quæ ſenſus adficiunt, experientiæ ſubjiciuntur: ea vero, quorum notio nulla haberi poteſt, per experientiam non conſtant.

Quoniam vero, quæ poſſunt cognoſci, vel extra nos, vel in animo ſunt; duplex eſt experientia, *externa*, & *interna*. Per experientiam internam percipimus ea, quæ in animo eveniunt: id eſt, nos hoc, vel illo modo percipere: hæc, & illa velle, aut refugere. Itaque per ſenſum internum animadverto, guſtato ſale, in animo meo exſiſtere adfectionem moleſtam: ex adſpectu ſerpentis naſci ſenſum timoris, cetera. Hæc alio nomine vocatur *conſcientia*, ſeu *intimus ſenſus*. Experientia vero externa comparamus ea, quæ ſenſus externos movent & adficiunt. e. g. *aquam madefacere, ignem adurere*.

Sed quoniam ea, quæ conſcientia ſcimus, poſſunt eſſe vel clara, vel obſcura; iccirco ſedulo expendenda ſunt, ne judicando fallamur. e. g. Scimus intimo ſenſu, nos *percipere dolorem*: quo gradu vero, niſi poſtea quam id meditati ſumus, neſcimus. Itaque obſervandæ quam diligenter ſunt res, ne in cognoſcendo decipiamur.

Quæ vero ſenſibus externis percipimus, revocanda ſunt ad ea, quæ ſupra diximus de ſenſibus. I. *Ut ſenſus ſint integri, & valentes*. Hinc qui icterico morbo adfecti ſunt, vident omnia flava. Qui febri laborant, amara omnia ſentiunt.

II. *Ut rem medullitus examinemus*. Nam frequentiſſime evenit, ut præcipitanter judicantes, aliud pro alio accipiamus.

III. *Ut ſi uno ſenſu verum adſequi non poſſumus, aliis eamdem rem exploremus*. e. g. Arena quædam alba ſaccharo tam eſt ſimilis, ut nihil ſupra: varia etiam genera pomorum vel ex maſſa amygdalina fabricata, vel ex cera, vel etiam ex ſucco pomorum nive durato, tam ſunt ſimilia veris, ut oculati quique æſtimantes decipiantur. Itaque vix umquam viſu alterum ab altero diſcernes: at facile diſcernes, ſi utrumque deguſtes.

IIII. *Ut objectum corpus & ſit conſpicuum, & non magno intervallo diſtet.* Qui enim *myopes* ſunt, objecta aliquanto remota aut omnino non vident, aut tam confuſe vident, ut ab aliis nequeant diſcernere. *Presbytæ* vero facilius & clarius vident remotiora, quam proxima. Utrique ergo inſtrumentis vitreis objectum ſibi apte proponent. *Tubi optici* clare oſtendunt res remotas: *microſcopia* vero ea, quæ minutiſſima ſunt, & viſum fugiunt.

V. *Ut corpus, ſeu medium, per quod lux tranſit, recte ſe habeat.* Nam qui videt per nebulam, res diſtincte non videt. Qui videt objectum per duplex medium, unum rarius, aliud denſius, plerumque decipitur. Hac de cauſſa remus, cujus pars in aquam merſa eſt, apparet fractus, quia pars per unum, pars per duo corpora diverſæ denſitatis videtur.

VI. *Ut ea, quæ reapſe experimur, vera eſſe conſtituamus: non ita vero, quæ alio modo, id eſt, vel anticipatione, vel phantaſia, vel ratiocinatione comparamus.* Familiare hoc eſt hominibus, qui præjudiciis occupantur, ut ea ſentire ſe dicant, quæ revera non ſentiunt.

VII. *Ut ſi dubitaverimus, an errore teneamur, conſulamus eos, qui obſervatione naturæ contriti ſunt, plurimumque valent judicio.* Nam ſæpe hujuſmodi homines nos docent, dubitationes noſtras nihil habere momenti.

VIII. *Ut exquiſitioribus inſtrumentis, quoad ejus fieri poteſt, utamur.* Nam inſtrumenta ſelectiora, ut *teleſcopia*, *microſcopia*, *machina pneumatica*, cetera, quæ Recentiorum ſtudio hoc ſæculo mirandum in modum perpolita ſunt, vel de novo excogitata, ea perſpicue oſtendunt, quæ alia ſuperiori ſæculo inventa vel nullo modo oſtendebant, vel obſcure tantum.

VIIII. *Ut non ante dijudicemus, effectum ex aliqua cauſſa manare, quin prius exploratum habeamus, talem effectum ex alia cauſſa proficiſci non poſſe.* In hoc ultimo momenta ſunt maxime ad bene ex aliquo experimento ratiocinandum: quare non nullis id inluſtrabimus exemplis.

I. *Exemplum* ſit illud celebratiſſimum de antlia. Aquas antlia tolli & hauriri, non heri, aut nudius tertius, ſed per plura ſæcula experti ſunt homines: & qui ſe eſſe oculatiores putabant, dixere cauſſam eſſe, quia *natura horret vacuum*. Putabant illi, ſe acu tetigiſſe rem: verum pulcre decepti ſunt,

ſunt, propterea quia non veſtigarunt, an alia cauſſa eſſet, quæ id faceret. Poſtea vero quam Philoſophi id ſtudioſe expenderunt, facile intellexerunt, aëris externi pondus cauſſam eſſe, quæ aquas tolleret. [1]

2. Præterea, qui reſpicit cælum nudis oculis exiſtimat, videre ſe infinitas ſtellas: quod eſt falſum. Nam Aſtronomi graviſſimi fatentur, non multas videri. Hevelius numerat CIↃIↃCCCLXXXVIII. Flamſteedius vero CIↃCIↃCIↃ idque teleſcopii ope. Nulli tamen dubitamus, multo majorem eſſe numerum ſtellarum, ſed quæ vix teleſcopii auxilio diſcerni poſſint. Quod ſi quiſquam curioſius exploraret, cur ſibi innumeræ viderentur, reperiret cauſſam eſſe, quia nimia velocitate torquens oculos, imagines in cerebro velociſſime ſibi ſuccedentes faciunt, ut multo plures, & propemodum infinitæ videantur,

3. Præterea *via lactea* Ariſtoteli videbatur [2] eſſe copioſa exhalatio in atmoſphæra conſiſtens, & ab ſtellis inluſtrata. At Galilæus, Keplerus, Blancanus, aliique teleſcopio demonſtrarunt, nihil eſſe aliud niſi conglobationem minutiſſimarum ſtellularum. Ad hæc ſtellæ quædam, quæ ſimplices videntur, cum aliis conjunctæ ſunt. Galilæus [3] in *ſtella nubila*, quæ eſt in capite *Orionis*, XXI. diſtincte cognovit: in *Plejadibus* ultra XXXX. Hookius eaſdem *Plejadas* examinans, clare vidit LXXVIII. ſtellas: Reita vero [4] plus quam centum: & in ſola conſtellatione *Orionis* circiter CIↃCIↃ.

Hæc ſatis ſuperque efficiunt, Philoſophum, antea quam dijudicet, certi effectus aliquam eſſe cauſſam; debere diligenter examinare, an poſſint adeſſe aliæ cauſſæ. Si habuerit exploratum, nullam aliam eſſe; nullus dubitet adfirmare, rem ita ſe habere. Sin firmum & ſtabile venari nequeat, ea tantum pro veris habeat, in quæ majus pondus rationum trahit. Quod ſi ne probabiliter quidem poterit aliquid definire, temperet a judicando.

[1] Hiſt. de l'Academie des Sciences 1687. p.260. 1696. p.403. *Mariotte*, de la Nature de l'Air.p.196. *Otho de Guericke* de Aere L.III. c.18.

[2] Meteor. Tract.4. [3] Nunc. Sider. *p*.31.

[4] Oculo Enoch, & Eliæ; & in Aſtron. Mercat.

Porro judicia, quæ per experientiam comparantur, id eſt ex ſingularibus notionibus ducuntur, vocantur *intuitiva*: nimirum, *cum tribuimus enti ea, quæ in tali ejus notione complexa evidenter continentur*. Quæ vero ex intuitivis per argumentationem deducuntur, appellantur *diſcurſiva*.

E.g. Notio *caloris* perſpicue continetur in notione *ignis*: proinde hoc judicium, *Ignis eſt calidus*, eſt *intuitivum*. Contra, ſi Petrum adſpicio expoſitum meridiano Soli, & cum memoria teneam, Solem meridianum plus ſatis calefacere; hoc modo infero, *Ergo Petrus ſatis caleſcet*; hoc judicium eſt *diſcurſivum*.

Judicia adfirmativa *intuitiva* fiunt hoc modo. Sit ſubjectum res, quam percipio, e. g. *ignis*: ſit prædicatum proprietas, quæ ex ſubjecto perſpicue infertur, e. g. *urere*. Itaque exſiſtit judicium hoc modo: *Ignis urit*. Intuitivum vero *negativum* ſic fit. Sit ſubjectum res percepta, e. g. *homo*. Conſiderem deinde in arboribus, e.g. eſſe ramos, & frondes, non ita vero in homine: ſit igitur arbor prædicatum hoc modo: *Homo non eſt arbor*.

Hujuſmodi judicia ſunt ea quidem ſingularia, ſed ex iis ducuntur univerſalia tali modo. Si prædicatum, & ſubjectum contingenter cohærent, nequit fieri propoſitio univerſalis. Sin autem neceſſario, recte fit univerſalis, ut alio loco demonſtravimus.

E. g. Video in media hieme aquam aëri expoſitam eſſe gelu. Quia tamen exploratum habeo, aquam non ſemper ita ſe habere, ſed aliquando eſſe fluidam; falſo dicam: *Omnis aqua eſt gelu*. Contra, quia video calorem numquam ſeparari ab igne, vere dico: *Omnis ignis eſt calidus*. Hæc judicia univerſalia ad diſciplinas amplificandas prorſus accommodata ſunt: propterea quia fines noſtrarum cognitionum dilatant, dum aliis & aliis individuis applicari poſſunt.

COROLLARIA.

I. *Hinc experientiæ locus eſt tantum in Phyſica: quæ ex Naturæ hiſtoria tota deſumitur*.

In abſtruſioribus vero diſciplinis, quæ ratiocinatione adquiruntur, ut Mathematica, & Ethica; tum & in iis, quæ auctoritate continentur, ut Juriſprudentia, & Theologia ſuperna; experientia non dominatur.

II. *Hinc*

II. *Hinc rerum poſſibilium experientia nulla dari poteſt.*

Cum enim eæ non exſiſtant, non incurrunt in ſenſus. Quare ſatius eſt iis ſuperſedere.

III. *Hinc de rerum naturis ſeu eſſentiis ab experientia judicari non poteſt.*

Experimentis enim tantum cognoſcimus exſiſtentiam rerum. Quare de rerum eſſentia caute dijudicabimus.

IIII. *Hinc judicia adſiduo uſu & experientia adquiſita, ſunt* certo vera.

V. *Hinc definitiones, quæ ex plurimis experimentis accuratiſſime inter ſe comparatis, & axiomata, quæ ex definitionibus naſcuntur, etiam ſunt certa.*

SCHOLION.

Facilior methodus experimenta capiendi, uſu doctiſſimorum hominum, qui in hiſce exercitatiores ſunt, [1] *potius, quam lectione librorum, qui præcepta tradunt, comparatur. Quare auctor ſum tironibus, huic illam præferant: & in ea tantum ſe exerceant, quantum neceſſarium erit, ut facilitatem experiendi ſe habere ſentiant.*

CAPUT VIII.

De modo verum certum Demonſtratione comparandi: & de Fallaciis refutandis.

QUoniam vero non omnia, quæ vera ſunt, uſu & experientia cognoſci poſſunt, tali caſu confugimus ad ratiocinationem; & propoſitionem, cujus veritatem cupimus inveſtigare, cum aliis comparamus, quæ & certa ſunt,

[1] *Hujuſmodi fuere Leeuvenoeckius, Boyleus, Boerhaavius, Hookius, Muſſchenbroekius, aliique plurimi, quorum in Commentariis Academiarum Florentinæ, Londinenſis. Pariſienſis, Leopoldinæ, Berolinenſis, Bononienſis, Petropolitanæ, Edimburgenſis, ceterarumque exſtant lucubrationes: quorum qui legit obſervationes, facile, quo modo inſtitui debeant, cognoſcet.*

Digitized by Google

ſunt, & clariſſima: & hinc perſpicue cognoſcimus, an prædicatum cum ſubjecto conſentiat, an aliter.

Curemus tamen, ut conſecutiones non niſi ex principiis firmiſſimis, & clariſſimis deducamus: cujuſmodi ſunt propoſitiones diuturna experientia adquiſitæ, definitiones, axiomata, poſtulata: vel ſaltim reliqua, quæ ex his evidenter naſcuntur. Nam niſi ex principiis ejuſmodi ratiocinantes concludamus, verbis inanibus difluere quidem poſſumus, aliquid ratione efficere, ſeu demonſtrare non poſſumus.

I. Porro demonſtratio non uno tantum modo fieri poteſt. Id diverſis nominibus explicatur: a *priori*, & *poſteriori*; *directa*, & *indirecta*. Demonſtratio a *priori* eſt, quæ ex definitionibus, & axiomatis conſtat: vel ea, in qua ex cauſſa ducitur effectus. Demonſtratio a *poſteriori* eſt ea, in qua ex certa experientia aliquid confirmatur, vel ex effectu cauſſa oſtenditur.

II. Demonſtratio *directa* eſt, quæ ex definitionibus, & axiomatibus, vel alio modo componitur. *Indirecta*, ſeu *ad abſurdum* eſt, quæ adſumit propoſitionem adverſantem concluſioni, quam demonſtrare conamur, & inde abſurdum aliquod neceſſario ſequi oſtendit, ex quo fit evidens, propoſitionem contradicentem eſſe veram. Utriuſque exempla ſubjiciemus.

Demonſtratio *directa a priori*.

Fingamus velle me probare hanc propoſitionem, *Homo facere poteſt, quod vult*: primo ponam principia hoc modo:

Definitio I. *Homo eſt animans perfectiſſimum*.

Axioma I. *Perfectiſſimum animans debet eſſe omnino liberum*.

Definitio II. *Omnimoda libertas eſt facultas aliquid faciendi, vel non faciendi, vel oppoſitum faciendi*.

Axioma II. *Qui habet omnimodam libertatem, is profecto facere poteſt, quod vult*.

Demonſtratio.

1. *Quodcumque eſt animans perfectiſſimum, id eſt omnino liberum*: [per Axioma 1.] *Homo eſt animans perfectiſſimum*: [Definition. 1.] *Ergo, Homo eſt omnino liber*. *Qui eſt omnino liber, facere poteſt, quod vult*: [Axiom. 2.] *Ergo homo facere poteſt, quod vult*.

2. Quod

Digitized by Google

2. Quod ſi demonſtrarem, *Hominem eſſe liberum hac de cauſſa, quod ipſe facit, quod vult*; hæc eſſet Demonſtratio *directa a poſteriori*.

Demonſtratio *indirecta*.

Contendam probare, *neminem poſſe eſſe parentem ſui ipſius*: adſumam tamquam veram ejus contradicentem hoc modo:

Fingamus, *poſſe aliquem eſſe parentem ſui ipſius*. Tunc is, qui eſſet parens, eſſet prior, quia generaret filium: rurſum non eſſet prior, quia eſt filius, filius autem eſt poſterior parente. Cum vero ſit abſurdum manifeſtum, quod idem homo ſit prior, & poſterior ſe ipſo; etiam abſurdum eſt illud, ex quo hoc ducitur, nimirum, *Aliquis poteſt eſſe parens ſui*. Igitur [ex lege contradicentium] adverſa propoſitio eſt vera: *Nemo poteſt eſſe parens ſui ipſius*.

De Fallaciis refutandis.

Et hoc modo fiunt legitimæ demonſtrationes, cum & præmiſſæ veræ ſunt, & recte conjunguntur.

E contrario duplici nomine falſæ demonſtrationes evadunt: vel quia non ſervant leges ſyllogiſmorum, quod Logici vocant *peccare in forma*, de quibus ſupra diximus: vel quia alterutra præmiſſa eſt falſa; quod vocatur *peccare in materia*, de quibus nunc eſt dicendum. Hæ autem tum *fallaciæ*, tum *ſophiſmata*, tum *paralogiſmi* vocari ſolent.

Jam *fallacia* ex duplici fonte dimanat: vel ex male adfectis ſenſibus, eorumque tarditate; quæ cauſſa eſt, cur ex eorum ideis argumentantes decipiamur; quorum myſteria ſupra jam reſeravimus; [1] vel ex falſa ratiocinatione. Falſæ autem ratiocinationes etiam duplici de cauſſa exſiſtunt: 1. cum vel utraque, vel alterutra præmiſſa dubia eſt, aut falſa. 2. cum præmiſſæ neceſſario nexu concluſioni non conjunguntur.

Ita-

[1] *Hoc* Libro p. 1. c. 4.

I.

Itaque cum præmiſſarum altera vel *plane dubia*, vel *plane falſa*, pro ratione adfertur; hoc ſophiſma vocatur Logicis *petitio principii*. Et merito vitatur, nam probatio & argumentum debet eſſe notius re probanda. Id plurimis modis fieri poteſt, quorum præcipuos breviter adtingemus. [1]

I. Et quod ad primam pertinet, evenit id 1.*Cum, ut rem dubiam confirmemus, adſumimus propoſitionem vel æque obſcuram, vel obſcuriorem, vel eamdem mutatis verbis.*

E. g. Ariſtoteles probaturus, Terram in centro Univerſi eſſe poſitam, hoc id ſyllogiſmo efficere conatur. [2]

Gravia ad centrum Univerſi natura feruntur.

Sed experientia conſtat, gravia ad centrum Terræ ferri.

Igitur, centrum Terræ eſt centrum Univerſi.

At in majori ſumit tamquam manifeſtum, centrum Terræ, & Univerſi idem eſſe: quod ipſum eſt æque obſcurum, & eſt eadem concluſio probanda mutatis verbis. En *petitio*.

2. *Quando propoſitionem A. probamus per aliam B. & rurſum hanc B. probamus ex ipſa A.*

E.g. Ariſtoteles probat inerrantia ſidera ſcintillare, quia plurimum diſtant a nobis: [3] & plurimum diſtare, quod ſcintillent. [4] En *circulus*. II. Al-

---

[1] *Late patet ſophiſma* petitionis principii: *quicumque enim ponit ſine ulla probatione veluti perſpicuum, quod probatione omnino indiget, is quidem* petit concedi ſibi principium aliquod, quod erat probandum. *Id vero vel proxime, vel remote fit. Proxime, ut ſi pro ratione ponat concluſionem probandam vel iiſdem, vel ſynonymis verbis, vel per circulum. Remote, ut ſi rem aperte falſam, vel mera verba, vel aliquid hujuſmodi adferat ad probandam theſim: nam etiam tali caſu petit ſibi concedi principium, quod ei probandum erat ut propoſitum efficeret. Ariſtoteles* Prior.II. c.16. & Topic.VIII.c.13.edit.Duvalii. *diverſos modos enumerat* petitionis principii, *&* petitionis contrarii, *quod eodem recurrit, in quibus aliquos a nobis jam dictos. Quoſdam tamen rejicere poſſet, alios autem addere, & rem totam accuratius diſponere.*

[2] De Cælo II. c.14. & IIII. c.3. [3] Ibid. II. c.8.

[4] Analyt. Prior. I. c.13.

Digitized by Google

II. Altera pars multiplici modo evenit. 1. *Cum pro principio evidenti adſumimus propoſitionem aperte falſam.*

E. g. Quidam Philoſophi tamquam exploratum poſuere, *aerem natura eſſe calidum*. Quod perſpicue eſt falſum: nam ſi cauſſas, quæ eum calefaciunt, removeas, ſenſim frigeſcit. Immo in iis locis, in quibus radii ſolares imbecilles ſunt, ut in Norvvegia, Islandia, Svecia, Moſcovia Septentrionali, vix ferri poteſt.

2. *Cum adſignant pro cauſſa Phyſica mera verba, quæ nihil reapſe ſignificant.*

E. g. Philoſophi nimis multi, dum res ab ipſa natura involutas explicare conantur, cum id firmis, & perſpicuis argumentis nequeant efficere, & inſcitiam ſuam nolint profiteri; ad verba inania recurrunt, & plaudunt ſibi, quaſi tale myſterium reſeraſſent. Hinc *horror vacui*, *virtus ſoporifera*, *virtus pulſifica*, *ſympathia*, *antipathia*, *antiperiſtaſis*, & id genus vocabula, ſonora illa quidem & ampulloſa, ſed quæ nullam ſententiam habent, nec nos faciunt doctiores.

3. *Cum aliquid explicare neſcientes, recurrunt illico ad Deum.*

Nam tunc merito ad eum confugimus, cum perſpectum habemus, nullam aliam eſſe cauſſam, quæ id faciat. Frequenter hanc tibiam inflant Ariſtotelici philoſophi. Sophiſma aliquo ex his modis factum vocatur, *non cauſſa pro cauſſa*.

II.

Jam vero præmiſſæ cum concluſione non connectuntur duplici de cauſſa: 1. cauſſa *verborum*: 2. *rerum*, quæ inter ſe nequeunt conferri: ex quibus fontibus fallaciæ propemodum infinitæ proficiſcuntur.

I. Fallacia in dictione eſt 1. cum occurrit *ambiguitas nominis*.

E. g. *Populus ex terra creſcit.*
Multitudo hominum eſt populus.
Igitur, multitudo hominum ex terra creſcit.

2. Cum

2. Cum *Amphibolia* in periodo.

E. g. *Aio te, Aeacida, Romanos vincere poſſe*. [1]

3. Cum ad plures interrogationes uno vocabulo reſpondemus. Sive aperte ſint plures:

E. g. Si interroganti, *An virtus, & vitium amari, vel odio haberi debeat*; reſpondeam: *amari*, aut etiam *odio haberi*: decipietur, qui audit.

Sive in uno vocabulo, quod plura tempora reſpiciat, lateant:

E. g. Cum Alexinus celebris ſophiſta Menedemum interrogaſſet, *an patrem cædere deſiiſſet*; [2] recte Menedemus reſpondit: *neque cecidi, neque deſii*. Sin autem diceret, vel *non*, vel *jam*, vel quid ſimile, caperetur: non enim diſtingueret duo illa tempora, quæ a verbo ſignificantur. Sua igitur reſponſio unicuique parti eſt apte facienda.

In his itaque, & ſimilibus, quæ facile excogitari poſſunt, tam eſt perſpicuum, eſſe quatuor terminos in ſyllogiſmo, ut non niſi indoctiſſimis poſſit inponere. Caveri autem nullo negotio poſſunt, ſi diligenter partes ſeparemus, & ſedulo conſtituamus, qualem ſenſum præferant vocabula.

II. Fallaciæ vero, quæ ex rebus ipſis proficiſcuntur paullo ſunt intricatiores, & majorem curam, & aſtutiam requirunt. Nos præcipuas percenſebimus, ad quas ceteræ ſine labore referuntur. Hæ ſunt hujuſmodi.

I.

Quando ex eo, quod duæ res in uno, vel altero prædicato ſunt ſimiles, colligimus, alteram alteri eſſe ſimillimam.

1. Frequenter hunc lapidem offendunt Philoſophi, dum rerum cauſſas inveſtigant: ex quo infiniti errores in Phyſica. Id ipſum in familiari ſermone de re vel Oeconomica, vel Politica occurrit quam frequentiſſime. Hæc fallacia plurimis modis formari poteſt: ex quibus vel *enumeratio inperfecta*, vel *inductio vitioſa*, vel *paritas inepta*, vel alio nomine appellatur.

2. Ejuſdem ſophiſmatis rei ſunt illi, qui, ut aliquid alteri

[1] *Cic.* Divin. II. c. 56. [2] *Laert.* II. ſect. 13.

teri faciendum perſuadeant, vitia aſtute prætereunt, commoda vero extollunt in cælum.

E. g. Scholaſtici philoſophi, ut nobis perſuadeant, Logicam ſuam ceteris eſſe præferendam, cum jactatione ponunt, ſe ex Ariſtotelis dialectica diſputare: eſſe eam utilem ad theologiam Scholaſticam addiſcendam: tum demum neminem ſine ea in abſtruſioribus diſciplinis poſſe diſputare. Illud autem tacent; talem Dialecticam eſſe artem cavillandi, & ſine ullo fine contendendi; non tradere viam indagandi verum tum certum, tum probabile: nihil de arte Critica continere: tum denique nihil utilitatis humano generi adferre, ut in ceteris diſciplinis recte ſermocinetur. Quod tacendum non fuit.

II.

Quando ex iis, quæ rei quadam ratione conveniunt, ſine ulla limitatione colligimus, eidem convenire.

Id etiam alio, & alio modo fieri poteſt, ex quo alia, & alia nomina invenit. Nos celebriores dabimus.

1. Epicurei perſuadere conabantur, Deos habere figuram humanam, hoc argumento; *quod hæc pulcerrima ſit omnium: quidquid autem pulcerrimum Diis tribui debeat*. [1] Errabant tamen; nam humana forma eſt ea quidem pulcerrima earum, quas videmus; at omnium, quæ fieri poſſunt, pulcerrima dici nequit. [2] Item Ariſtoteles probat, *ignem eſſe omnino levem, quod ſurſum fertur*. At fallitur: nam ex hoc tantum colligitur, eſſe leviorem aëre. Sunt autem qui contendant, ignem eſſe gravem. [3] Hoc ſophiſma nominatur, *a dicto ſecundum quid ad ſimpliciter*.

2. Logica, & Rhetorica utuntur homines interdum ad plura falſa perſuadenda, & ut turbas in republica moveant, & faciant tumultus. Qui igitur inde cogeret generatim, *eas eſſe pernicioſas*, erraret: hæc enim mala non ex diſciplina-rum

---

[1] *Cicer.* de Nat. Deor. I. c. 18.

[2] *Quid ſit abſolute* pulcrum, *quid comparate*, *diximus in* Metaphyſica. L. IIII. c. 11.

[3] *Du Hamel*, Hiſt. Acad. Reg. Scient. L. I. ſect. 2. c. 2. *Paullus Caſſati*, Diſſert. Phyſica de Igne, *aliique*.

rum natura, ſed ex pravo hominum uſu proficiſcuntur; nam multo plura bona, quam mala, hæ duæ diſciplinæ adferunt reipublicæ. Præterea Hæretici, qui dogmata noſtra examini ſuppoſuere, non nulla negarunt, alia haud recte acceperunt. Inepte igitur inferunt non nulli, *inprudenter agere eos, qui dogmata noſtra vocant ad examen: ſed debere ea intacta relinqui, & tantum de Scholaſtica diſputari*. Nam e re eſt Catholicæ eccleſiæ oſtendere perduellibus adverſariis; doctrinam noſtram tam eſſe firmam, ut nullis eorum machinis labefactari poſſit. Vocatur hoc ſophiſma, *fallacia accidentis*.

3. Aliqui poſtea quam exploratum habent, ſententiam aliquam præter ceteras eſſe probabilem, confidenter, ac ſine ulla limitatione pronunciant, eſſe veram: velut hypotheſis cæleſtis Thyconis Brahei. Vocatur hæc fallacia, *argumentari a relativo ad abſolutum*.

4. Eſt in Evangelio [1] *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*. Si quis vero ex tali ſententia colligeret: *Igitur vident dum ſunt cæci: ambulant dum ſunt claudi: audiunt dum ſunt ſurdi*: inepte inferret: nam ejuſmodi propoſitiones loquuntur de illis, qui antea tales erant, nunc non ſunt. Hoc ſophiſma dicitur, *argumentari a ſenſu diviſo ad compoſitum*.

Contra, eſt apud Paullum [2] *Neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. Qui vero colligere vellet, *hos nullo umquam tempore poſſe regnum Dei poſſidere*, falleretur: nam Paullus loquitur de iis, quos mors in hiſce flagitiis deprehenderit. Sin ante mortem pœnitentiam egerint, regnum Dei poſſidere poſſunt. Hoc ſophiſma eſt, *argumentari a ſenſu compoſito ad diviſum*.

5. Ejuſdem ſophiſmatis alligaretur, qui, non res, ſed verba contraria videns, diceret, eſſe *contradictionem*, ubi non eſt: v. g. *Homo eſt inmortalis*: *Homo eſt mortalis*. Aut qui adfirmaret, *converſioni* propoſitionum locum eſſe, ubi non eſt; v. g. *Circulus eſt figura. Ergo, figura eſt circulus*. Hæ enim non generatim, ſed certa ratione ſunt vera. Primum eſt ſophiſma *contradictionis*; alterum, *conſequentis*.

Quando

[1] Matth. XI. 5. [2] I. Corinth. VI. 10.

Digitized by Google

III.

Quando de re, quæ plura & diverſa agere poteſt, dicimus, unum tantum producere: ut in hoc ſyllogiſmo:

Quod valde calidum eſt ſiccat.
Hæc aqua [calida] eſt calida valde.
Igitur, hæc aqua ſiccat.

Utrumque enim aqua calida facere poteſt, ſcilicet humiditate ſua humectare, & calore ſiccum reddere, ſi facultatibus recte utaris: id eſt, ſi non ad aquam, ſed ad vas, quod eam continet, applicentur res humidæ.

IIII.

Quando probamus propoſitionem aliquam eſſe veram hac de cauſſa, quod adverſarii non oſtendunt, eſſe falſam.

Eſt enim adfirmantis rationes, quas habet, ponere in medium: aliorum vero eaſdem ad Philoſophorum trutinam revocare.

V.

Quando argumentamur a falſitate unius ad veritatem alterius.

E. g. Veteres illi Peripatetici hoc nomine ſectam ſuam ſe confirmare exiſtimarunt, quod plurimis verbis demonſtrarunt, Platonem, Parmenidem, ceteroſque Philoſophos falſos fuiſſe. Carteſiani ſuam hoc nomine, quod Ariſtotelis flagitia patefecerunt. Contra juniores Peripatetici judicarunt, ſe luculenter dogmata ſua lectoribus probare, propterea quod Carteſii errata quædam notarunt. Inmerito tamen: nam fieri poteſt, ut hypotheſes omnes, quæ excogitatæ fuerunt, ſint falſæ. Quod ſi ex falſitate cujuſdam propoſitionis colligo, contradicentem eſſe veram, recte concludo. Eodem ſophiſmate infuſcantur ii, qui, ut aliquod crimen a ſe avertant, alterum de eodem crimine poſtulant.

VI.

Quando non alio argumento infirmamus propoſitionem veram, niſi auctorem irridendo.

Peccant hoc frequenter Scholaſtici cum Recentioribus philoſophis diſputantes. Verum hæc confutandi ratio infirma eſt prorſus. Cogendi ergo ſunt ii, ut theſes non cachinnis, & dicteriis, ſed argumentis & firmis, & perſpicuis confutent. Eadem via cum iis agemus, qui querelis, ejulatu, jurejurando falſum aliquid nobis perſuadere conantur: propterea quia ejuſdem ſophiſmatis rei ſunt.

VII.

Quando argumentamur ab uno genere ad aliud.

E. g. Plura Mathematicis ſunt vera, quæ Phyſicis falſa ſunt. Nam Mathematicus definit lineam hoc modo: *Longitudo ſine latitudine*: punctum vero hoc modo: *Id quod nullam habet dimenſionem*. Hæc vero in Phyſica nuſquam ſunt. Qui vero ab uno genere ad aliud tranſeunt, ut non nulli viri doctiſſimi faciunt, labuntur in hoc ſophiſma.

Hæc ſunt præcipua ſophiſmata, in quæ diſputantes ii, qui non omnino delirant, incurrunt. Reliqua tam ſunt clara, ut vix monitione egeant tirones. Occurrunt tamen non nulla ſophiſmata tironibus aliquanto explicatu difficiliora, quæ prævidere non pœnitebit.

E. g. Cum eſſent tres homines ſermocinantes, poſtea quam duo dixere mendacium, tertius dixit: *Vnuſquiſque noſtrum nunc falſum dicit*. Ex quo ita Sophiſta argumentatur. *Vnuſquiſque noſtrum nunc falſum dicit. Sed ego ſum unus noſtrum. Ergo & ego falſum dixi. Atqui, ſi ita eſt, ego verum dixi. Igitur & verum, & ſimul falſum dixi.* Idem dicemus de ceteris propoſitionibus, quas Logici vocant *ſe falſificantes*.

Verum nullo negotio hoc ſophiſma diſſolvemus, ſi propoſitionem tertii expenderimus. Nam cum propoſitiones ex communi uſu loquendi non habeant ſe ipſas pro objecto, ſed alias res; ſi tres illi ante propoſitionem, *Vnuſquiſque* &c. falſum dixerant, propoſitio tertii eſt vera: ſin autem, falſa eſt.

Digitized by Google

eſt. Quod ſi tertius ille in animo habuit, propoſitionem ſuam pro objecto, & ſcopo ſibi ponere; cum certo ſciat, id fieri non poſſe, propterea quia *idem nequit ſimul eſſe, & non eſſe verum*; conſequitur, hujuſmodi hominem ludere in verbis, nec dignum eſſe cujus propoſitionis *vocalis* [nam *mentalis* nulla hoc caſu eſt adfirmatio] ulla ratio habeatur. Quare in primo caſu ſic exponenda eſt major: *Vnuſquiſque noſtrum, ante hanc propoſitionem, nunc falſum dicit*: concedo: aliter nego. Et cetera omnia neganda. In ſecundo caſu neganda eſt major, & Sophiſta ridendus.

Interdum ut ſophiſmata diluamus ſatis eſt proferre ſimilem ſyllogiſmum, cujus concluſio aperte ſit falſa. Nam hoc modo ſophiſmatis falſitas plane demonſtratur.

E. g. Dicat aliquis: *Recentiorem phyſicam eſſe inutilem, propterea quod non efficit, ut homines vivant diutius*. Tu reſponde: *Panem omnino eſſe inutilem, propterea quia non efficit, ut homines febri liberentur, aut ut liberentur frigore, ceteriſque incommodis*.

Plerique Logici inter ſophiſmata hoc recenſent: *Aliud probare quam quod eſt in quæſtione*. Quod nimis multi faciunt diſputantes, cum vel inprudentia, vel malitia aliis adtribuunt ea, de quibus numquam ſomniarunt. Verum is quidem eſt error manifeſtus, ut etiam interdum *non cauſſa pro cauſſa*: at ſophiſma non niſi lata acceptione dici poteſt, propterea quia nos non decipit ſpecie probabilitatis, ut acute vir doctus monet. [1] Id facillime vitabimus, ſi ſtatum controverſiæ perſpicue conſtituerimus: quod plurimis in locis monuimus.

Corollaria

I. *Hinc omnis propoſitio legitime demonſtrata eſt certo vera*.

II. *Hinc demonſtratio eſt præſtantior via inquirendi veritatem*.

III. *Hinc illud eſt certo falſum, quod vel experientiæ, vel evidenti demonſtrationi repugnat, velut hoc*: Flamma eſt corpus durum: Circulus eſt triangulus.

[1] *Mariotte*, Eſſay de Logique P.II. in fine.

SCHOLION

Philoſophi quidam docent, eſſe aliquos gradus falſi, ſeu rei, quæ certo falſa eſt. Nam ſunt propoſitiones, quæ falſæ demonſtrari non poſſunt; tamen ſapienti non perſuaſeris, ut iis adſentiatur: e.g. Eſſe lares ſeu dæmonas propitios, qui famulatum præſtent hominibus: *& hujuſmodi ſexcenta. Aliæ ſunt, quarum falſitas vel facile, vel operoſe demonſtratur: e.g.* Omnes angulos rectilineos eſſe æquales. *Quædam tam perſpicue ſunt falſæ, ut ſi quis demonſtrationem requirat, audiendus non ſit: ut* Ferrum eſt flavum; Equi loquuntur; *& his ſimilia.*

CAPUT VIII.

De effectu Demonſtrationis ſeu Scientia: ubi de Fide generatim.

COgnitio, quæ demonſtratione comparatur, vocatur *Scientia*: nam Scientia Philoſophis eſt: *Cognitio tam clara & perſpicua, ut nulla dubitandi ratio reliqua ſit.*

Hujuſmodi cognitiones duplici nos via conſequimur. Vel ex ſimplici conſideratione idearum: ut *Totum eſt majus ſua parte: Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe: Ego cogito, ambulo, ſedeo*: hæc eſt *ſcientia intuitionis*. Vel ex indubiis propoſitionibus [definitionibus, axiomatis, poſtulatis] idque per argumentationem: & hæc vocatur *demonſtrationis*. Utraque cognoſcendi ratio æque certa eſt: ſecunda tamen magis eſt laborioſa, & minus clara, quam prima.

Præterea facultas, quam habet mens propoſitionem aliquam ex principiis omnino certis deducendi, ſeu demonſtrandi veritatem aliquam; & ipſa *ſcientia*, ſeu *habitus ſcientificus* nuncupatur.

Quod ſi principia, ex quibus ratiocinamur, non certa & perſpicua, ſed veriſimilia ſunt; tale judicium vocatur *opinio*; & lata ſignificatione, *ſcientia*.

Scientiæ quaſi ex altera parte reſpondet *Fides*: quod vocabulum alio ſenſu Grammatici, alio Philoſophi uſurpant. Noſtris Fides eſt: *Credere rem, quam habeo ex narratio-*

ratione alterius. Quare cum credo ſcriptori dicenti, in India eſſe urbem quamdam, quam vocant *Goam*, fidem habere dicor.

Si fidem adjungo ei, qui fallere poteſt, aut falli; meus adſenſus eſt infirmus, & ad *probabilitatem* reducitur. Quod ſi tribuo fidem ei, qui nec fallere, nec falli poteſt, nimirum Deo; hæc fides eſt tam firma, quam *ſcientia*.

Hoc autem intereſt inter *fidem*, & *ſcientiam*: quod qui habet ſcientiam, agnoſcit prædicatum, & ſubjectum propoſitionis, ac eorum nexum. e. g. Cum ſentio *me ambulare*: habeo ideam perſpicuam *mei*, & *ambulationis*, & *nexus* utriuſque: id eſt, clare cognoſco, *me ambulare*. Contra, qui habet fidem, poteſt ille quidem habere antea ideam utriuſque, ſed non habet ideam connexionis: hanc enim poſtea judicat eſſe propter auctoritatem dicentis.

E. g. Ait quis, eſſe in Luſitania adamantem, cujus eſt libra pondo. Habet ille quidem ideam adamantis, & ponderis: ſed ideam nexus non niſi fide loquentis habet. Item declarat Deus, *Chriſtum eſſe Deum*, *&* *Hominem*: habemus nos confuſam ideam *Dei*, clariorem *Hominis*: ſed nullam illius *nexus*. Ideo eum propter auctoritatem Dei loquentis credimus.

COROLLARIUM.

Hinc non poteſt homo habere ſimul fidem, & ſcientiam ſecundum eamdem rem: quia hæc inter ſe pugnant. At poteſt id ipſum, quod certo ſcit, aliorum auctoritate confirmare.

E. g. Experimento capto cognovi, ignem eſſe gravem. Hinc colligo evidenter, etiam flammam. Quod ſi mecum reputans, quam facile homines decipiantur, caute, & ex abundanti dubitem, an erraverim; & legam graviſſimos Philoſophos id ipſum docuiſſe; [1] firmius id animo percipio & adſevero. Quo caſu & credo eos periculum feciſſe: quæ eſt

[1] *Vid. Hamel.* Hiſt. Academ. Reg. L.I. ſ.2. c.2. & Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences an.1709., & 1723. *Paullus Caſſati*, de Igne Diſsert.3. Repub. des Lettres Tomo VIII. p.127 8. *Sed hæc mihi explorata non ſunt: aliorum cogitata pono.*

eſt *fides*. Et ex eorum experimentis, ac rationibus video id ipſum ſequi: qui mihi eſt novus gradus *probabilitatis*: ex quo confirmo id, quod jam perſpicua ratiocinatione mihi certo colligeram. Sin auctoritas eſſet divina, novus gradus firmitatis ac *certitudinis* foret. [1]

LIBRI

---

[1] *Scientia eſt*, evidens cognitio rei: *Fides*, inevidens cognitio rei. *Hæc autem inter ſe pugnant eodem tempore. Quia tamen aliquæ veritates perſpicuæ ſunt etiam auctoritate Divina notæ, veluti exſiſtentia, & proprietates Dei, mundi creatio &c.; auctoritas autem Dei non evertat lumen naturæ, ſed perficiat; nam idemmet Deus utraque via ac ratione homini verum pandit; icciree ejuſmodi cognitio [quam ex aliis principiis habemus] non minuit ſcientiæ vim, ſed eſt novus gradus firmitatis, qui eam roborat: & in eo, qui ſcientiam habet, reapſe ad ſcientiam reducitur: h. e. ad Deum naturæ lumine id ipſum clarius teſtantem. Quod qui negat, idem petierit, ut Sole lucente, & oculis valentibus, nemo ſit certus eſſe diem, niſi ex auctoritate ejus, qui nobis ait, eſſe diem. Sed hæc, aliaque ejus generis pugnantia, Peripateticis quibuſdam ſatis validi ſtomachi concoquenda relinquamus.*

LIBRI QUINTI

PARS ALTERA

DE

VERO PROBABILI

CAPUT I.

De vero Probabili generatim.

Hactenus quid ſit *verum certum*: hinc quid ſit *verum probabile* facile conſtat. Itaque quemadmodum illud certo eſt verum, quod ita eſſe cognoſcitur, ut nulla dubitandi ratio reliqua ſit; ita quod non nihil dubitationis relinquit, id quidem probabiliter tantum eſt verum.

E.g. Qui conſiderat adoleſcentem ſummo ingenio præditum, diſcendi cupidum, a præſidiis omnibus ad ediſcendum paratum, optimiſque magiſtris utentem; & inde colligit, evaſurum virum doctum; is ſane probabiliter judicat. Nam videt ille quidem plurima adjuncta, quæ verum comitari ſolent: non tamen omnia. Nam exploratum non habet, an tanta ingenii vis nullo morbo peritura ſit: an grandior factus in eadem ſententia conſtanter ſit permanſurus: an progreſſu temporis præceptoribus indoctis non ſit uſurus: & his ſimilia multa. Quæ omnia qui haberet comperta, ſine ulla dubitatione exiſtimaret, ſe veritatem tenere.

Itaque ſi omnes veritatis characteres notos habemus, judicium noſtrum eſt certo verum, quia a rei evidentia proficiſcitur. Sin aliquos tantum cognitos habemus, tale judicium eſt probabile, nec niſi hypotheſi fundatur. Eſt autem *hypotheſis*, propoſitio, quæ habetur vera, quia ex ea proprietates rei non incommode poſſunt explicari.

Digitized by Google

E. g. Si pro vero fumo, aëris pondus eſſe cauſſam cui plurima exhalatio e noſtris corporibus non exeat; hæc *hypotheſis* vera haberi debet, uſque donec certior appareat: nam ex ea omnia phænomena & facile, & veriſimiliter expon. poſſunt. Hæc de propoſitione probabili.

Syllogiſmus vero *probabilis* eſt, cujus una ſaltim propoſitio eſt probabilis.

E. g. *Omnis hoſtia legitime conſecrata continet corpus Chriſti.*
Hæc hoſtia eſt legitime conſecrata.
E. Hæc hoſtia continet corpus Chriſti.

Prima propoſitio divina locutione eſt certa. Altera nobis eſt tantum probabilis: nam certo nobis non cónſtat, talem ſacerdotem rite conſecraſſe. Quare conclusio eſt probabilis. Quod ſi ſacerdos rite conſecratus conſcius ſibi fuerit, ſe ex ritu Eccleſiæ hoſtiam legitime conſecraſſe; huic homini hujuſmodi propoſitio erit evidens: & concluſio erit certa quidem, ſed non evidens, propter primam inevidentem. Itaque ſyllogiſmus *probabilis*, & *demonſtrativus* non in forma differunt, ſed in materia.

COROLLARIUM I.

Hinc eo probabilior eſt propoſitio, quo plures veritatis characteres comprehendit.

COROLLARIUM II.

Hinc omne probabile eſt poſſibile, non contra.

Prima pars conſtat. Probabilitas præ ſe fert characteres aliquos rei exſiſtentis: quod autem exſiſtit, vel poteſt exſiſtere, eſt poſſibile. Altera conſtat. Poſſum ego in præſentia hereditatem ab amico accipere: quis neget? At non eſt probabile, quia deſunt adjuncta, quæ veriſimilem rem faciant. Quod ſi amicus dives, ſine ullis heredibus neceſſariis, graviter ægrotans, me vocet ad lectum; ſe, ſuaque omnia meæ fidei commendet, adfirmans jurejurando, ſe memorem accepti beneficii eſſe futurum; jam poſſum probabiliter judicare, me heredem fore.

COROL-

COROLLARIUM III.

Hinc poteſt aliqua propoſitio eſſe nobis probabiliter vera, & eſſe re falſa. E contrario poteſt aliqua eſſe nobis probabiliter falſa, & eſſe vera reapſe.

Prima pars conſtat ab exemplo poſito. Nam ſi is, qui promittit, non habet animum gratiam referendi, talis propoſitio eſt nobis probabiliter vera: reapſe vero falſa. Altera pars eodem exemplo inluſtrari poteſt. Nam fingamus talem hominem bis aliquid mihi promiſiſſe, quin promiſſum impleverit. Itaque probabiliter in præſentia judico, verba mihi dari, meque denuo eſſe decipiendum. Quod ſi promittens in ea hora ſecum omnino conſtituerit, ſtare promiſſis; meum judicium, quamvis probabiliter verum ſit, re tamen eſt falſum,

SCHOLION.

Probabilitatis *doctrina quanto ſit uſui in vita civili, ii ſoli non intelligunt, qui numquam cum hominibus verſati ſunt, aut eo modo ſunt verſati, ut ventris obedientia, non mentis uſu regerentur. Pleraque enim negotia, quæ homines occupant, non evidentibus principiis, ſed probabilibus nituntur. Ut qui talem eruditionem contemnat, & in ſingulis rebus* Mathematicam evidentiam *requirat, ab hominum ſocietate tamquam delirus ſit explodendus.*

CAPUT II.

De probabilitate Hiſtorica.

SAepe nos veritatem inveſtigantes, cum nec periculum facere, nec ratiocinatione perſpicua aliquid efficere poſſimus, cogimur in eorum auctoritate, qui vel negotium experti ſunt, vel ab expertis acceperunt, adquieſcere: & rem credere propter eorum, qui ſcribunt, auctoritatem, & probitatem. Verum cum ii, qui narrant, vel inprudentia, vel malitia falſum frequenter obtrudant; neceſſe eſt, ne inprudentes decipiamur, quo modo

do veræ ; & falſæ narrationes ſecerni queant, internoſcere. [1]

Quo vero fidem teſti prudentius habeamus, tria examinanda ſunt. 1. *qualitas teſtis*. 2. *res narrata*. 3. *modus narrandi*.

Teſtes non uno tantum in pretio ſunt habendi omnes. 1. Quidam ſunt prudentes, & peracris judicii: quidam indocti, & hebetes. 2. Quidam ſtudio partium aguntur: alii libere judicant. 3. Non nulli ſunt boni: alii inprobi, & mendaces. 4. Sunt quidam oculati, quidam auriti: & hi rurſum vel cum eo, quod narrant, ſimul fuerunt, vel ei ſuppares, vel longe ſunt illo poſteriores.

His conſtitutis, duo cum viro doctiſſimo axiomata ponimus: ex quibus non nullæ leges, tamquam confectaria, ducuntur.

I. *Quo magis certus ſum, auctorem nec voluiſſe, nec potuiſſe me decipere; eo firmiorem ei fidem habere debeo.*

II. *An quis me voluerit, vel potuerit decipere, ex narrationis adjunctis, quæ vel pugnant, vel alio vitio infuſcantur, judicandum eſt.*

Regulæ de qualitate teſtium.

I.

Teſtimonium viri prudentis & exercitati judicii, qui rem narrat, quæ peracre judicium requirit, probabilius eſt teſtimonio indocti. Sin rem aliam narret, eſt æqualis momenti.

E. g. Si duo homines phœnomenon Phyſicum a ſe viſum narrent, e. g. vidiſſe ſe cometam, novam ſtellam, ſpectrum, cetera; nemo ſanus negaverit, cultiori & ſapientiori eſſe credendum: quia alter fortaſſe rem non expendit accurate. Quot enim res falſas Ariſtotelici, ceteroquin acuti, & oculati, narrant in Phyſica? quam facile ſibi perſuadent, ſe ea vidiſſe, quæ non viderunt? Quod ſi ambo rem narrant, quæ ſenſibus tantum, ſine ulla ratiocinatione, comparatur; e. g. vidiſſe ſe hominem ab alio occidi, ablegandus non eſt indoctus a teſtimonio ferendo. *Teſti-*

[1] *De hac re egregie diſputavit Rudigerus*, de Senſu Veri, & Falſi.

II.

Teſtimonium hominis, qui partium ſtudio non agitur, præferri debet ei, qui in alterutram partem propendet.

Propoſitio eſt evidens. Dignoſcitur autem, an homo in alterutram partem inclinatione voluntatis pendeat, ex adjunctis patriæ, religionis, ſectæ, ceteris. Sic homini Hiſpano referenti, Luſitanos exercitus fuſos fugatoſque a ſuis: magnam vim hoſtium interemtam: & id genus alia; niſi eum juvent adjuncta alia, haud temere credendum eſt: nam utriuſque gentis æmulatio, & æmulationis cauſſa nota eſt cunctis.

Quid? ii etiam, qui ſine odio ſcribunt, ſi ſuperbum de ſuis habent judicium, intolerandas ineptias ſcribunt. Quis non rideat *Langletum*, hominem doctum, & a recentiori hiſtoria bene paratum, qui, cum aliis præcepta recte judicandi traderet; [1] adfirmare non dubitarit, Richelium Cardinalem, quo vires Auſtriacæ gentis facilius minueret, Portugalliæ regnum Joanni IIII. Brigantino Duci dediſſe? Quaſi obſcurum ſit ulli, qui hiſtoriam proximi ſæculi vel a limine ſalutavit, quo modo Joannes IIII. ad Luſitaniæ regnum pervenerit, non dicam inſcio, ſed ne ſuſpicante quidem Richelio.

III.

Oculatus teſtis merito ſuo præfertur aurito. Quod ſi oculatus non adeſt, aurito, eique prudenti, ſua fides conſtat.

Prima pars eſt manifeſta. Nam oculatus narrat, quod vidit: eorum vero, qui audiunt, quilibet aliquid vel addit, vel mutat. Iccirco non tam locupletes ſunt teſtes. Quod ſi auritus & prudens, & probus aliquid referat, cauſſa nulla eſt cur a teſtimonio repellatur.

IIII.

Auriti teſtimonium diligenter eſt expendendum, uſque donec ad eum, qui primo retulit, veniamus. Hac via & ex quo

[1] Metodo per ſtudiare la Storia, Cap. XI. art. I.

quo fonte hauſerint, &, quid de iis ſit judicandum, penitus cognoſcemus.

V.

Aequalis ſcriptor majorem auctoritatem habet, quam ii, qui longe poſt vixerunt: & quo magis ab ea ætate ſejuncti ſunt, eo minor eorum eſt fides. Sin plurimi æquales mirifice congruunt, moralis evidentia habetur.

Regulæ de rebus, quas narrant:

I.

Narratio, in qua talia adjuncta ſe offerunt, quæ inter ſe pugnant, probabilitatis expers eſt.

Nam hujuſmodi narratio præ ſe fert contradicentia, ſeu talia enunciat, quæ fieri omnino non poſſunt. Igitur non eſt probabilis: [Coroll.2.]

II.

Si teſtis unus, quantum libet locuples, mirabile aliquid narret, parum fidei habet: potuit enim aliqua de cauſſa decipi. Sin plures integræ fidei, quamvis diverſo modo, id narrent, plus habent momenti. Sed multo plus habebunt momenti, immo prorſus plenam fidem facient, ſi iiſdem verbis, ſi oculati, ſi perſonæ publicæ, ſi jurati teſtentur.

III.

Si res ſit minus mirabilis, & incerto rumore habeatur, parum eſt probabilis. Sin autem unus probuſque teſtis oculatus eam confirmet, plus habet ponderis. Majus vero ſi plures oculati eam narrent.

Regulæ de modo narrandi.

I.

Infimum probabilitatis gradum habent, quæ Poëtarum more traduntur. Nemo

Nemo enim eſt qui ignoret, Poetas non hunc ſibi finem ponere, ut vera narrent; ſed fabulas de induſtria excogitare, calamiſtriſque & fuco ornare, quo poſſint facilius & aures, & animum demulcere legentium.

II.

Majorem probabilitatem habent, quæ Oratorie dicuntur: modo nec declamatoria ſint, nec panegyrica.

Oratores enim cum palam & in concione loquantur, veriſimile non eſt, ut falſa populo inpudenter obtrudant: aliter frontem non haberet narratio, & ſibilo exploderetur. Veruntamen dum eas amplificant, ſic urgent interdum, ut plus, quam par erat, augeant.

Hinc orationes Ciceronis non omnes eadem auctoritate cenſendæ ſunt. Quis enim audeat dicere, Ciceronem noſtrum, cum de ſuis rebus geſtis, de Mithridatico bello, de lege Agraria, de Antonii flagitiis, ad populum loqueretur, qui illa omnia nota habuiſſet; inpudentiſſime mentitum eſſe? Nolim tamen exiſtimetis, Adoleſcentes, omnia, quæ Cicero ipſe ſcribit, ad verbum eſſe accipienda. Fuit laudandus in lege Manilia Pompejus, laudavit: fuit defendendus Milo, defendit: accuſandus fuit Verres, accuſavit. Sed iterum vos moneo, ne judicetis, ejuſmodi homines tales fuiſſe, quales in iis tabellis exprimuntur. Fortaſſe non nihil & officio, & tempori tributum fuit. At Cicero modeſte laudavit: verum alii tam inepte & inconſiderate aut laudant, aut vituperant, ut minorem, quam Poetæ ipſi, præferant probabilitatem.

III.

Multo probabiliora ſunt ea, quæ Hiſtorico modo narrantur, idque nude & ſimpliciter, ſine ulla amplificatione, & pigmentis: modo adſint adjuncta, de quibus infra.

CA-

CAPUT III.

De librorum Mendis: & modo ſecernendi integros a corruptis; veros a ſuppoſiticiis.

I.

De librorum Mendis.

JAM vero libri hoc tantum nomine probabilem rem faciunt, ſi integri & ſinceri ſunt; id eſt, non ita depravati, ut fidem omnem perdant. Et quidem cum ars Typographica, ſeu multiplicandi typo exempla, non niſi medio XV. ſæculo Europæ fuerit nota; fit conſequens, libros omnes veteres manu deſcriptos fuiſſe: ex quo innumera *menda* in eos irrepere debuiſſe, perſpicuum eſt.

Nam quis ignorat, quot menda librarii noſtri, qui aliquid exſcribunt, faciant? Quis neſcit, libros etiam typis deſcriptos, quos multum & diu typothetæ volutarunt, ut errores notarent & emendarent; bene multis & majuſculis abundare? Quid? doctiſſimi etiam homines, & Ortographiæ callentiſſimi, nonne interdum, vel oſcitatione, vel feſtinatione in errores non nullos labuntur? Hi autem ſi ſunt frequentes, ſi novis flagitiis augentur, exſiſtit & illud, ut hujuſmodi libri fidei omnis expertes ſint.

I. Qui mendorum cauſſas collegerunt, eas ad quatuor claſſes revocant, *Librarios*, *Criticos*, *Deceptores*, *Vetuſtatem*. [1] Ac primum *Librariorum* incuria, & inperitia innumera menda irrepere neceſſe eſt. Nam ſi doctiorum incuria cauſſa eſt multorum errorum; quid ſperandum, ſi incuriæ *inperitiam* addimus? Profecto vix fieri poteſt, quin infinitæ nugæ exſcribantur: quarum tot exſtant tamque recentia exempla, ut ineptus ſim ſi id argumentis probem.

Hinc voces quaſi ſimiles, & ſynonymas pro aliis exſcripſere. Hinc litteras in alias ſimiles converterunt. Hinc notationes, quæ ad marginem erant codicis, idque explicationis

---

[1] *Clercius*, Arte Critica P.III. ſect.1. *Ex Catholicis vero Lamyus*, Appar. Biblic. L.II. *Dupinus*, *aliique*.

Digitized by Google

nis gratia, in contextum advocarunt. Hinc lucri cauſſa deſcribentes, non id curarunt, quam bene, ſed quam celeriter ſcriberent: cumque aliquando a dictante excepta ſcriberent feſtinanter, voces, quas non intelligebant, vel dictans male pronunciabat, male pinxerunt. Quæ cauſſæ, ut alias prætermittam, ſi concurrant, hujuſmodi ſunt, quæ non dicam ſententias depravare, ſed libros mutare, & ſui diſſimiles facere poſſint. Ut mirer veteres codices per ejuſmodi manus ad nos uſque tam parum depravatos perveniſſe.

Adde his Græcorum, & Latinorum veterum ſcribendi viam ſine ullis interpunctionibus, & interſtitiis, continua & perpetua oratione. Adde Judæorum, qui ſaltim uſque Maſſorethas ſine punctis vocalibus Sacros codices exararunt. Adde compendiariam horum omnium ſcribendi rationem, aliquibus ſyllabis omiſſis. Adde demum, mutationem litterarum. Nam veteres Romani majuſculis litteris utebantur; ut etiam in Mſs. non nullis videmus. Poſtea invaluit *Longobardica*, quam etiam *Gothicam* vocant: qua plerique omnes codices antiqui ſunt exarati. [1] Etiam Græci primum charactere quadrato, ut habemus in inſcriptionibus, uſi ſunt. Poſtea rotundiori ſunt uſi, ſine ſpiritibus, & accentibus: qui duo tractu temporis additi fuere. [2] Immo & Hebræi, qui primum utebantur Samaritano charactere, in captivitate Babylonica mutarunt eum in Aſſyrium ſeu Chaldaicum, quo nunc utuntur. [3]

Itaque cum ſcribæ inperiti [ut erant Monachi omnes, qui ſoli eo tempore, quo barbaries cum in Oriente, tum in Occidente dominabatur, deſcribendis codicibus vacabant] in hujuſmodi libros vel antiquo modo, vel male deſcriptos inciderint; fieri non potuit quin quadrata miſcuerint rotundis; verba, & ſententias depravate conjunxerint, vel interciderint: eoſque perperam corruptos ad nos miſerint. [4]

II. Hæc

[1] *Vide Mabillonum*, de Re Diplomatica L.V.

[2] *Vide Montfauconum*, Palæographia Græca.

[3] *Vide Ludovicum Cappellum*, de Litteris Hebræorum.

[4] „ *Multum enim hanc in rem & Roma contulit* . . . .
„ *& Bibliopolæ quidam librariis malis uſi, neque conferentes* [deſcripta Ariſtotelis, & Theophraſti exemplaria cum
„ arche-

II. Hæc cum adverterent *Critici* jam olim, & ſecum reputarent, libros emendatiores majori pretio a Grammaticis, & litterarum fautoribus comparari; [1] in id incubuerunt, ut libros quam diligentiſſime emendarent, aliiſque venderent. Cum autem non omnia intellexerint, plurima ex ingenio emendarunt, id eſt depravatiora ediderunt: adeoque inter ipſas Medicorum manus ægrotavit Critica ars. [2]

Id ipſum poſt inventam Typographiam, plurimis viris doctis eveniſſe, qui audacter veterum ſcripta emendarunt, viri litteratiſſimi conqueſti ſunt. Immo ex ipſa librorum typo deſcriptorum aliorum cum aliis collatione tam eſt perſpicuum, ut nihil ſupra.

III. Horum aliqui, qui non Critici modo, ſed *Deceptores* erant, lucelli cauſſa plurima dedita opera in ſcriptis veterum novarunt, addiderunt, mutarunt: nec id modo in Ethnicorum libris, [3] ſed etiam in Eccleſiaſticis monumentis. [4] Ex quo tot non modo depravata, & interpolata,

---

„ archetypis] *quod & aliis accidit libris, qui vendendi* „ *cauſſa ſcribuntur & hic* [Romæ] *& Alexandriæ*. „ Strabo Geog. L.XIII. p.419.

[1] *Videatur Joannes Wowerius*, in Polymathia c.XVI. 6. & ſeqq. *qui plurima adducit exempla operum falſo non nullis tributorum*.

[2] „ *Magna fuit exemplarium* [Sacrorum codicum] *di-* „ *ſcrepantia: ſive propter negligentiam quorumdam libra-* „ *riorum; ſive propter audaciam quorumdam male corrigen-* „ *tium, quæ ſcripta erant; ſive etiam propter eos, qui in* „ *correctione, quæ ſibi videntur, addunt, aut detrahunt*. „ Origenes Adamantius, Comm. in Matth. XVIIII. 19. p.381. *Plura exempla Criticorum inepte ſcripta emendantium, dabit Agellius*, Noctium Attic. L.I. c.7.

[3] *Vide Diogen. Laert.* de Placit. Philoſ. in Zenone L.VII. §.34. *qui id Athenodoro cuidam tribuit*.

[4] „ *Epiſtolas ſcripſi rogatus a fratribus. Sed illas miniſtri* „ *quidam Diaboli zizaniis impleverunt, quædam ex illis* „ *expungentes, quædam adjicientes .... Non mirum igitur* „ *videri debet, ſi Domini ſcripta quidam adulterare aggreſſi* „ *ſunt: quandoquidem adulterarunt, quæ talia non ſunt*. „ Dionyſius Corinthius apud Euſebium, Hiſt. Eccl. L.III. c.23.

Digitized by Google

lata, ſed ex integro ſuppoſita ſcripta profecta ſunt: quæ & inpoſuerunt veteribus, & ineruditis etiam recentioribus plerumque egregie inponunt. [1]

IIII. Præterea *Tempus*, rerum omnium edax, litteras ex inſcriptionibus, lapidibus, & multo magis ex membranis, ac ceteris codicibus delevit. Adeòque plurimæ lacunæ exſtiterunt, quas nulla arte aliquando implere & ſupplere poſſumus. Id Ariſtotelis, & Theophraſti libris eveniſſe, teſtis eſt gravis auctor Strabo. [2] Ex quo evenit, ut libros hujuſmodi humore, & blattis confectos & perforatos, Peripatetici tam peſſime interpretati fuerint, ut fruſtra Ariſtotelem in ipſo Ariſtotele, ne dum Ariſtotelicis, requiras. His itaque de cauſſis factum eſt, ut & libri omnes veteres [ſi Sacros excipias] ad nos uſque omnino depravati pervenerint; & tot alia apocrypha iis admixta fuerint, ut non niſi magno cum labore ac diligentia album ab atro ſecernere valeamus.

II.

De modo ſecernendi integros a corruptis; veros a ſuppoſiticiis.

Veruntamen haud difficulter hæc omnia diſtinguemus, ſi regulas quaſdam præ oculis ſemper habuerimus, quas viri peracris judicii ſervandas eſſe conſtituerunt: quaſque hic adnectere neceſſarium eſt, quo tirones contra ſubdolorum artes facilius muniamus. Hæ ſunt hujuſmodi.

I. *Suppoſiticii libri indicium eſt, ſi in veteribus codicibus alii tribuatur auctori: cum nulla ratio eſt cur ejus non habeatur, cujus nomen præfert. Interpolati vero, ſi in veteribus codicibus aliquid deeſt, quod in recentioribus reperitur. Mutilati, ſi aliquid deeſt, quod in antiquioribus codicibus exſtabat.*

Ratio eſt manifeſta. Nam non alio monumento conficimus, libros veteres ab illis hominibus compoſitos eſſe; niſi

Q

[1] *Videatur Hieron.* De Script. Eccl. *ubi plurima Apoſtolis, & eorum diſcipulis falſo tributa memorat*: & L.II. Contra Rufinum, & ad cap.XX. Hieremiæ.

[2] L.XIII. p.419. *edit. Caſauboniana Genevenſis*.

niſi ex ſcriptorum judicio æqualium, & ſupparium, quod veluti per manus traditum ad noſtra uſque tempora pervenit. Quare ſi illi germanum ſcriptoris alicujus partum agnoverunt, talis habendus eſt. Adeoque antiquiores inſcriptiones & tituli recentioribus præferendi ſunt, niſi graviſſima ratio nos cogat addubitare. Quod ſi codices ſint paris auctoritatis, & diverſis nominibus inſigniti, merito de conditore dubitabimus.

II. *Si, quæ a veteribus hominibus ex libro quopiam olim prolata ſunt, ea nunc in libro, eadem inſcriptione inſignito, deſiderantur, aut alius eſt, aut mutilus. Sin aliter legantur, ſuſpectus ſit oportet. Si omnia inveniantur ſine mutatione, germanus eſt: niſi aliæ ſint in contrariam partem ſuſpicandi rationes.* Res eſt perſpicua.

III. *Scripta, quorum nulla in priſcis catalogis mentio ſit, & quæ nec memorata ſunt ab ullo ſcriptorum ſequentium proxime ſæculorum; plerumque ficta judicanda ſunt: minimum ſuſpecta ſunt habenda.*

Caute tamen hujuſmodi argumentum *negativum* eſt adhibendum. [1] Et quidem *Phædri*, Auguſti cæſaris liberti, nemo, quod ſciamus, meminit, ante Feſtum Avienum, qui floruit imperante Theodoſio M. Similiter *Q. Curtii* nemo veterum Grammaticorum meminit: tamen ſi dictionem perpendimus, nec ille poſt Tiberii, nec hic poſt Veſpaſiani ætatem ponendus eſt: adeo uterque eſt cultus & elegans, & ætatem auream redolet.

IIII. *Quæ diſerte ſunt rejecta, aut in dubium vocata ab omnibus antiquioribus, ea vix propter recentiorum auctoritatem admitti queunt.*

Nam ratio oſtendit, eos, qui proxime illis temporibus vixere, certiores fuiſſe de rebus, quam nos.

V. *Liber, in quo dogmata occurrunt iis contraria, quæ ſcriptor, cujus nomen præfert, conſtanter defendit; videtur ejus non eſſe, præſertim ſi dogmata ſint magni momenti; minimum eſt interpolatus.*

Vera eſt regula: aliquando tamen non ſine aliqua limitatione uſurpanda. Nam uſu venit interdum, ut vir doctus, re

[1] *De* Argumenti Negativi *vi & uſu legi poteſt Launojus ſingulari diſſertatione ad calcem* L. de Fortuna Ariſt.

re accuratius examinata, ſententiam mutet, & in contrariam partem eat: quod exemplo Ciceronis, Hippocratis, Quinctiliani confirmari poteſt. Immo & ii, qui dubitandi artem colunt impenſe, ea in diverſis locis diſputant, quæ non cohærere videntur. Fallit aliquando ineruditos tum Philoſophos, tum Theologos, Cicero, quod in libris *de N. Deorum*, *de Finibus*, ceteriſque ex differentium Philoſophorum diſciplina diſputans, contrarias ſententias ſuas facere videatur: quod tamen non facit. Ipſe enim erat *Academicus*: id eſt, perpetuo diſputabat, nihil definiebat, ut ex hiſtoria Philoſophica notum puto.

VI. *Liber in quo memorantur res, aut perſonæ ſcriptore, cujus nomen præfert, recentiores; aut ejus non eſt, aut ab alio eſt auctus.*

Si liber plurimis additamentis refertus ſit, non injuria ſuſpicabimur, eſſe ſuppoſiticium. Quod ſi paucæ voces inveniantur, ſuſpicari poſſumus, adnotationes eſſe Criticorum poſitas in margine, quæ librariorum incuria in contextum irrepſerunt.

VII. *Liber indoctus, & inperitiæ plenus non poteſt ullo modo, aut ſaltim totus viro docto tribui: nec liber fabulis abundans viro non inepto, quem conſtat veri amantem fuiſſe: quamvis in vetuſtis codicibus eorum nomina præferant.*

Non eſt hoc loco ſermo de rarioribus nævis, quorum vix doctiſſimus quiſque expers eſt; ſed de frequentibus mendis, & flagitiis; quæ in virum doctum non cadunt.

VIII. *Liber in quo vel dedita opera tractantur, vel tanguntur controverſiæ natæ poſt tempora ſcriptoris, cui tribuitur; aut in quo deprehenditur ſcriptoris eo recentioris imitatio; ejus non eſt, cujus nomen præfert: minimum eſt interpolatus.* Res ſatis evidens eſt.

VIIII. *Si ſtilus ſit diverſus a certo aut ſæculi, aut ſcriptoris ſtilo, ejus non eſt, quamvis nomen ejus præferat. Sin autem ſit idem ac ſtilus alterius ſcriptoris, hujus liber cenſeri debet, ſi modo nihil impediat.*

Hæc regula plerumque vera eſt; tamen aliquando fallit. Nam idem libri ſcriptor pro ætate, pro argumento, pro lubitu multa ſcripſit ſtilo diverſo: quod ex certis operibus D. Auguſtini perſpicuum eſt.

X. *Vocabula inferioris ævi plane declarant, ſcriptorem*

eſſe recentiorem. In converſione vero ſi quid occurrat, quod conveniat linguæ, qua ſcripſiſſe conſtat auctorem, cui liber tribuitur; aut non eſt converſio, aut eſt interpolata.

Hæ regulæ tam ſunt rectæ rationi conſentaneæ, ut vix egeant probatione. Exemplis non nullis ad ſummum confirmari poſſunt. Ea qui cupit, legat eos [1] qui plurima & recondita eruditione de more iſta exornant & inluſtrant.

Caput IIII.

De teſtimonio Divino.

JAM teſtimonium Divinum, quamquam rem obſcuram & intricatam proponat, ſi modo nobis certo conſtet eſſe divinum, tam certam & exploratam rem facere, ut nefas ſit ei diſſentire, perſpicuum eſt. Deus enim nec falli poteſt, qui omnia ſcit: nec nos fallere, qui & ſumme verax, & bonus eſt.

Duo itaque tantum examinanda ſunt. 1. *An hoc teſtimonium ſit divinum.* 2. *Si divinum eſt, an hoc tantum modo ſit accipiendum.* De primo hic dicemus; de altero ſequenti capite diſputabimus.

Et quidem Deus hominem alloqui poteſt vel per ſe ipſum declarando menti ea, quæ vult: vel in cerebro ejuſmodi ſigna inprimendo, idque vel vigil ſit homo, vel dormiens: [quo modo cum Patriarchis, & Prophetis locutum fuiſſe legimus in Scriptura] vel claras voces edendo, & figuram aliquam oculis objiciendo: ut cum Moyſe in Horeb, & Sinài, immo cum omni Iſraelis populo, dum legem dedit, locutus eſt.

1. Si Deus per ſe ipſum loquitur, tam perſpicue ſua ſenſa declarat, ut homini ſano dubium non ſit, Deum eſſe locutum. Quidquid inepti homines, & melancholici non nulli fingant, qui, niſi dementes ſunt, de fallacia & malignitate merito poſtulantur. Quare de iis non diſputamus hoc loco.

II. Si

[1] *Clercius*, Art. Critica P.III. ſ.1. c.1. ſeqq. *Ex Catholicis plura exempla dabunt Langletus*, in Methodo ſtudendi Hiſtoriæ. *Seria* in Logica. *Corſinius* in Logica. *Fortunatus a Brixia* in Logica; *& alii paſſim*.

II. Si per alium loquitur, duo ſunt conſideranda: quorum alterum ad credendum pertinet; alterum ad confutandum repugnantes, eoſque convincendos de veritate noſtræ religionis. Itaque videndum eſt 1. *Quid eccleſia Romana, & Univerſalis ſentiat: quæ ſi dicit, Deum eſſe locutum, dubium non eſt, quin ita ſe habeat: nec homini fideli ultra inquirere neceſſe eſt.* 2. *Quid ratio, eaque in re Critica valde exercitata, oſtendat.*

Ac primo conſiderandum eſt, an homines æquales, & probatæ fidei, ſubactique judicii teſtentur, ſe in hujuſmodi auctore ſigna omnia divini adfatus vidiſſe, & qualia. 2. An res eas prædixerit propheta, quæ humanis rationibus nequeunt expediri: & an prædictioni eventus ſemper reſponderit. 3. Quibuſnam ſignis & miraculis ſe miſſum a Deo fuiſſe probaverit: & an conſentientibus omnibus. Nam ſi hæc concurrant, ut ea dixerit, & fecerit, quæ vires humanas ſuperant; ſi doctrinam humanæ rationi prorſus conſentaneam docet; ſi magna veneratione exceptus eſt ab æqualibus; dubium non eſt quin ejuſmodi homo divini numinis adflatu locutus ſit.

Jam vero cum conſtat, hominem adflatum talia dixiſſe; hæc ſupereſt religio, ut exploremus, an libri, qui res eas continent, ſint germani fetus ſacrorum hominum: & an ad nos uſque puri & intemerati pervenerint. Vel ſi quaſi per manus tradita ad nos venerit doctrina, illane pura ac nuda pervenerit; an temporis tractu, hominumque narrationibus mutata fuerit & corrupta.

Hanc autem religionem ſeu ſcrupulum facile removebimus, ſi, quæ ſequuntur, ſervabimus. Primo conſulere debemus Romanam eccleſiam: quæ ſi docet, hujuſmodi librum eſſe germanum, nefas eſt repugnare. Nam præterquam quod ab ſpiritu Dei, ne in his, & ſimilibus conſtituendis erret, dirigatur; ex conſtanti traditione accurate, cum opus fuit, examinavit, an libri ſint integri & ſinceri, an non: an hoc ſenſu ſint accipiendi, an aliter. Hæc ad noſtros. 2. Quoad exteros vero, & pertinaces, eſt illud etiam inveſtigandum, quid æquales dixerint ſcriptores: quid illi, qui paullo poſt fuere. Prorſus enim fieri non poteſt, ut tot homines oculati, & æquales, vel ſuppares decepti fuerint judicantes, hujuſmodi libros ab illis hominibus fuiſſe conſcriptos; idque iiſ-

iiſdem verbis, & ſententiis, quæ nunc exſtant. 3. Poſtremo loco diſquirendum, an ii, qui ea ab auctore divino ſcripta eſſe teſtantur, odio, amore, ſpe incitati dicant. Quæ omnia ſi cohærent, nullus niſi delirus negaverit, hujuſmodi libros, & doctrinam intemeratam ſervari.

Exemplo res fiet clarior. Libros omnes utriuſque Teſtamenti, qui a concilio Tridentino recenſentur, [1] eſſe divinos, ex hoc diſcimus, quod eccleſia Catholica, ab eccleſia Judæorum, & ab ipſo Chriſto, ac diſcipulis edocta, a primis uſque Chriſtiani nominis ſæculis docuit, utroſque a viris divinis ſcriptos fuiſſe, Deo ipſo dictante, vel cogitationes ſcriptoris ad eum finem dirigente. Id æquales homines, id illi, qui paullo poſt fuere, alii aliis ſuccedentes perpetuo teſtati ſunt. Id faſſi ſunt Ethnici non nulli æquales, qui ex talium librorum teſtimonio diſputabant contra noſtros. Id in ſingulis ſæculis agnitum fuit, & in conciliis Epiſcoporum conſtitutum. Id antiquiores verſiones T. V. ante Chriſtum factæ, ut Chaldaica, Syriaca, Samaritana, Græca: id aliæ poſt Chriſtum Græcæ, & innumeræ Latinæ; tum & Arabica, Aethiopica, Perſica, Gallica, Germanica, Hiſpanica, Anglica, ceteræ plane conficiunt. Id conſenſus omnium populorum, per terrarum orbem diſperſorum, qui Romano pontifici obtemperant, luculenter confirmat.

Præterea ſunt alia argumenta, quæ id ipſum apertiſſime demonſtrant. Primum condicio hominum, qui eos ſcripſerunt: qui fere omnes erant agricolæ, & paſtores, ac piſcatores, planeque indocti, & minime apti qui tale ſyſtema doctrinæ excogitarent, ut Veteris teſtamenti prædictiones exacte rebus geſtis in Novo reſponderent. Deinde ipſamet doctrina, quæ in iiſdem libris habetur, naturæ rationi conſentanea, & quæ undique ſanctimoniam reddit. Præterea ſtupenda miracula, quæ in Veteri teſtamento continentur: atque notiſſima illa Chriſti, & Apoſtolorum prodigia, quæ utriuſque codicis veritatem, & ſanctitatem demonſtrant. Poſtremo martyrum innumerabilis multitudo, qui graſſante in perniciem Chriſtiani nominis Cæſarum furore ignito, Chriſti doctrinam teſtati ſunt ſummo conſenſu. Quæ omnia, ut alia miſſa faciam, conficiunt evidenter, & libros eſſe divinos,

[1] Seſſ. IIII. decr. de Script. Canon.

vinos, & divini numinis providentia ad nos uſque incorruptos perveniſſe.

Non ſecus ac eadem argumentandi via, Homeri, Platonis, Cæſaris, Ciceronis, Virgilii, Plutarchi, ceterorumque libros veros eorum eſſe fetus probamus, nimirum ex veterum teſtimonio, & ſummo eorum, qui prioribus ſucceſſerunt, conſenſu. [1]

Contra vero iiſdem argumentis efficimus, Librum III. & IIII. Eſdræ, Lib. III. & IIII. Machabæorum; Lib. de Adſcenſione & teſtamento Moyſis; tum Itinerarium Clementis; Acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ; Epiſtolam Chriſti ad Abgarum regem; & id genus alia, quæ a non nullis veteribus Patribus citantur, divina non eſſe, ſed falſa & apocrypha: nam & id veteres animadverterunt, & tales libros Catholica eccleſia perpetuo repudiavit. Hæc inter vias adnotaſſe ſatis fuerit. Plura qui ſcire deſiderat, adeat auctores, qui de hac materia dedita opera ſcripſerunt. [2] Nos iis, tamquam a propoſito alienis, & parum adoleſcentibus accommodatis, ſuperſedemus.

CAPUT V.

De probabilitate Hermeneutica.

QUoniam vero ſcriptores aliquando ita ſcribunt, ut vel *breviter*, vel *obſcure*, vel *negligenter* ſua ſenſa declarent; iccirco verba ſunt expendenda, quo ſenſum auctoris facilius eruamus: id eſt, plane intelligamus, quales ideas ſuis verbis indiderit, & in animis legentium voluerit

[1] „ *Non aliunde veros auctores in libris etiam Ethnicis* „ *habemus exploratos, quam ex communi conſenſu, & teſti-* „ *monio eorum, qui fuerunt ante nos. Unde noverunt homi-* „ *nes Libros eſſe Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, niſi ex ea-* „ *dem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione conti-* „ *nua.* „ Auguſt. Contra Fauſtum L. XXXI. c. 6.

[2] *Huetius*, in Demonſtr. Evangel. & in Alnetan. QQ. *Graveſſon*, de Sacra Scriptura P. I. §. 2. & 3. & P. II. *Turre*, *aliique multi*.

rit ſuſcitare. Cum ergo ex legibus acri judicio ſancitis id facimus, & auctoris ſenſa veriſimiliter oſtenduntur; hæc vocatur *probabilitas Hermeneutica*, ſeu probabilis interpretatio.

De hac interpretandi ratione dilucide & erudite, poſt Grotium, & Puſendorfium, diſputavit clariſſimus Philoſophus, & Juriſconſultus Chriſtianus Thomaſius: [1] cujus nos in iis, quæ res naturæ conſentaneas ſpectant, veſtigia ſequemur. Regulæ autem, ad quas interpretationem noſtram exigere debemus, ita ſe habent.

I.

Oportet linguam, qua ſcriptor uſus eſt, & gentis hiſtoriam, cognitam plane & exploratam habere.

Primum enim differentium linguarum verba verbis perfecte non reſpondent: quod accurati interpretes politiſſimorum ſcriptorum ingenue faſſi ſunt. [2] Adeoque converſiones, quamtumvis diligenter conſcriptæ, auctoris ſenſum frequenter planum non faciunt. Nam ſi ſcriptores domeſticos legentes verborum ſenſum interdum non adſequimur, quia verba obſoleta, & contortæ phraſes facilis interpretationis non ſunt; quid de illis ſperandum, qui lingua nobis incognita loquuntur? Deinde cum plerique omnes ſcriptores gentis ſuæ mores in ſcribendo expreſſerint, niſi hæc nobis ſint explorata, vix aut ne vix quidem eorum ſententiam percipiemus.

Hinc cum libri Divini fœderis Hebræa, Chaldaica, & Græca lingua conſcripti fuerint; merito de temeritate & arrogantia poſtulantur, qui harum linguarum, atque vetuſtatis cum Sacræ, tum Profanæ expertes atque ignari, interpretandi negotium ſuſcipiunt.

Sine

---

[1] *In* Introduct. ad Philoſ. Ration. *ſed præſertim in* Praxi Philoſ. Ration. *& in* Inſtit. Juriſpr. Divin. L. II.

[2] *Inter ceteros Coſte in* Præfat. ad verſionem Gallicam Lockii.

II.

Sine ullo partium ſtudio, ſine præjudicatis ſententiis ſcriptoris verba ſunt exponenda.

Qui enim animum præjudiciis liberum non adfert, is profecto non ea in ſcriptore videbit, quæ ſcripſit: ſed omnia in pejorem partem detorquebit. Sane quam frequentiſſime id evenit.

III.

Sententiæ ſcriptoris non ex noſtris opinionibus ſunt inluſtrandæ, ſed ex auctoris ſententia: nec ſeorſum ſunt accipiendæ, ſed referendo ad ſyſtema doctrinæ, quod excogitavit; & tempus, quo ſcripſit.

Incredibile dictu eſt, quot homines, ceteroquin eruditi, hunc lapidem offendant. Ii enim vel mutila verba ſcriptoris, vel periodos a contextu ſejunctas interpretantes ſeorſum, idque ex domeſticis opinionibus & moribus; eum ſenſum ſcriptori adfingunt, de quo numquam cogitavit. Itaque non, quid alii dixere, ſed, quid interpretes ipſi exiſtiment illos dicere debuiſſe, vel laudant, vel tamquam ex tripode reprehendunt.

Quam multi ſunt, qui Carteſii, Leibnizii, Wolfii, ceterorumque Philoſophorum pronunciata, mutila ea quidem & corrupta, vel tamquam inepta derident, vel tamquam periculoſa caſtigant! Quam multi & pii, & docti ſeni Platoni, atque Alexandrinis Semiplatonicis, Jamblicho, Plotino, Porphyrio, Proclo, ceteris; tum & Stoicis, L. Senecæ, Epicteto, M. Aurelio imperatori, & multis aliis, Catholicas ſententias, ſimilitudine vocum decepti, tribuerunt, de quibus ne ſomniarunt quidem: & quæ ſyſtemati, quod condiderant, adverſantur! Itaque judicare ineptum eſt de ſcriptoris ſententiis, quin prius notum habeamus, e quibus fontibus hauſerit ſua, & quale ſyſtema condiderit.

IIII.

Verba cujuſcumque ſcriptoris in ſenſu obvio & ad verbum ſunt accipienda: niſi vel abſurdum ſenſum reddant, vel nullum.

Nam

Nam in rebus perſpicuis ineptum eſt, contortis interpretationibus uti, & quærere nodum in ſcirpo, ac myſteria ubi non ſunt.

Altera pars & ipſa eſt manifeſta. Nam recta ratio, & æquitas poſtulant a nobis, ne judicemus hominem ſanæ mentis iis verbis uſum fuiſſe, quæ vel abſurdum ſenſum faciant, vel nullum habeant effectum. Adeoque a germana vocum ſignificatione hoc caſu eſt recedendum.

Quod ſi perſpicuum ſit, auctorem vel ſanæ mentis non eſſe, vel eſſe jocatum, ceſſat interpretis officium. Merito ergo Juriſconſulti præcipiunt [1] ut verba *abſurda*, *inpoſſibilia*, *turpia*, *perplexa* ultimis voluntatibus adjecta, pro non ſcriptis habeantur: vel quia inſanus homo reputatur, vel ut pœnas det inprudentiæ.

V.

Si auctor dedita opera mutavit ſententiam, poſterior eſt præferenda.

Nam ii, qui veritatem anxie perquirunt, nulli dubitant errata ſua, ſi qua ſunt, corrigere. Proinde ita ſe habere judicandum eſt. Eadem regula obtinet in *pactis*, ſi eædem perſonæ paciſcantur: quia hæ poſſunt mutare ſententiam: non ita vero ſi cum alio, nam prior condicio ultimam antiquat. Inluſtrant hoc præceptum Philoſophi exemplo *ſponſalium*. Poſſunt enim qui ſpoponderunt ambo mutare voluntatem: non poteſt alteruter cum tertio ſponſo paciſci, quia jus quæſitum primo non tollitur a poſteriori pactione.

VI.

Si occurrunt in ſcriptore ſententiæ, quæ diſcrepantes videantur, in concordiam ſunt adducendæ, ſi modo poſſunt. Sin autem, utra vel rectæ rationi, vel auctoris ſyſtemati magis ſit conſentanea, ex legibus probabilitatis conſtituendum eſt. [1]

Si ver-

---

[1] L. I. & XIV. & XXVII. ff. de Cond. Inſt. L. XLV. ff. de Hered. Inſt.

VII.

Si verba non diſcrepantia ſunt, ſed dubia, & obſcura; ex conjectura eo modo ſunt inluſtranda, ut nihil abſonum, aut ineptum præſerant.

Ex regula quarta inluſtratur hæc. Conjectura autem ex triplici fonte eſt capienda. 1. ex ipſa *materia*, quæ in diſputationem venit. 2. ex locis *conjunctis*. 3. ex *fine*, quem auctor ſibi poſuit. De quibus ex ordine dicemus.

VIII.

Verba exponi debent eo modo, quo natura rei, de qua agitur, requirit: & ex ſenſu communi eſt judicandum.

Nemo enim eſt qui non videat, eum, qui aliquid ſcribit, velle ut verba ſua eo ſenſu accipiantur, quo prudentes homines ſolent accipere. Hinc Cleomenes, [2] qui feciſſet inducias aliquot dierum cum Argivis, noctu eos oſcitantes aggrediens, per ſummam injuriam profligavit: nugans in re gravi, ſe inducias dierum feciſſe, non noctium. Hinc etiam Pruſias [3] rex Bithyniæ, cum Hannibalem in fidem ſuam, & amicitiam recepiſſet; & Romani a Rege peterent, ne inimiciſſimum ſuum ſecum haberet, ſibique dederet; cavillabatur reſpondens, ne id a ſe fieri poſtularent, quod contra jus hoſpitii eſſet: ipſi, ſi poſſent, comprehenderent: locum, ubi eſſet, facile inventuros. Nam fides data hoſpiti hoc præferebat, ne pateretur in regno ſuo comprehendi. Hæ conjecturæ ex *materia* capiuntur.

Quod

---

[1] *Quonam modo in legibus, & pactionibus exponendis ea regula uti debeamus, copioſe docet Cicero* de Inventione L.II. c.49. *& ex ejus doctrina Grotius, & Puſendorfius, in locis paullo poſt dicendis.*

[2] *Plutarch.* Apophth. Lacon. p.223.

[3] *Nepos* in Hannibale fine.

VIIII.

Quod ſi ne hoc modo quidem res poteſt dilucidari, conferenda ſunt loca antecedentia, & conſequentia: tum etiam quæcumque loca occurrunt, in quibus de eadem re diſputat, accurate ſunt examinanda; ut auctoris ſenſus veriſimiliter eliciatur.

Nam ſæpe ex contextu libri vera mens conditoris conſtat: & quod uno loco obſcure dixit, in alio habetur explicate. Vel quod melius data opera ſe explicare voluerit; vel quod aliquid caſu addiderit, ex quo priori ſententiæ lux adfulget. Multo facilius hominis mens percipi poteſt, ſi diverſis in locis, ac temporibus eamdem materiam tractat. [1].

Uſitata Juriſconſultis, qui modo hoc nomine ſunt digni, eſt hæc interpretandi ratio: [2] ut docent præter ceteros, illa Juriſprudentiæ lumina, Gothofredus [3] Reinoldus [4] Labittius. [5] Quod etiam ceteri viri docti magno cum operæ pretio facere conſueverunt. Hac methodo Philoſophi naris emunctæ conferentes loca, in quibus Ariſtoteles hanc vocem ἐντελέχεια *entelechia* uſurpat, plane deprehenderunt, nihil eum hujuſmodi voce notare voluiſſe, ſed lectoribus facere fucum. Hæc conjectandi via vocatur ex locis *conjunctis*: ea, quæ ſequitur, ex *fine*.

Leges

---

[1] „ *Qua in ſententia ſcriptor fuerit, ex ceteris ejus „ ſcriptis, factis, dictis, animo, atque vita ejus ſumi oportebit.* „ Cicero de Invent. L.II. c.40.

[2] „ *Incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula ejus poſita, judicare, vel reſpondere.* „ L.XXIII. ff. de Legibus, & L.XXVI. ff. eodem, & L.CXXXIV. ff. de Verbor. oblig.

[3] Comment. in Reg Jur., & Comment. in Cod. Theodoſian.

[4] Diſſert. & Orat. de Leg. Inſcript.

[5] In Uſu Indicis Pandect.

Digitized by Google

X.

Leges autem, & pacta explananda ſunt ex fine, *id eſt, ex* ratione *utriuſque*. [1]

Nam, ut recte Juriſconſulti ponunt, *ratio eſt anima legis*: quod etiam locum habet in pactis. Hinc ceſſante generatim fine, media etiam ceſſare debent. Ideoque ex fine utriuſque judicandum eſt.

E. g. Jubet legislator, propter graſſantis luis periculum, ne peregrini admittantur. Hinc, ceſſante peſte, peregrini denuo ſunt recipiendi. Quod ſi ceſſat in uno tantum caſu, eoque rariſſimo, lex non tollitur. [2] Exemplo ſit inpubes, cui citius prudentia rerum civilium adfulget: qui nihilo plus teſtari poteſt, quam reliqui inpuberes. Eſt enim hoc monſtri ſimile, nec a legislatore præviderі potuit, aut ſperari.

XI.

Hinc ſi ratio legis latius pateat verbis ejuſdem, utemur interpretatione extenſiva. * *Si verba latius pateant ratione*, reſtrictiva. ** *Si verba, & ratio æque pateant*, declarativa. ***

* Extat in Exodo [3] talis lex: *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit ciſternam, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, reddet dominus ciſternæ pretium jumentorum*. Hic evidens eſt, legislatorem nomine *ciſternæ* comprehendiſſe quamcumque foſſam: & nomine *bovis*, & *aſini*, omne genus animantis.

** Lex erat apud Romanos [4] *Ut ne quis patronus libertos jurejurando ſibi obligaret, ne uxorem ducerent, neve liberos procrearent. Titius caſtratum libertum jurejurando ſibi*

[1] *De hac materia fuſe, & ornate diſputarunt Grotius*, de Jure Belli, & Pacis L.II. c.16. *& Puſendorfius*, de Jure Naturæ & Gent. L.V. c.12. *ex quibus pleraque ſumſit Thomaſius* Inſtit. Juriſpr. Divinæ L.II. c.12.

[2] L.III. & IIII. & ſeqq. ff. de Legib.

[3] Cap.XXI. 33. 34.

[4] L.VI. ff. de Jure Patron.

Digitized by Google

ſibi adegit ne liberos tolleret . Poſtulatur de crimine . Hoc caſu eſt manifeſtum, de his legem ſentire, qui liberos tollere poſſunt : adeoque legem limitare debemus .

*** Tertia pars abunde eſt perſpicua . Hinc illud effatum : *Ubi eadem ratio , ibi eadem juris diſpoſitio eſt* . Quod tamen in inmunitatibus locum non habet, quæ ad exemplum non trahuntur . [1]

XII.

Hinc in dubio , an ſtricte accipi debeat lex , ea interpretatio eſt amplectenda , quam æquitas requirit .

Aequitas autem Juriſconſultis eſt: *Virtus correctrix ejus, in quo lex propter univerſalitatem deficit* . Fundamenta æquitatis ſunt , *recta ratio* , *virtus* , *benignitas* , *humanitas* . Quæ vocabula non ex vulgi ſententia , qui ea perverſe interpretatur , ſed Philoſophorum ſunt accipienda .

Hinc , ut recte cum aliis monet Heineccius , ſi quis *ſtupiditatem* pro recta ratione ; *vitium* pro virtute ; *nimiam indulgentiam & conniventiam* pro benignitate & humanitate amplectitur ; & ad hæc principia interpretationem ſuam accommodat ; non eſt hæc æquitas , ſed ſtultitia , & temeritas . [2]

XIII.

Hinc in dubio benignior legis interpretatio eſt præferenda : præſertim in odioſis , *&* favorabilibus . [3]

SCHO-

[1] L.1. §.2. ff. de Conſtit. Princip.

[2] *Egregie hæc inluſtrat Grotius* , Comment. de Aequit. Indulg. & Facilitate,c.1. *quod eſt ad calcem Operis* de Jure Belli , & Pacis . *Confer. Puſendorfius loco cit.* §.XXI.

[3] *Nullam accuratam dari poſſe definitionem* favorabilium , *&* odioſorum , *quod , quæ odioſa unis ſunt , aliis ſunt favorabilia , fuſe oſtendit Thomaſius* , Inſt. Juriſpr. Divinæ L.II. c.12. §.159. *& in* Appendice *hujus Cap. contra Placium . Idem tenuit Titius* , Obſerv. CCCCXXVIII. ſeq. *& ex horum doctrina Barbeyracius* in Puſendorfii laudatum locum §.XII. ſeqq. *Verum eorum doctrina regulæ noſtræ non adverſatur , ſi ea recte intelligatur* .

SCHOLION.

De interpretatione Divinorum librorum addemus pauca: cum quia leges hucuſque expoſitæ, ſi penitus intelligantur, ſapientem eorum faciant interpretem; tum quia alienum a propoſito videtur, tironem in ea inmergere, quæ tritum hominem arte Critica requirunt, & plurima ac recondita doctrina perpolitum. Veruntamen non nulla, & magis neceſſaria ſubjiciemus.

De Sacrorum librorum interpretatione.

I.

Libri ſacri utriuſque Fœderis eo tantum modo ſunt accipiendi, quo Catholica eccleſia perpetuo accepit.

Nam eædem Scripturæ docent, [1] eccleſiam Catholicam divino numine dirigi, ne erret ſcripta Dei interpretando. Profecto omnibus Chriſtiani nominis ſæculis ad Eccleſiam in Conciliis res graviſſimas conſtituentem, vel ad ipſam Romanam eccleſiam, quæ caput eſt Univerſalis eccleſiæ, pro earum interpretatione Chriſtiani homines confugerunt: ejuſque decretis magna cum animi demiſſione obtemperarunt. [2] *Scriptu-*

---

[1] „ *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit* „ *vobis, ut maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis.* „ Joan. XIIII. 16. „ *Paraclitus autem ſpiritus Sanctus,* „ *quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,* „ *& ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* „ ibid. v. 26. Et alibi: „ *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſ-* „ *que ad conſummationem ſæculi.* „ Matth. ultim. v. 20.

[2] „ *Sequor tractatum concilii Nicæni, de quo me nec* „ *mors, nec gladius poterit ſeparare.* „ Ambroſ. Epiſt. XXXII.

„ *Nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate* „ *ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio terminata ſunt; id autem fiducia ſecuræ vocis adſerere,* „ *quod in gubernatione Dei, & Domini noſtri, & Salvatoris* „ *Jeſu Chriſti Univerſalis eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* „ Aug. de Bapt. L. VII. c. 53.

II.

Scriptura Sacra data homini fuit, non ut nos Logicos, Metaphyſicos, Phyſicos, Aſtronomos faceret: ſed ut viros probos, ac ſanctos faceret, & ad beatitatem perduceret.

Sane ſi Divini libri aliquid diſerte & explicate & expreſſis verbis de talibus ſcientiis traderent, dubium non eſt, Scripturæ ſententiam multis nominibus ceteris fore præferendam. Cum vero Patrum teſtimonio habeamus [1] ſcripturam Sacram eſſe epiſtolam Dei ad Hominem miſſam, per manus Prophetarum, & Apoſtolorum, quo ei nota faciat, quæ ad beatum adſpectum hominem perducant; fit conſequens, male facere eos, qui Philoſophorum ſyſtemata Scripturæ verbis, ex ſono, non ex fine acceptis, quaſi ſepimento aliquo, vallare conantur. [2] Quamobrem nobiliores ſententias, longeque differentem ſenſum in Sacris libris quærere debemus.

III.

Hiſtorici Libri, & qui Moralem philoſophiam continent, faciliori ratione ſunt explanandi: qui vero ad Poeſin, vel Oratoriam formam accedunt, ſubtilius dilucidandi ſunt. Ita-

[1] „ *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad* „ *docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudien-* „ *dum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus* „ *bonum inſtructus.* „ Paul. II. Timoth. III. 16.

„ *De illa civitate, unde peregrinamur, litteræ nobis* „ *venerunt. Ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut* „ *bene vivamus.* „ Aug. Conc. II. in Pſal. 90.

[2] *Ut Zeiſoldus*, de Conſenſu Ariſtotelis cum Scriptura Sacra: *Amerpoelius*, Carteſius Moſaizans: *Dickinſonus*, de Naturali veritate Hexaëmeri Moſaici. *Burnetius*, Theoria ſacra Teluris. *Whiſtonus, ceterique, qui* Philoſophias Moſaicas *quaſdam commenti ſunt. Qui quidem ſyſtemata ſua vel vetera, vel nove excogitata, non dico Scripturæ non repugnare, quod Chriſtiani, & Catholici eſſet; ſed in ea omnino expreſſa & probata reperiri, per ſummam temeritatem dixere.*

Itaque, qui ſcribunt Hiſtoriam, ut Moſes in Pentateucho, & auctores Regum, ac Paralipomenon, videntur voluiſſe nobis tantum res geſtas narrare. Item, qui doctrinæ libros ſcribunt, ut auctor Sapientiæ, & Eccleſiaſticus, nihil aliud velle videntur, quam nos ſapientiſſimis imbuere præceptis. Quapropter pæne ad verbum ſunt accipiendi. Qui vero enthuſiaſmo quodam adflati ſcribunt more Poetarum, ut Jobus, & David, & Salomon in Eccleſiaſte, & Cantico; tum & qui res ſublimes Oratorio ſtilo exprimunt, ut Prophetæ, ceteri; ii cum plurima abſtruſiora tradant, non ad litteram, ſed ad tropum ſæpenumero trahendi ſunt.

IIII.

Myſticus ſenſus tunc ſolum in Scripturis quærendus eſt, quando alio ſenſu non poſſumus eas interpretari: id eſt, cum vel Eccleſia myſticam ſignificationem agnoſcit; vel adjuncta id ſuadent; vel demum graviſſimi interpretes iis verbis contineri putant.

Præcipua hæc interpretandi Scripturam regula eſt. Peccarunt in eam plurimi interpretes, ii præſertim, qui nulla eruditione linguarum Orientalium, nullaque habita ratione locutionis Judæorum, tum *Hebraizantium*, tum *Helleniſtarum*, Sacros codices ſunt interpretati. Hi enim in ſingulis verbis ſingula myſteria ſe videre ſibi perſuadent; & infantibus ſimiles mirantur omnia, quæ non intelligunt.

E. g. Legitur in Scriptura: *Mons Dei*, *Cedrus Dei*: quæ altiſſimos montes, & cedros deſignant: illi tamen confidenter ajunt, utrobique rem ſanctam & ad Deum pertinentem ſignificari. Interdum vero legimus: *Zelo zelatus ſum pro Domino*: *Fornicans fornicabitur terra*; *Morte morieris*: *Videbo viſionem*: *Videndo vidimus*: & his ſimiles locutiones emphaticas, quæ Judæis erant peculiares. Quas cum non intelligant interpretes non nulli, myſteria quærunt in iis.

Atque ſi adtendiſſent hi homines ad Hebrææ linguæ idiotiſmos, & mores Orientalium gentium, multo ſapientius ſcripturam Sacram fuiſſent interpretati. Orientales enim omnes peculiare hoc habebant, ut emphaticis vocibus, tropis, parabolis, allegoriis, ænigmatibus præter modum delectarentur: adeo eorum ſermo vix aliud quam tropus

erat. Nec Hebræi modo, ſed Aſſyrii, Chaldæi, Phœnicii, Arabes, & his ſimiles tali conſuetudine utebantur. Chriſtus ipſe, & Apoſtoli, ut ſe ad populorum mores, & captum accommodarent, in parabolis loquebantur.

Itaque, qui hæc non ſentit, & ſedulo expendit, prorſus fieri non poteſt, quin nugas & ineptias venditet lectoribus. Qui vero hæc probe callent, ut recentiores doctiſſimi faciunt, ii tametſi plane fatentur, plurima obſcura eſſe in ſcriptura Sacra, propterea quod Hebræorum linguam, hiſtoriam, conſuetudines, & doctrinam perfecte non adſequimur; tamen & ineptias fugiunt ſtudioſius, & veriſimiliorem interpretationem perquirunt. [1]

CAPUT VI.

De probabilitate Morali, & Phyſica.

I. P*Robabilitas Moralis* tunc habetur, quando ex ſignis quibuſdam, quæ homines præ ſe ferunt, aliquid vel occultum declaramus, vel prædicimus futurum. Hæc, pro rebus, quas prædicit, appellatur vel *Politica*, vel *Practica*.

1. E. g. Video Petrum cum amicis in foro colloquentem: Obſervo gravem hominis inceſſum, rara verba, vultum ad ſeveritatem compoſitum, motus omnes ad oſtentationem comparatos. Hinc judico probabiliter, *Petrum eſſe ambitioſum*: id eſt, quærere ſtudioſe, quæ ipſi adferunt honorem. Video Paullum facie ſubtriſti, adſpernantem licitas voluptates, deditum lucro, adtrita & ſordida veſte, qui perpetuo clamitat, ſe eſſe pauperem. Hinc probabiliter infero, *Paullum eſſe avarum*: id eſt, ea tantum ſuſpicere, quæ ipſi adferunt utilitatem. Hæc autem divinandi ratio, quæ ex ſignis externis ratiocinando animi propenſiones inveſtigat, & declarat, vocatur *probabilitas Moralis* ſeu *Practica*.

2. Aliquando vero ex hominum conſiliis futurum aliquem eventum prædicimus. Polybius, homo Græcus, & Scipionis familiaris, cum animadverteret, Romanam rempublicam tot eſſe vexatam diſſidiis, & inteſtinis bellorum fluctibus-

[1] *Legi poteſt. Richardus Simonius*, Hiſt. Critica Veter. Teſtam. & *Calmetus*, Præf. Comment. Biblicor.

fluctibus agitatam; prædixit, brevi interituram fore, & ad unius poteſtatem eſſe reverſuram: quod certe evenit. Cato Uticenſis cum primum ſcivit, Craſſum, Pompejum, & Cæſarem triumviratum tametſi occulte iniviſſe, dixiſſe fertur: *Ergo interiit reſpublica*: quod obtigit paullo poſt.

Idem plurimi viri docti, & rerum civilium uſu ſubacti, quique multum & diu viciſſitudines rerum publicarum, & cauſſas mutationum, & ſecretas imperantium artes meditati fuerant; magna cum omnium approbatione prædixerunt: nec modo ex eventibus conſilia, ſed ex conſiliis eventus futuros cecinere ut vates. Hæc divinatio peculiari vocabulo nominatur *probabilitas Politica*.

Verum hæ conſecutiones ſunt magis, & minus probabiles, non ſecus ac judicandi vis, & uſus rerum in iis, qui conjectant: qui, ſi multum proſpiciunt, multo verius & probabilius judicant. Et hinc inluſtres homines, & in hac arte celeberrimi exſtitere; quorum vel una Italia, Politicorum nutricula, bene multa ſuppeditat exempla. [1]

Probabilitas Phyſica tunc datur, cum ex obſervatione phænomenorum, aut ſenſionum, hypotheſin aliquam cogitamus, quæ phænomena omnia dilucide explicet & perite.

E. g. Ut conſtituerent Philoſophi, quænam cauſſa æſtus maritimos accedentes, & recedentes efficeret, in diverſas abiere ſententias. Veterum ſententiæ, ut Platonis, Apollonii, Stoicorum, & Ariſtotelis, ſunt meræ ineptiæ, quæ nihil explicant. Primi Recentiorum Galilæus, Walis, Carteſius, aliquid melius cogitarunt: quæ tamen hypotheſes, quod non omnia phænomena commode explicent, probabiles non videntur; vel ſaltim infimum gradum habent probabilitatis. Hypotheſis vero Cl. Nevvtoni, quæ tribuit omnia adtractioni & Lunæ, & Solis; probabiliter explicat adjuncta omnia, quæ in hoc phænomeno occurrunt: iccirco reliquis eſt præferenda.

R 2 Quod

[1] *Inter eos, qui ſcriptis claruerunt, eminent Trajanus Boccalinius, Petrus Victorius, aliique: ut taceam Nicolaum Machiavellum, hominem eum quidem doctum, & acutum, ſed merito profligandum. Ceteros, qui uſu valuerunt, commemorare non eſt neceſſe.*

Quod ſi hypotheſis, quam pono, eſt talis, ut ex ea nequeam probare, rem ita ſe habere; non eſt hypotheſis, ſed *fictio*.

E. g. Cum dicunt Peripatetici, *horrorem vacui* eſſe cauſſam, cur antlia hauriat aquam, eſt mera fictio: quia talia verba ſunt *verba nihili*, quæ non explicant, cur aqua triginta duos pedes adſcendat, ultra non adſcendat, ut in antlia mille pedes longa.

Si vero hypotheſis recte phænomena exponit, verum phænomena tam poſſunt ex hac cauſſa, quam ex alia, explicari, non eſt vera hypotheſis, ſed *poſſibilitas*. Hujuſmodi eſt hypotheſis Honorati Fabri de *materia planetarum*.

Quo vero facilius probabiles hypotheſes inveniamus, oportet ut pro principiis ſumamus phænomena explorata, & omnibus pervia: atque omnes cauſſas poſſibiles inveſtigemus, excutiamus accurate, ex iiſque eligamus veriſimiliorem. Verbo dicam: oportet cogitationes noſtras exigamus ad leges, quas paullo ante tradidimus. [1] Hæc enim ſunt certiora loca, ex quibus ratiocinantes probabiliter judicamus: cetera, quæ vulgo docentur, inepta. [2]

Pau-

---

[1] *Hoc* Libro P.I. c.5. & P.II. c.2.

[2] *Veteres Logicam ſuam in duas partes diſpertiebant. Altera erat ars inveniendi communes locos, ex quibus res quælibet probabiliter conficeretur: quam vocabant* Topicen. *Altera judicandi artem perſequebatur, quæ erat* Dialectice. *Ariſtoteles* VIII. libros de Topicis *ſcripſit. Cicero & ipſe* Topica *ad C. Trebatium Teſtam conſcripſit, breviter & perſpicue, & multo, mea ſententia, Ariſtotele accuratius.*

Sed quamquam Veteres Topica *laudarint vehementer, perſuaſum eſt omnibus, qui libero judicio utuntur, nihil tam eſſe inutile, vel de* Logica *ſit ſermo, vel de Rhetorica. Id tamen uſu & obſervatione certum habemus: niſi quis materiam, de qua loquitur, calleat; multis litteris iiſque reconditis imbutus ſit; & ratiocinandi regulas, quas dedimus, habeat perſpectas; numquam eum aliquid apte & convenienter eſſe dicturum: etiamſi libros octo Ariſtotelis memoriter recitare poſſit. Quapropter hæc ſunt vera* Topica, *ex quibus utilia argumenta promuntur.*

Quod

Pauca tamen obſervanda ſunt de vi ac poteſtate nominum, ſeu de generibus probabilitatis. Ergo cum veritatem cognoſcimus ex ſignis, quæ unius rei non ſunt peculiaria, ſed cum aliis communia, hujuſmodi cognitio vocatur *præſumptio*: ſi ex ſignis propriis, *conjectura*.

E. g. Si ex propria & interiori Petri diſciplina colligo, eum eſſe voluptuarium; hæc eſt *conjectura*. Si ex eo, quod Petrus eſt inpubes, infero, non eſſe eum talem, qui ratione ſapienter & libere poſſit uti; hæc eſt *præſumptio*.

Si tam mihi cognitio una probabilis, quam ejus adverſaria videtur, exſiſtit *dubitatio*, id eſt, abſtineo a judicando. Quod ſi non dubitem de tota re, ſed de adjunctis levioris momenti, erit *ſcrupulus*.

1. E. g. Sunt homines, quibus æque probabilis videtur opinio, quæ ponit, corpus infinite dividi poſſe; & hujus adverſaria, quæ defendit, diviſionem tamdem aliquibus corpuſculis omnino inſectilibus fore definiendam. Ergo hic homo incertus erit, in quam partem diſputet: &, ſi ſapit, tempe-

---

Quod & ipſe Cicero profitetur hoc modo: „*Sed hi loci* „*ei demum Oratori prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus,* „*vel uſu, quem ætas denique adfert; vel auditione, & co-* „*gitatione, quæ ſtudio & diligentia præcurrit ætatem.* „*Nam* . . . . *ſi erit idem in conſuetudine civitatis, in exem-* „*plis, in inſtitutis, in moribus ac voluntatibus civium ſuo-* „*rum hoſpes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus* „*argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus eſt, ut* „*agro non ſemel arato, ſed novato, & iterato, quo melio-* „*res fetus poſſit, & grandiores edere. Subactio autem eſt,* „*uſus, auditio, lectio, litteræ.*„ De Oratore II. c.30.

Itaque Topica *omni eruditione deſtituta, monente viro doctiſſimo, eſt*, Ars temere, & inpudentiuſcule loquendi de iis, quæ nobis ſunt incognita. *Qui vero rem callet, is quidem, tametſi* Topicorum *expers, tamen appoſite dijudicabit, natura ad id, & exercitatione inpellente. Si quis tamen Locorum nomina ſcire per otium cupit, legat* Artem Cogitandi P.III. c.18. *Sed prius perpendat, quæ vir acutiſſimus in ea præfatur cap.17.*

temperabit a judicando. 2. Litterati omnes pro certo habent, Epiſtolas, & Orationes, & libros Philoſophicos Ciceronis, tum & Lucretii, & Virgilii, & Horatii poemata, eorum eſſe germanos partus, quibus tribuuntur: at dubitant de rebus bene multis Geographicis, Chronologicis, Genealogicis, Philoſophicis: quæ dubitationes *ſcrupuli* ſunt nominandi.

Fieri tamen poteſt, ut rem nobis minime probabilem, aliis faciamus probabilem, argumentantes ex principiis ab iis admiſſis: quod Philoſophi vocant, *argumentari ad hominem*.

E. g. Ait Epicureus, *Deos ſuos habere non corpus, ſed quaſi corpus; nec ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem*. [1] Ex his Philoſophus quiſque non ineptus evidenter probat, hujuſmodi Deos nullos eſſe: nec aliud voluiſſe Epicurum, quam odium Athenienſium declinare, & oſtendere, ſe Deos voce retinere: quos tamen a Mundi fabricatione, & procuratione removebat: nec gratia, nec ira moveri prædicabat: atque omnis negotii expertes in intermundia, tamquam in ſolitudinem, relegabat: verbo dicam, proprietatibus divinis privabat omnibus. En *argumentum ad hominem*.

COROLLARIUM I.

Hinc poteſt propoſitio eſſe probabilis uni, alteri vero non probabilis.

Nam poteſt alter adſequi rationes, quæ eam faciunt veriſimilem: alter non item.

COROLLARIUM II.

Hinc probabilis propoſitio poteſt eſſe reapſe falſa.

Nam etſi videar mihi acu tetigiſſe rem, tamen fieri poteſt ut fallar: quod ſæpiſſime evenit.

COROL-

[1] *Cicero*, de Natura Deorum L.I. c.25.

COROLLARIUM III.

Hinc ſi plurima argumenta probabilia de eadem re con-gomerentur, tam probabilem rem faciunt interdum, ut vix are perſpicue demonſtrata differat: quod ipſum vocatur evi-ientia moralis.

Ex quo apparet, quantam utilitatem adferat homini-ius eruditis, & qui de rebus pro merito judicare amant, loctrina *probabilitatis*.

Digitized by Google

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE RE LOGICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER SEXTUS

DE

INVESTIGATIONE, ET EXPLICATIONE VERI.

PARS PRIMA
DE INVESTIGATIONE VERI.

CAPUT I.

De Meditatione recte inſtituenda.

COgnitio veri cum certi, tum probabilis vix aut nullo modo Philoſopho ſuffragatur, niſi ipſe teneat viam novas & reconditas notiones inveſtigandi; in iiſque perquirendis tantum ſe exerceat, quantum neceſſarium erit, ut Philoſophi nomen cum dignitate tueatur. Nam ſi paucis iſtis notionibus, quæ magis obviæ ſunt, & non meditatione & labore, ſed per ſe ipſæ nobis, vel aliud cogitantibus, occurrunt, ſumus contenti; qui ab indoctis hominibus differemus, qui eiſdem, quibus nos, rerum imaginibus perfuſi ſunt? Quis enim Philoſophi nomen homini tribuet, qui, nulla habita ratione Philoſophicæ meditationis, paucis & vulgatis perceptionibus, quæ vel ſponte ſe of-

ſe offerunt, vel ab aliis accepit, ſcientiæ, & laboris ambitum definit?

Ac ſane veteres illi & magni nominis Philoſophi, ut Plato, & Ariſtoteles, & Leucippus, & Democritus, & Epicurus, & Pythagoras, & Archimedes, & Hippocrates: tum & recentiores clariſſimi, ut Verulamius, Galilæus, Carteſius, Gaſſendus, Boyleus, Nevvtonus, Leibnizius, Wolfius, ceteri, qui inmortalem ſibi gloriam apud poſteras gentes lucubrationibus ſuis compararunt; qui, inquam, ad tantam excellentiam pervenerunt, niſi quia naturæ contemplationi cum ſe totos dediſſent, adſidua indagandi exercitatione, & alias cum aliis ideas conferendi, pulcerrimam cognitionum ſegetem elicuerunt, qua nihil vel cogitari poteſt præſtantius? Profecto meditatio nota certa & peculiaris eſt, ex qua litteratum ab indocto; doctorem a diſcipulo; hominem ſtudiis ſubactum a tirone ſecernimus. Ut qui meditationem prorſus omnem reſpuentes, memoriam plurima & incondita eruditione fatigant, ii quidem pſittacorum inſtar, qui ea, quæ ſæpe audierunt, inculcant; ab doctorum hominum concione ſibilo explodendi eſſe videantur.

Ergo Philoſophus; qui aliquam doctrinæ præſtantiam adipiſci cupit, primum det operam, ut meditationi diligentius vacet. Eſt autem meditatio: *Applicatio cogitationum noſtrarum ad explorandam veritatem, ſecundum leges ſapientiſſime conſtitutas: ita ut ſemper notiones veras ex aliis notionibus perſpicuis derivemus*. Adeoque meditatio non eſt negotium hominis, qui nullas adhuc cognitiones veras adquiſivit: ſed ejus tantum, qui copia perceptionum evidentium perfuſus eſt.

Leges autem recto ordine inſtitutæ, ad quas inveſtigationem & meditationem noſtram dirigere debemus, vocantur Philoſophis *Methodus*. Eſt autem methodus dupliciter: altera *Analytica*, altera *Synthetica*. Analytica eſt, quæ, poſita propoſitione, cujus veritatem volumus explorare, eam in partes dividit, uſque donec ad principia, ex qnibus ducitur, pervenit. Synthetica eſt, quæ ex principiis certis novas concluſiones perſpicue & naturali nexu deducit: quæ dicitur methodus naturæ, & quam præter ceteras ſervant Geometræ: de qua poſtea diſputabimus.

E.g. Di-

E. g. Diſputaturus de *Homine*, primum conſidero, in eo eſſe *corpus*, & *animum*. Deinde corporis, & animi proprietates ſingulatim examino. Tum proprietates utriuſque partis dum conjunguntur: donec ſingula diſputando percenſeam, & intelligam, ex quibus partibus & principiis componatur. En *Analyſis*. His diligenter explicatis, ex iiſdem principiis ducendæ ſunt concluſiones: ex his rurſum aliæ concluſiones, ex quibus diſciplinæ corpus componitur. En *Syntheſis*.

I. Sed fruſtra meditationi vacabimus, niſi prius impedimenta omnia, quæ nos deterrent, ſemoveamus. Itaque hoc primum ſervandum eſt, ut præjudicia omnia, tum ea, quæ vocant *auctoritatis*, tum ea, quæ vocant *præcipitantiæ*, ſtudioſe caveamus. Quamobrem ſic animum ad meditandum comparare debemus, quaſi nulli umquam homines de his rebus nobiſcum fuerint locuti: non parentes, non domeſtici, non præceptores, non amici, non populares; verbo nulli, quorum auctoritas in hanc partem potius, quam in aliam, nos trahat.

Quod ſi anticipationibus & præjudicatis ſententiis vacui omnino non ſumus, &, an ita ſimus, nec ne, non habemus exploratum; dubitare etiam debemus non quidem de *criterio veritatis*, quod erat Scepticorum delirium; ſed de nexu propoſitionum: & curioſe perſcrutari, an aliæ ex aliis perſpicue fluant, an non. Sic facile percipiemus, graviſſimos homines aliquando pueriliter lapſos eſſe: indoctos vero quædam non contemnenda, nec inepta dixiſſe. Atque in hoc examine non præcipitanter, quod facile in errorem inducit; ſed meditate & lento pede eſt procedendum.

II. Quoniam vero notiones veræ, & perſpicuæ homini quamvis præjudiciis vacuo non occurrunt ſponte, ſed labore & indagatione adquiruntur; ut id facilius conſequamur; intendamus aciem mentis, quam *adtentionem* nominamus. Adtentio autem excitatur, cum animo pacato rem contemplamur. Cum vitamus res, quæ ſenſus noſtros vehementer pulſant: ut ſunt ſtrepitus, & hominum altercationes, atque hora matutina meditamur. Cum adſidue rem eamdem tractamus. Cum litteris meditationes noſtras conſignamus, quo commodius, & quaſi ictu oculi earum nexum percipere valeamus.

Hæc

Hæc tamen, ut verum fatear, magis adtentionem conſervant, quam excitant. Quod ſi homo non ſentiat, ſe ad meditandum eſſe propenſum, induſtria aliqua & arte intentionem animi excitet neceſſe eſt. Cum enim hominibus natura inſit *delectationis*, & *honoris* cupiditas, ad quas impetu quodam naturæ feruntur omnes; facile is adtentionem excitabit ſi propoſuerit ſibi, veritatis inveſtigationem fontem eſſe omnium *bonorum*, & honeſtarum *delectationum*: nullamque ſine ea veram delectationem conſequi poſſe.

III. Sequitur examen rerum, & comparatio idearum: quæ cum a ſenſibus ortum ducant, oportet uſu & experientia *claras* ac *diſtinctas* ideas adquirere: quo melius ex primis notionibus, inter ſe collatis, novas ideas & notiones eliciamus. [1]

Quod ſi plures & accuratas habebimus obſervationes, ſeu, quod idem eſt, *conſtantem experientiam*; facilius multo definitiones eas comparabimus, quæ claram rei, & adæquatam offerant ideam: quod ipſum eſt veritatem in bono lumine collocare, ſeu, ut Philoſophi vocant, accurate demonſtrare. Jam vero ſi rem diligenter dividimus, & ſingulas partes iterum definimus, [1] multo plures fontes habebimus, ex quibus veritas vel ſine labore profluet.

Nam ex definitionibus, addendo quamdam ideam, elicimus *axiomata*, & *poſtulata*: ex his vero *conſectaria* facili negotio ſumuntur. Si plures definitiones conferuntur inter ſe, naſcuntur *theoremata*, & *problemata*, uti paullo ante poſuimus. Sed hæc facilius multo exemplis, quam præceptionum copia, inluſtrantur. Quapropter unum ex Cl. Wolfii doctrina ſubjiciemus.

E. g. Fingamus velle me aliquid meditando explicare de ſignis veri *Amici*: hoc modo meditationem debeo inſtituere. 1.Comparo inter ſe caſus omnes, in quibus aliquis dicatur amicus alterius: & hinc notionem abſtractam, ſed claram, facio *Amici* hoc modo: *Amicus eſt ille, qui nos amat*. En definitio. 2.In hac vero definitione duo præcipue menti occurrunt, *amor*, & *amare alterum*: quæ duo ſunt definienda. Cum autem primum in ſecundo contineatur, iſtud tantum

[1] *De modo experimenta capiendi egimus* L.V. p.1. c.7.

tum definio hoc modo: *Amare alterum eſt, ex alterius felicitate capere voluptatem.*

3. His conſtitutis, ex prædictis definitionibus ſponte, & perſpicue fluunt non nulla axiomata. 1. *Amicus alterum amat.* 2. *Quicumque alterum non amat, is non eſt amicus.* 3. *Quicumque alterum amare debet, debet & alteri amicus eſſe.* 4. *Ubi nullus eſt amor, ibi nulla eſt amicitia.* 5. *Quamdiu durat amor, tamdiu durat amicitia.* 6. *Quicumque efficit, ut alter ipſum amet, is alterum ſibi reddit amicum.* 7. *Quidquid in altero excitat amorem, illud alterum nobis reddit amicum.* 8. *Quidquid impedit amorem, id tollit amicitiam.*

Jam ex definitione verbi *amare*, alia ducuntur axiomata. 1. *Quicumque alterum amat, alterius felicitate delectatur.* 2. *Quicumque ex alterius felicitate capere debet voluptatem, debet alterum amare.* 3. *Quidquid jubet, ut ex alterius felicitate voluptatem capiamus, jubet, ut alterum amemus.* 4. *Quidquid excitat voluptatem ex alterius felicitate, excitat amorem.* 5. *Quidquid impedit voluptatem ex alterius felicitate, impedit amorem.* Hæc omnia & vera ſunt, & ex definitionibus poſitis manifeſte ſequuntur.

Jam ſi conferimus hujuſmodi axiomata inter ſe, elicitur hoc theorema: *Amicus alterius felicitate delectatur.* Quod in hunc modum demonſtratur. *Quicumque alterum amat, is felicitate alterius delectatur:* [per Axiom. 1.] *Sed amicus alterum amat:* [aliud Axiom. 1.] *Igitur, amicus alterius felicitate delectatur.*

Ex hoc vero theoremate perſpicue & proxime naſcuntur hæc conſectaria. 1. *Amicus non adficitur tædio, ſi perſona amata fuerit felix.* 2. *Amicus tædio adficitur, ſi perſona amata fuerit infelix.* 3. *Qui tædio adficitur ob alterius felicitatem, non eſt amicus, ſed invidus.* 4. *Qui tædio adficitur ob alterius infelicitatem, illius malum commiſeratur.* Hæc ſunt clariſſima, & ſine ulla dubitatione recipienda.

Et hic iterum conſideranti, atque hujuſmodi *conſectaria* expendenti, alia ſe offerunt theoremata hoc modo. e.g. Theorema I. *Amicus non eſt invidus.* Quod ſic demonſtratur. *Quicumque adficitur tædio ob felicitatem alterius, eſt invidus:*

[1] *Modum rite definiendi, & dividendi habes* L. IIII. p. 1. c. 6.

Digitized by Google

dus : [§.præced. Ax.3.] *Sed amicus non adficitur tædio ob felicitatem perſonæ amatæ* : [§.præced. Ax.1.] *Ergo, amicus non eſt invidus*.

Theorema II. *Amicus commiſeratione tangitur erga perſonam amatam*. Demonſtratur: *Qui tædio adficitur ob infelicitatem alterius, ille commiſeratione tangitur erga alium*: [§. præced. Ax.4.] *Amicus tædio adficitur ob infelicitatem perſonæ amatæ* : [§.præced. Ax.2.] *Ergo, amicus commiſeratione tangitur erga perſonam amatam*.

Ex his vero aliæ propoſitiones deſumi poſſunt. e. g. 1. *Qui invidiæ obnoxius eſt, non eſt aptus ad amicitiam*. 2. *Qui neſcit miſerari alterius vicem, alterumve ex infelicitate ſua non vult, cum poteſt, eripere, non eſt amicus*.

Monet hic, poſt Wolfium, Baumeiſterus, poſſe nos, ſi hanc viam diligenter inſiſtimus, pulcerrimas notiones, de quibus numquam ſuſpicati fuiſſemus, elicere: ſi definiverimus, quid ſit, *delectari felicitate alterius*; quid, *voluptas*, cetera: ex quibus nova Axiomata : ex his rurſum Theoremata, & Confectaria nullo labore colliguntur. Modo ſtudioſe curemus, ut propoſitiones, quæ ſequuntur, cum præcedentibus legitime connectantur. Quod ſi in ſingulis diſciplinis fecerimus, modo eæ tam ſtrictæ methodo ſubjici queant, [1] longo poſt nos intervallo reliquos, qui contrariam viam ſequuntur, relinquemus. Et de veritate *certa* hucuſque.

Jam vero probabiles veritates vel *Phyſicæ*, vel *Hiſtoricæ*, vel *Morales*, inveſtigantur hoc modo. 1. Phænomena rei omnia perveſtigabis quam poteris accuratiſſime, & inter ſe comparabis. 2. Deinde hypotheſin aliquam excogitabis, quæ omnia per quam commode explicet. Quæ, dum melior non occurrit, vera debet exiſtimari. Id ut facias, recolito, quæ

[1] *Hæc in omni diſciplina locum habere, perſuadere nobis conantur viri quidam docti. Sed exploratum eſt Philoſophis, qui ſine præjudicio judicant, ſtrictæ huic methodo in quibuſdam diſciplinis, iis præſertim, quæ probabilitate continentur, locum non dari. Itaque curemus oportet, ut hujuſmodi methodum, quantum per diſciplinam liceat, adhibeamus: etiamſi non ſemper demonſtrationes ſtricta ratione Geometrica contexamus*.

quæ de Probabilitate diſputavimus : [1] & ex tradita doctrina, qua ratione cetera inveſtigare debeas, cognoſces.

Corollarium I.

Hinc Analytica, & Synthetica methodus in diſciplinis tum theoreticis, *tum* practicis, *ut vocant, habet locum: & utraque viri oculati utuntur, cum neceſſe eſt.*

Corollarium II.

Hinc una tantum eſt bonæ methodi regula: Ab iis, quæ nobis ſunt notiora, ad minus nota ex ordine progredi.

Propriæ enim veri indagandi regulæ uniuſcujuſque arbitrio & intelligentiæ relinquuntur. Nec enim omnes eadem facilitate res percipiunt: nec eadem diſputandi ratio ad omnium palatum poteſt accommodari.

Scholion.

Erit fortaſſe, qui nobis actionem intentet, de violatis bonæ Logicæ regulis; propterea quod leges methodi analyticæ, *ſeu methodi* inveniendi, *ſingulas fuſe perſecuti non ſumus, nec diſtinctis titulis explicavimus: quod & Auctor Artis Cogitandi, & Soria, aliique fecerunt. Sed notare deſinent, ſi reputaverint, nos præcepta Logices ea methodo connexuiſſe, ut in ſingulis ejus partibus non generales modo, quæ a tironibus re quaque propoſita huc & illuc trahuntur; ſed peculiares, & ad verum inveniendum quam maxime accommodatas, regulas traderemus. Quare qui ex harum legum præſcripto diſputarit, id habeat pro certo, ſe multo facilius veritatem, quam ex vulgatis regulis, eſſe inventurum.*

Ca-

[1] L.V. p. 2. c. 1. & ſeqq.

CAPUT II.

De Lectione rite inſtituenda.

SI omnia nos poſſemus domeſticis præſidiis experiri, quæ neceſſaria ſunt, ad verum in omni omnino rerum varietate explorandum; ea, quæ diximus, ſatis eſſe videbantur, ut in perquirenda veritate tuto procederemus. Cum vero pauca labore noſtro reperire valeamus, & ſcientia noſtra aliorum auctoritate plerumque contineatur; oportet eorum ſcripta, qui ſingula perſcrutarunt, expendamus: quibus ducibus ad propoſitum nobis finem veritatis facili negotio perveniamus.

Libri autem omnes, qui humano generi, quique doctis hominibus non nihil adferunt utilitatis, vel *Hiſtorici* ſunt, qui res geſtas narrant; vel *Dogmatici*, qui caput aliquod doctrinæ continent. Utrique eo modo ſunt legendi, ut illud ipſum, quod auctor voluit, perfecte intelligamus. Ergo hæc prima & præcipua regula debet ſervari: *Ut tales notiones verbis adjungamus, quales auctor iis adjungi voluit.* Qui ſecus faciunt, ii quidem non librum legunt; ſed ſomnia ſua pro conditoris ſententiis auditoribus obtrudunt.

De libris Hiſtoricis.

Si liber eſt *Hiſtoricus*, eumque cum fructu legere cupimus, quædam ſunt animadvertenda, & ſtudioſe perpendenda. 1. *An verum narret*; quod ex iis, quæ diximus de probabilitate Hiſtorica, judicandum eſt. [1] 2. *An via ac ratione ſcribat*: id eſt, an dilucide narret, idque ſecundum ordinem temporum, & cetera. 3. *An ad finem, quem ſibi poſuit auctor, mentem & propoſitum ſuum dirigat.*

Finis porro Scriptorum vel ex inſcriptione operis, vel ex præfatione, qualis ſit, manifeſtum fit. Si auctor præfando explicavit operis conſilium, facile cognoſcitur, an promiſſum impleverit. Sin autem, ex ceteris adjunctis, & ex more Scriptorum omnium judicandum eſt.

In

---

[1] *Vide* L.V. p.2. c.2. & 5.

In *hiſtoria Naturæ* proponunt ſibi eruditi, phænomena omnia conglobare, & uniuſcujuſque phænomeni accuratam hiſtoriam exponere: quo facilius ceteræ cognitiones educi queant, quæ ſcientiam naturæ poliant & amplificent.

In *Litteraria hiſtoria* conſcribenda finis eſt, initia, & viciſſitudines ſcientiaru n, & litteratorum vitam, & labores percenſere: quoque modo ad tantam præſtantiam eruditionis pervenerunt, & tam pulcras notitias inquiſiverunt, palam facere: quo melius eorum veſtigia perſequamur, & aliquid emittamus dignum politis auribus.

In *Eccleſiaſtica* eſt propoſitum, Eccleſiæ fata a primis vel Mundi, vel Chriſti temporibus narrare: & quibus adjumentis ex talibus initiis ad tantam amplitudinem pervenerit: quæ doctrina perpetuo viguerit: quamque ineptas ſententias Heterodoxi homines excogitarint, ſingulatim demonſtrare: ut eam eruditionem adquiramus, cujus ope Eccleſiam, quantum in nobis eſt, ſapienter adminiſtremus.

In *hiſtoria Civili* finis eſt, reipublicæ detrimenta, & converſiones exponere: atque ex quibus principiis vel felix, vel infelix rerum ſtatus deducendus ſit, accuratiſſime narrare: idque eo conſilio, ut prudentiam Politicæ artis, quæ in adminiſtrandis regnis occupatur, comparemus. Quare Regum vita, & fœdera, & matrimonia, & quidquid vel auxit, vel minuit Regum potentiam, narranda ſunt. Profecto qui hujuſmodi præcepta ſervat, merito ſuo *Hiſtoricus* nominandus eſt.

De libris Dogmaticis.

Venio ad ſcripta *Dogmatica*. Hæc vel dogmata *hiſtorice* exponunt, vel *ſcientifice*: id eſt, & exponunt, & confirmant. Utroſque autem cum operæ pretio legemus: 1. Si ante oculos habeamus, quid ſibi libri conditor in eo ſcripto propoſuit explicandum. 2. Si librum dividamus in partes, ſingulaſque pro merito perpendamus. 3. Si definitiones nominum, ſi quas ipſe dedit, memoria teneamus. 4. Si ad principia, quibus ſyſtema innititur, concluſiones omnes referamus.

Hæc omnia utilia & neceſſaria ſunt: ultimum autem præter cetera eſt neceſſarium. De quo tametſi non uno tantum loco fecimus mentionem; tamen quia nullum vitium apud

apud tirones, & ſemidoctos frequentius, admonendi videntur ſæpe. Profecto ſi propoſitiones ſingulatim interpretamur, decipiemur plerumque: & ex hypotheſi ab adverſario repudiata iutiles & infirmas concluſiones cogemus.

Quis enim non miretur Balbum apud Ciceronem [1] diſputantem, eſſe Deum, mundumque ab eo adminiſtrari, & conſulere eum rebus humanis? Quis dum audit eumdem de ſtellarum motibus, de animantium natura, deque fabrica partium corporis humani, graviter & copioſe contra Academicos dicentem, non putet Arnobium ſe, aut Lactantium, aut Auguſtinum audire? Perpende hanc propoſitionem Balbi: [2] *Quid enim poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cum cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?* Quis non hic Dei numen, quod colimus, ſignificari dicat? Quod ſi ad Stoicorum ſyſtema, ex quorum diſciplina loquitur Balbus, eam revocamus, inpia eſt. Non enim verus Deus, ſed ignis ſubtiliſſimus per univerſum pertinens, & in ſideribus præſertim habitans, ſignificatur: non divina providentia, ſed *fatum* Stoicorum ea ſententia continetur. Quæ cum Romanæ eccleſiæ decretis non cohærent.

Porro autem, ut monet vir clariſſimus, [3] quo judicium exacte de libris faciamus, quædam diligenter examinare neceſſe eſt.

1. *An ſit perſpicuus*. Eſt autem perſpicuus ille liber, qui voces & definit accurate, & eamdem ſignificationem retinet, & verbis inſolentibus non abundat. Quod ſi definitiones ſupervacue congeruntur, non erit ille quidem obſcurus, ſed nimius, vulgo *prolixus*, & qui plurima inutilia habeat. Si aliquid Wolfius in ſcriptis ſuis peccat, hoc peccat, ut multus ſit: & lectores vel omnino indoctos, vel multum patientes, ſe habiturum fore ſibi perſuadeat.

Contra ille liber eſt ſcriptus obſcure, in quo vel nullæ, vel definitiones aliquæ incertæ & indeterminatæ continentur. Hoc vitium eſt proprium Ariſtotelicorum: qui perpe-

S tuo

---

[1] De Natura Deorum II. integro.
[2] *Ibidem* c.2.
[3] *Wolfius*, in Logica P.II. ſect.3. c.5.

tuo contendunt de vocum ſignificatione, propterea quod ſe mutuo non intelligunt.

Advertendum eſt tamen, ineruditos, & ſemidoctos ſibi perſuadere, illud eſſe obſcure ſcriptum, quod ipſi non intelligunt, etſi Logicæ regulis exacte reſpondeat. Quo ſane nomine nec *Elementaris Geometria* poſſet effugere, quin obſcuriſſima haberetur.

2. *An ſit ordine conſcriptus*. Hic ordo alius eſt in ſcriptis *dogmatico-hiſtoricis*, alius in *dogmatico-ſcientificis*. Prior methodus eſt, cum res omnes ad ſingula capita reducimus. Hac methodo Scholaſtici, & plerique ſcriptores diſciplinas pertractant. Altera methodus eſt, cum propoſitiones eo modo connectuntur, ut ea prius exponantur, ex quibus, quæ ſequuntur, poſſint illuſtrari. e. g. in Phyſica experimenta, definitiones, axiomata; ex quibus demonſtrantur theoremata. Hac methodo Recentiores philoſophi cum pretio utuntur: & vocatur ordo *naturæ*, ſeu *ſyntheticus*.

Aliquando vero utuntur Philoſophi methodo *analytica* ſeu *inventionis*, ſed rarius. Aliquando methodo partim *analytica*, partim *ſynthetica*. Qui ergo, quam methodum ſibi propoſuit, ſervat, is ordine ſcribit.

Sunt autem & alia plurima diligenter animadvertenda, quo penitus intelligamus, an ordine auctor ſcribat. 1. An res faciliores prius explicat, an ſecus. 2. An argumenta, quæ ad materias diverſas pertinent, in unum locum cogit, an non. 3. An in locis communibus, in digreſſionibus, in auctorum vel nominibus, vel ſententiis congerendis, nimius eſt. 4. An adnotationes de re prorſus aliena adhibet. Quæ errata in iis etiam, qui bonæ methodi leges norunt, interdum ſe offerunt.

Quod ſi vel memoria parum tenax fuerit, vel ipſe in judicando non admodum exercitatus, tabulas de libro juſti voluminis conſcribat: ubi & libri ordinem enarret, & ſingulorum capitum methodum adumbret. Hoc modo, quam bene, aut quam male auctor ſcribat, facillime judicabit.

3. *An ſit ſolidus*. Id autem vocamus *ſolidum* cum Wolfio, in quo propoſitiones non infirmis rationibus, ſed perſpicuis & firmiſſimis argumentationibus probantur. Hujuſmodi eſt uſus, ſeu firma experientia: &, quæ inde ſumuntur, definitiones, & axiomata, quibus theoremata, & problemata demon-

demonſtrantur. Oportet ergo, dum librum legimus, conſideremus, an auctor certa principia ponat: ex iiſque recta methodo ſua pronunciata derivet. Si id facit, ſcriptum eſt *ſolidum*: ſin autem, *ſuperficiarium* vocatur.

His rebus adſeveramus, ſcripta Mathematicorum eſſe ſolida: tum etiam quorumdam philoſophorum Recentiorum, qui eamdem methodum quam fieri poteſt amplexantur. E contrario dicemus, ſcripta Philoſophica Carteſii, Gaſſendi, Malebranchii, Regiſii, ceterorumque hypotheticorum, in plurimis non eſſe ſolida. Nulla ſcripta Scholaſticorum eſſe ſolida, idque eadem de cauſſa.

4. *An ſit completus*. Liber eſt *completus*, cum auctor ad propoſitum finem cogitationes ſuas omnes reduxit: ſin autem, eſt *incompletus*.

E. g. Propoſuit aliquis ſibi, adoleſcentes cujuſdam diſciplinæ rudimentis imbuere. Si omnia, quæ neceſſaria ſunt, unde ea recte judicent, poſuit; ſi fontes doctrinarum indicavit; ſi eos ad ipsa diſciplinæ adyta ſine labore perduxit; *complete* ſcripſit: aliter, *incomplete*. Fruſtra ergo requiſiveris in eo libro abſtruſiorem doctrinam, copiam præceptionum, Philoſophorum contentiones, & id genus alia. Hæc enim inepta ſunt, & a propoſito aliena. Pulcerrima eſt hæc doctrina, & utiliſſima: ad quam ſi innumera ſcripta expenderemus, perſpicue intelligeremus, quam inepte ea extollimus in cælum.

Contra, plurima exſtant ſcripta, quæ nos *incompleta* vocamus; reapſe ſunt *completa*: ſi tempus, quo ſcripta fuere; ſi doctrinam, quæ inveteraverat; ſi cauſſas, ſi conditoris conſilium memoria repetamus.

Hinc mirari deſinamus, quod Beatus Thomas Aquinas plurima in Philoſophia, & Theologia lucubraverit, quæ doctioribus hodie non adrident. Quin potius miremur, in illa barbarie, & inſcitia litterarum exſtitiſſe hominem, qui tam apte & ſubtiliter fuerit ratiocinatus. Oportebat enim ut Thomas tempori ſerviret, & oſtenderet, Ariſtotelem, cujus doctrina abutebantur Scholaſtici, ad bonum ſenſum poſſe revocari. Hic illi fuit ſcopus. Quod qui non intelligunt, & nihilo ſecius tantum virum reprehendunt, in media luce cæcutiunt. Certe Aquinas fuit vir magnus, vel melioribus ſæculis dignus.

De Conditoribus librorum.

Poſtremo intelligat oportet, quo nomine ſinguli auctores ſint vocandi: ne vel laudet, quæ non debet; vel inprudenter vituperet.

1. Itaque ſi auctor ea, quæ in plurimis libris occurrunt, & ad eamdem materiam pertinent, excerpit & cogit, nihil cogitans de connexione, & ordine; vocatur *Compilator*.
2. Sin, quæ apud alios invenit, nectit inter ſe, & ex certis principiis ducit; vocatur *Conditor ſyſtematis*.

3. Si ſcriptor ea, quæ ab aliis accepit, vel aperte venditat pro ſuis, vel aliis verbis involvens, haud obſcure inculcat eſſe ſua; vocatur *Plagiarius*.

Hinc *plagiarius* non eſt, qui ſyſtema condens, aliorum inventa ad corpus doctrinæ reducit, quin fontes, unde hauſit, indicet: vel ex aliorum fontibus novas conſecutiones derivat. Palam enim eſt, hujuſmodi hominem id unum voluiſſe, de aliorum cogitatis acerrime judicare. Nec etiam eſt *plagiarius*, qui diſertis verbis profitetur, ſe ex aliis utiliora excerpſiſſe, tametſi raro, aut umquam nominat auctores. Nam in re notiſſima, & quam vel omnes eodem modo exprimerent, auctores conglomerare, aut anxie verba tranſcribere, puerile eſt, & *pedanticum*. Interdum graviſſimis de cauſſis neceſſarium eſt, quædam tacere: idque ſcriptori in laude poni debet.

4. Si *compilator* ea inter ſe conjungit, idque magna circuitione verborum, quorum alia ex aliis non fluunt; vel pugnantia connectit; dicitur *ſine judicio compilare*.

E. g. Si quis ſcripturus Phyſicam diſciplinam, poſtea quam ſyſtema Scholaſticorum de formis *ſubſtantiali*, & *accidentali* recepit; tamen in quibuſdam phænomenis explicandis, Carteſii, aut Nevvtoni opiniones amplexatur; e.g. fluxum, & refluxum maris vel ex compreſſione aëris, vel ex adtractione Solis, & Lunæ ducit; is quidem ſine ullo judicio ſcribit. Peccant hoc peccatum ii, qui non alia ratione politiſſimorum Recentiorum laudem ſe ſe conſecuturos eſſe arbitrantur, quam ſi centonem ex ſententiis repugnantibus conſuant. Ad quam claſſem Thomas Vincentius

Toſca,

Toſca, homo ceteroqui non indoctus, aliique nimis multi, quorum theſes, ac ſcripta vidimus, referendi ſunt.

5. Poſtremo ſi auctor ex majori libro ea legit, quæ ad finem ſibi poſitum ſunt accommodata, atque eadem methodo breviorem librum componit; vocatur *Epitomator*.

Merito ait Wolfius, non eſſe uniuſcujuſque negotium; ſcripta *ſcientifica* [nam *dogmatico-hiſtorica* faciliora ſunt] aliorum ad compendium & epitomam revocare: id enim munus, quod facillimum non nullis videtur, reapſe eſt difficillimum. Oportet enim ut conditoris ſyſtema, & ſcribendi viam plane cognitam & exploratam habeamus: eamdem methodum ſervemus: perſpicuitatem, & ſoliditatem non minuamus: multa paucis explicemus. Quod quam male ceſſerit multis, cognitum eſt iis, qui in hiſtoria Litteraria verſati ſunt. Thummigius accurate ſane ex libris Wolfii bonas epitomas fecit: Baumeiſterus ejuſdem *Logicam* Latine editam compendiaria edidit. Ipſemet Wolfius *Elementa Matheſeos Germanica*, & *Logicam* ſuam in compendium reduxit.

CAPUT III.

De Diſputatione debito modo inſtituenda.

EST præterea altera via inveſtigandi veritatem, nimirum *Diſputatio* debito modo inſtituta. Eſt autem diſputatio duorum hominum contentio, quorum alter ſententiam ſuam exponit, & defendit: alter contradicentem ſententiam amplectitur, & rationes adverſarii vel voce, vel ſcripto infirmat.

Inſtituta eſt diſputatio eo conſilio; ut contrarias ſententias comparantes inter ſe, & rationum momenta expendentes, facilius intelligamus, quænam ſit vera, quænam falſa propoſitio. Quorumdam tamen vitio factum eſt, ut nihil minus, quam veritas, diſputatione eliciatur. Etenim plerique homines vel ſuperbia, vel maligno ſtudio adverſarium in ſermone capiendi, vel demum inſcientia diſputandi ita diſputant, ut veritatem contentionibus ſuis obſcurent potius, quam illuſtrent.

Plurimum autem intereſt rectam viam diſputandi tenere, ne & tempus inutiliter conſumamus, & moleſti diſputatores ſimus. Id nos in præſentia inluſtrabimus, ſi primum monuerimus, quædam præſtanda eſſe ab *utroque diſputante*: quædam ab *opponente*; quædam a *reſpondente*: quæ breviter ſubjiciemus.

Communia Diſputantium.

I. *Diſputaturus animum liberaliter inſtitutum adferat. Temperet ſibi ab ira, dicacitate, venenatis ſalibus, ſcurrilibus jocis & mimicis. Diſputatorem enim agit, non conviciatorem, aut ſcurram.*

Diſputatores nimis multi ſibi perſuadent, litterariam contentionem eſſe bellum juſtiſſime indictum, in quo licet adverſarium ſuum ſtrategemate conficere. Hinc conviciorum plauſtra alii in alios effundunt: cumque iracunde adverſarios inſectentur, ſic mentem obtundunt, ut plerumque nec, quid ipſi opponant, nec, quid alii reponant, intelligant. Quod ſi temperant a convicio, putant tamen ſe aliquid de exiſtimatione deperdere, ſi triumphum ex adverſariis non agunt: iccirco ſine ullo fine altercantur. Quæ qui faciunt, non illi quidem veritatem, ſed inanem glorioIæ fumum aucupantur. Veritas enim non niſi pacato animo inquiri poteſt.

II. *Argumentum, de quo diſputant, plane comprehendant.*

Qui enim ea oppugnant, vel defendunt, quæ penitus non percipiunt, omnino fieri non poteſt, quin ineptias multas dicant. Quod non tironibus modo, ſed provectioribus uſu venit.

III. *Contradicentes propoſitiones defendant.*

E. g. Defendit quis, *ſolum hominem eſſe animans ratiocinans*. Opponens debet argumentis demonſtrare, *non ſolum hominem eſſe animans ratiocinans*: ſeu, quod idem eſt, eſſe alia animantia, nimirum canem, ſimiam, equum, cetera, quæ etiam ratiocinantur, & ſentiunt. Itaque reſpondens liquido aperire debet, qualem ideam adfingat vocibus *homo, animans ratiocinans*: & conſtituere, quid ipſe defendat, quid confutet alius. Quod Philoſophis eſt, *conſtituere ſtatum controverſiæ*.

Quod

Quod ſi voces ſint obſcuræ, quærat alter ab altero, quid notare velit: & reſpondens definiat vim vocis: ſecus diſputatio in λογομαχίαν abibit. Quod ſi alteruter vim ac poteſtatem vocis declarare recuſat, eſt Sophiſta, & indignus, qui cum viro ſapienti, & amante veritatis diſputet. Quid enim repones homini, qui omnino intelligi nonvult?

Latius tamen patet hoc vitium, quam putatur. Infuſcantur eodem præter ceteros puri puti Scholaſtici cum Philoſophi, tum Theologi: qui, quod nomina nuſquam definiant, dies, noctesque diſputant de nihilo, & andabatarum more contendunt.

E. g. Contendit Scotiſta, proprietates animi noſtri, ſeu *gradus Metaphyſicos* alios ab aliis neſcio quo modo ſecerni, quem ipſi vocant *formaliter ex natura rei*. Negant alii hoc placitum: clamoſe utrique. Roges humaniſſime Scotiſtam, doceat nos, quid illis verbis notare cupit. Iratus decedet e pugna, clamitans, injuria cogi doctorem, res tales, & vel tironibus Scotiſtis notas, dilucidare. Quod ſi nonunquam eas explicat, ita explicat, prorſus ut non intelligas, quid ea verba ſignificent. Hinc illæ lites. Re autem vera, ſi vocabula recte definit, nihil diſputationis habent.

Opponentis propria.

I. *Inpugnaturus theſin aliquam id efficiet ratiocinatione, cujus concluſio ſit antitheſis, idque perpetuo in diſputando ſervabit.*

Nam cum diſputantes contradicentes propoſitiones ponere debeant [per L. III.] concluſio ſyllogiſmi debet eſſe contradicens theſis: & in ceteris ſyllogiſmis debet eſſe propoſitio negata. Unde inepti, ſi qui alii, ſunt, qui confutationem inſtituunt hoc modo; *Tua propoſitio eſt falſa. Ergo contra concluſionem.* Vel hoc modo: *Illa propoſitio non eſt admittenda, ex qua ſequitur abſurdum. Ita ſe habet tua concluſio: ergo non eſt admittenda.* Qui enim tali ratione diſceptant, poſſunt ii quidem myriades ſyllogiſmorum conjungere, quin aliquid appoſite dicant ad theſin confutandam.

Quod ſpectat ad viam diſputandi, ſunt, qui ceteris anteponant methodum *Socraticam*, vel *Megaricam* [hæ differunt in paucis] quæ minutis interrogatiunculis hominem cogit, ut errorem ſuum cognoſcat. Recte illi quidem, ſi Philoſophi cum Philoſophis diſputarent. Quod ſi cum homine inexercitato res eſt, difficulter eum coges, breviter & præciſe interroganti reſpondere. Itaque *ſyllogiſtica methodus* accommodatior eſſe videtur, propterea quod & opponentis cogitata nitide exponit, & validius conficit reſpondentem. Modo uterque Sophiſtarum cavillationes anxie declinet, & maxima contentione animi veritatem diſquirat.

II. *Opponens ſingulas reſpondentis propoſitiones refellat aliis ſyllogiſmis: donec ad principia evidentia argumentationem reducat, ex quibus adverſarii ſententia falſa eſſe oſtendatur.*

Quod ſi reſpondens aliquid reponat, quod explicatum non ſit; cogat eum opponens, quid ſentiat, declarare, ne ex ambiguo diſputent. Si renuat, a diſputando abſtineat, ne tempus fruſtra conſumat. Magnum autem faciet operæ pretium, ſi ex ipſis reſpondentis verbis eumdem poterit erroris poſtulare, quod eſt, *argumentari ad hominem*.

S C H O L I O N.

Proprium eſt ſemidoctorum & pedantarum, *cum theſin refutandam ſibi ſumunt, non antitheſin probare, & bona fide agere; ſed ad ſtrategemata confugere: & vel ea, quæ per viam dicuntur, infirmare; vel interrogatiunculis ineptis reſpondentem in invidiam adducere; vel alieniſſimis fatigare argumentis, quo facilius hominem, de hac inludendi arte nihil ſuſpicantem, capiant in ſermone, & auditorum ludibrio exponant; vel eadem argumenta etiam & etiam obtrudere, quaſi nihil adverſarius iis reſpondiſſet, nec argumentum infirmaſſet. Qui quidem, ut aliquando deſinant ineptire, cogendi ſunt, ut diſputatoris munus, uti debent, exſequantur: ſin autem, audiendi non ſunt.* [1]

Reſpon-

[1] *Ariſtoteles* Topic. VIII. c. 1. *opponentem inſtituens, præcipit, ut omnes Sophiſtarum fraudes adhibeat in diſputando:*

Reſpondentis propria.

I. *Reſpondens argumentationem ipſis opponentis verbis, quam fieri poteſt, repetat: vel compendiaria via exponat, quin illius vim minuat.*

Sapienter inſtituerunt majores noſtri, ut reſpondens, antea quam ad ſingula faciat ſatis, integrum repetat argumentum: ut oſtendat, ſe vim argumentationis penitus percipere. Si brevis eſt ſyllogiſmus, merito totidem verbis repetendus eſt. Sin longus, conſulte feceris, ſi eum breviori ſermone exponas, modo perſpicue. Hæc tamen non tironum ſunt, ſed valentiorum laterum, plurima paucis explicare. Sed ſi reſpondens robur argumenti plane cognovit, & infans non eſt, facile id ſuis verbis poterit explicare.

Plurimi opponentes, maxime qui formam illam ſyllogiſticam jactant, adeo ſunt moroſi, omnino ut nolint, reſpondentes ſynonyma voce uti. Inepte ſane, & Sophiſtarum more. Qui enim verum ſerio indagat, nugas iſtas non curat: rem ipſam quærit, non verba. Sæpe ego, cum e ſuperiori loco aliquid exponerem, idque paucioribus verbis, quam alii propoſuiſſent; coronam totam exclamare audivi, *bene, bene*. Neſcio, an in me talia verba quadrarent: id ſcio, doctis placuiſſe, quod alii fortaſſe reprehenderent.

II. *Reſpondens perpendat diligenter ſyllogiſmi partes, & conſideret, an in forma, an in materia ſit vitium. Si in forma, vitium oſtendat: ſi in materia, quæ vel ſit falſa, vel dubia, neget propoſitionem, vel limitet.*

Utrum-

---

tando: & tot inter alia ei ſuadet, ut nullo ordine multa roget, etiam ſuperflua, & copia interrogationum obruat auditorem: ut dictitet, ea, quæ proponit, paſſim recepta, tritaque eſſe: ut orationem non neceſſariis propoſitionibus protrahat; *& id genus multa. Verbo dicam, & mala fide agere docet, & argumento ab invidia ducto uti. Quo ipſo declarat, ſibi non veri inveſtigationem, ſed victoriæ conſecutionem eſſe propoſitam. Quid ergo mirum ſi diſcipuli dum partes opponentis ſumunt, magiſtrum ſuum tam fideliter imitentur & exprimant?*

Digitized by Google

Utrumque recte. Ex legibus ſyllogiſmorum facile dignoſcet vitium in forma. Ex iis vero, quæ diximus de veritate, diſpiciet qualis ſit materia.

Quod ſi in materia eſt vitium, quadruplici modo reſponderi ſolet ex ritu ſcholarum, ſeu *in forma*, ut vocant. 1. Si argumentatio nihil ad rem pertinet, & theſin non ferit, *conceditur* ſyllogiſmus, & oſtenditur, theſi non adverſari. 2. Si falſa eſt propoſitio aliqua, propterea quia non eſt univerſalis, *negatur*: & producto exemplo demonſtratur, univerſalem non eſſe. 3. Vel *flectitur* in opponentem: id eſt, adverſarium eodem modo confutamus, proferendo ſyllogiſmum alium, ex quo eadem theſis ducatur. 4. Vel *limitatur* tantum in aliquo caſu. Hæc reſpondens. Opponentis vero contrariæ ſunt partes: & ſingulas reſponſionis partes contrariis rationibus debet infirmare.

Sæpe ego clamantes audivi diſputatores non nullos, non debere reſpondentem aliis verbis uti, quam *nego*, *concedo*, *diſtinguo*. Quod ſi ille aliquid vel breviſſimum addebat, ut mentem ſuam aperiret, imperioſe ſatis ac inurbane tacere jubebant. Sed quam inepti ſint, qui talibus tricis graviſſimas diſputationes conſpurcant, nemo eſt qui non videat. Immo gratiam haberent, ſi ſaperent, reſpondenti, qui expreſſis verbis declarat, quo ſenſu vel *negat*, vel *limitat*. Quis enim non rideret diſputatorem, qui ſententiam adverſarii ſui nollet intelligere, & nihilo ſecius confutare eum contenderet? Ajunt, cognoſcere ſe plane, quo ſenſu alius uſurpat. Fabulæ: nam vel quia tamdiu diſputant, id unum oſtendunt, alterum ab altero non intelligi. Secus alteruter finem faceret: nam ipſa rei evidentia oſtenderet, quam bene diceret.

„ Rem exemplo inluſtrabimus. Diſputent, ſi fieri „ poteſt, Scholaſticus, & Gaſſendianus de *Accidentium* na- „ tura hoc modo. *S.* Qui negat accidentia eſſe in Euchari- „ ſtia, is quidem negat myſterium. Sed tu, ita negas. Ne- „ gas igitur myſterium. *G.* Diſtinguo majorem: Qui ne- „ gat accidentia Ariſtotelica tantum, & relinquit alia Ato- „ miſtica, nego: alio ſenſu, nihil ad nos. *S.* Veteres epi- „ ſcopi jam inde a primis Chriſtiani nominis ſæculis con- „ ſtanter adfirmarunt, eſſe accidentia in Euchariſtia. Igi- „ tur perpetua traditione habemus, eſſe accidentia in ea.

„ G. Ad-

„ *G.* Admittatur in præſentia ſyllogiſmus. *S.* Ergo non potes defendere non eſſe accidentia. *G.* Non poſſum defendere, non eſſe accidentia Ariſtotelica, nego: non eſſe ulla accidentia, ſubdiſtinguo, quia id ſinguli videmus & ſentimus, concedo: quia eſt definitum, nego. *S.* Sed non ſolum PP. verum ipſamet eccleſia Univerſalis in concilio Conſtantienſi contra Wickleffum finivit, eſſe accidentia in Euchariſtia: ergo negare non potes eſſe accidentia, nec confugere ad tuas iſtas inutiles diſtinctiones; quia Eccleſia non diſtinguit accidentia ab accidentibus, ſed loquitur generatim.

„ *G.* Sapientiſſime diſputator, proba, quod probandum eſt. Tu modum egrederis, & inaniter declamando contendis: veruntamen non animadvertis, te id probare, quod mihi tecum convenit: ea vero, in quibus a te diſſentio, nec adtingere, nec intelligere. Oportet ergo conſtituamus ſtatum controverſiæ, & intelligas, non de dogmate Catholico, ſed de Philoſophia diſputari: non enim in dubium vocatur, *ſit Chriſtus in Euchariſtia*: ſed natura accidentium inveſtigatur. Si quæreres a me, quid ego voco *accidentia Atomiſtica*, plane cognoſceres, te a ſecundo ſyllogiſmo aliud probaſſe, quam quod probare debuiſſes. Ego profiteor, poſt conſecrationis verba tolli ſubſtantiam panis, & vini: Chriſtum autem collocari ſub iiſdem ſpeciebus vini, & panis, quæ antea erant, & quæ adſpicimus ſinguli: idque ut defendam, vitam profundere paratus ſum. Hoc ago, accidentia non eſſe ea, quæ vos putatis: tum contendo, multo clarius & facilius explicari ex diſciplina Recentiorum. Itaque diſputatio noſtra nihil cum Dogmate habet commune. Cujuſquemodi enim ſint accidentia, illud ſemper manet firmum, *Chriſtum ſub iis latere*. Controverſia igitur in eo eſt: Quid ſint accidentia non modo panis, & vini, ſed rerum omnium, quæ in hoc orbe terræ, & ſingulis mundi partibus continentur.

„ Itaque, ſi ſapis, firmis argumentationibus conficere debes, perpetuam Eccleſiæ doctrinam & traditionem eſſe, atque fide Divina conſtare, accidentia panis, & vini, quibus alimur, eſſe talia, qualia putant Ariſtotelici philoſophi: ut inde efficias, etiam in Euchariſtia eſſe hujuſmodi: non enim alia creantur, ſed eadem manent. Sal-

„ tim

„ tim debes efficere, fide haberi Divina, in Euchariſtia ex-
„ ſtare accidentia Ariſtotelica. Hoc erat probandum: hoc
„ tu non probaſti, nec probabis, ni fallor. Nam Patres in
„ hoc erant toti ut oſtenderent, Chriſtum Jeſum in ſpecie-
„ bus panis, & vini deliteſcere: quales vero eſſent illæ ſpe-
„ cies ſeu accidentia, non veſtigarunt: quia hoc ad fidem
„ non pertinet, ſed Philoſophorum eſt negotium.

„ Quod ais, Eccleſiam nec Ariſtotelica, nec Atomi-
„ ſtica nominare, ſed de accidentibus loqui generatim, re-
„ ɑe ais. Sed cur inde colligis, de tuo modo explicandi
„ potius, quam de meo, loqui? Immo vero inferre deberes,
„ Eccleſiam dogmata finire adverſum Heterodoxos, qui ea
„ negant: iſta vero ſubtilia Philoſophorum inveſtigationi
„ relinquere.

„ Sed quia tu putas, te novum aliquid & reconditum
„ ex Conſtantienſi concilio ſumere; ſcias te a præjudicata
„ opinione tua eſſe deceptum. Enimvero in Conſtantienſi
„ concilio non fuit diſputatum, *An in Euchariſtia eſſent*
„ *accidentia*: quis enim id negat? ſed tantum: *An reapſe*
„ *eſſet Chriſtus in ea*. Negabat hoc ultimum Wickleffus: [1]
„ Concilium autem definit, poſt conſecrationem non eſſe
„ amplius panem, & vinum, ut videtur; ſed reapſe Chri-
„ ſtum ſub iis ſpeciebus collocari. Idem confirmatum fuit
„ in Baſileenſi, Lateranenſi ſub Innocentio III. Florentino,
„ & Tridentino, contra Hæreticos rejicientes dogma *tran-*
„ *ſubſtantiationis*: nuſquam contra Catholicos, qui ex Phi-
„ loſophorum decretis veriſimiliter exponunt, qualia ſint
„ Phyſica accidentia: ut vir doɑus, & pius luculenter pro-
„ bat. [2] Hæc ſi tu perſpeɑa habuiſſes, temperares ab
„ iſto

[1] *Verba erant Wickleffi*: Hoſtiam conſecratam eſſe corpus Chriſti tantum in figura, & verum panem in natura: ſeu verum panem naturaliter, & corpus Chriſti figuraliter. *Exſtant Seſſ.XV. concilii Conſtantienſis apud Labbeum in* Collectione Concilior. Tom. XVI. columna 242. *edit. Venetæ*. *Conferatur Natalis Alexander*, Hiſtor. Eccleſ. Tom. VIII. c.3. art.22. §.4. & *6*.

[2] *Fortunatus a Brixia Franciſcanus, in Brixiana Academia Matheſeos, & Naturalis Philoſ. profeſſor*, Diſſert. Phyſi-

„ iſto argumento plane infirmo, quo me in odium vocare
„ conatus es.

„ Poſſum ego eodem modo ex PP. & Conciliorum de-
„ cretis ratiocinari. PP. uſque ad ſæculum XII. diverſa ra-
„ tione; ac Scholaſtici faciunt, accidentia Euchariſtica ex-
„ poſuerunt. Item, Concilia definiunt, poſt conſecratio-
„ nem manere *ſpecies* in Euchariſtia: eaque voce utuntur
„ perpetuo. Ego defendo, *ſpecies* manere. Igitur Concilia
„ definiunt, quod ego dico. Oppones tu, me vitioſe infer-
„ re: & recte quidem. Cur non idem tuæ ego argumenta-
„ tioni reponam?

Habetis, Adoleſcentes, hic exemplum analyſis accuratæ, quæ dividit propoſitiones in partes, & principia, ex quibus fluunt, perpendit. Non hic exemplum afferimus ut vos ad Gaſſendianorum partes flectamus; quod ipſum & eſſet majoris otii; & cum per eccleſiam Catholicam, cujus decreta oſculamur, liceat aliis, id nobis quoque licere nemo ſapiens dubitaret: Sed ut in eo intelligatis, quam accurate diſputent Recentiores: ac ex eorum diſciplina diſceptationes veſtras inſtituatis. Qui enim has diſputando regulas non ſervant, ſed exclamationibus adverſarios confutant, ii quidem magno cum labore conſequuntur, ut nihil efficiant.

Sive opponens, ſive reſpondens a propoſito declinet, alterius eſt eum ad viam revocare, & cogere, ut id, quod in quæſtione eſt, refellat. Quod ſi facient, & eam methodum perpetuo retinebunt, alterutrum profecto exſiſtet: ut vel opponens omnino probatione careat; vel reſpondens pugnantia, & abſurda inprudens admittat: ex quo fiet manifeſtum, uter veritatem defendat.

SCHOLION.

Reſpondentibus vitio datur, quod, cum non habeant, quæ reponant, vel theſin ſuam confirment argumentis, & ab oppo-

---

Phyſico-Theologica de Qualitatibus Senſibilibus corp. Brixiæ 1740. *& auctior anno* 1749. *in qua oſtendit, Recentiorum explicandi viam Catholicæ eccleſiæ decretis adamuſſim reſpondere.*

opponente reſponſionem expoſtulent; vel limitationes & diſtinctiones, quæ prorſus intelligi nequeunt, obtrudant; quarum pudeat opponentem ignorare uſum, & ea de cauſſa taceat; vel ſe in ſententiam viri docti, & pii diſputare adſeverent, quo adverſarium ſuum in odium adducant. Hi autem monendi ſunt, ut ab exedra deſcendant, & reſpondentis munus deſerant, ſi alia via argumentis adverſariorum neſciunt ſatisfacere. [1]

Præſidentis.

Supereſt ut de *Præſide* dicamus. Hic in diſputationibus adhibetur, ut pueros ferocitate exſultantes, & æſtu diſputationis propoſito aberrantes, tamquam domitor exercitatus revocet in viam, & auctoritate ſua contineat, ne inpudentiuſcule triumphent. Id ut faciat, oportet eum doctrina, prudentia, & auctoritate valere: nec vero id ſolum, ſed optima diſputandi via eſſe ſubactum, ut munus ſuum cum honore tueatur. [2]

Atque de contentione veri inveſtigandi cauſſa ſuſcepta hucuſque. Ineptum autem eſt, & prorſus *pedanticum*, ut ſcite monet Cl. Thomaſius, in conſuetudine jucunda, & quotidiana diſputare, aliiſque altercando repugnare. Nam cum ejuſmodi exercitationes non veritatis inveniendæ, ſed jucun-

[1] *Ariſtoteles* Topic. VIII. c. 4. *Reſpondentem informans, præcipit*, ut quidvis agat, ne ceſſiſſe videatur. *Hoc eſt, victoriam, non veritatem pro ſcopo ei ponit. Quod etiam monitum ſectatores tam religioſe ſequuntur, ut nullum umquam viderim, qui, ut ut ad evidentiam uſque convictus, ſe victum eſſe ingenue fateretur. Vnum inter tot inepta recte præcipit Ariſtoteles, nempe* ne theſes plane inprobabiles defendat: & ut, cum propoſitio obſcura eſt, aut non erubeſcat fateri, ſe eam non intelligere; aut ita diſtinguat &c. *In quo certe a diſcipulis deſeritur: qui & inprobabilia defendunt, & ignorantiam numquam profitentur: immo obſcuriſſima quæque, itemque ea, quæ nullo modo intelligunt, confutare parati ſunt.*

[2] *Plura qui vult, conſulat Hanſchium*, in Idea boni Diſputatoris. 1722. 4.

jucunditatis honeſtæ cauſſa ſint inſtitutæ; qui iis diſceptationes inmiſcet, quin plurimos ſibi reddat inimicos, fieri non poteſt. Non quod ego probem eos, qui in contrarium vitium incidentes, imperant ſibi omnia adſentari: ſed eſt modus in rebus. Neque enim inurbanum diſputatorem, neque adſentatorem agere decorum eſt,

Sunt, qui exiſtiment, non licere homini refragari vel parenti, vel præceptori in re litteraria: immo vero ponunt in vitio, ſi quis de popularibus ſuis libere, uti decet amatorem veri, dijudicat: idque maledicentiæ inſigni, non officio, tribuunt. Qui quidem quam inepti ſint, nullus non videt. Fatemur tum reverentiam erga magiſtratus, & majores, tum moderationem erga omnes, naturæ legi eſſe conſentaneam. Hoc agimus, bona cum venia eorum, quibus honos habendus eſt, poſſe quemlibet, idque per leges, de rebus eruditis judicare; eaque inprobare, quæ & falſa ſunt, & ab hominibus doctis, & quibus decernendi jus eſt, condemnari ſolent. Neque enim eſt officium reverentiæ, parentibus, præceptoribus, civibus ſuis, aliiſque credere in iis, quæ naturæ ratione continentur. Veritati enim major, quam iis omnibus, habenda eſt reverentia.

Sane non ſinunt leges de quibuſdam publice diſputare, præſertim contra *leges ipſas*: quia id maxime lædit tranquillitatem reipublicæ. Quæ vero lege prohibita non ſunt, inpune poſſumus defendere. Quinimmo debemus aliquando, vel *ex pacto*, ſi demandata eſt nobis provincia erudiendi juventutem: vel *ex debito*, ſi reipublicæ interſit, ut errores detegantur, artium corruptores profligentur, & ſternatur via aliqua facilis & expedita ad verum perveniendi: vel *ex officio erga alium*, ſi amicus me rogat, ut, quæ veritati conformiora ſunt, liquido patefaciam; aut judicium meum de libro aliquo aperiam: vel *ex officio erga me*, ſi calumniator aliquis injuria mordeat ſcripta mea, meque in periculum, diſcrimenque trahere conetur. Quod qui faciunt, non modo notandi non ſunt, ſed ſummo in honore in cultiſſima quaque republica haberi debent.

LIBRI

LIBRI SEXTI
PARS ALTERA
DE
EXPLICATIONE VERI.
CAPUT I.

De modo tradendi verum, maxime viva voce.

SApientis eſt hominis, non modo veritatem toto pectore inveſtigare, ſed alios docere eam: tamque perſpicue proponere, ut intelligant ii, ſe veritatem tenere: & inde talia præcepta ducant, quæ actiones humanas moderentur, noſque in hac vita faciant beatos: immo ad ſupernam beatitatem conſequendam quodammodo viam ſternant.

Docemus autem alios vel *voce*, vel *ſcripto*. Recte, & fructuoſe utrumque, ſi debito modo fiat. [1] Verum uſu venit aliquando, ut ii, qui nec veritatem non dicam domeſtico explorarunt labore, ſed ne ab aliis quidem expoſitam penitus cognoverunt; vano *præceptoris* nomine allecti ea aliis

[1] *Non eſt conſilium hoc loco eos monere, qui puellos Humaniores litteras docent. Nam etiamſi ex iis, quæ dicemus, plurimum lucis eorum inſtitutioni adfulgeat; tamen alio modo puelli ſunt inſtituendi; alio & longe diverſo, quod ad materiam ſpectat, illi qui progreſſus aliquos habent. De iis igitur in præſentia diſputamus tironibus, qui gravioribus diſciplinis ſunt inſtituendi.*

Digitized by Google

aliis inculcent, quæ rudia & indigeſta ſunt, & infirmis fundamentis nituntur: atque tenellos puerorum animos talibus ſententiis imbuant, tot tamque ineptis onerent doctrinis; ut vix grandiores facti ex iis ſe poſſint opinionibus eximere. Qui quidem ut ſtulte moleſti eſſe deſinant, docendi nunc ſunt, quo pacto auditores ſuos cum operæ pretio inſtituere debeant. De docente primum, poſtea de ſcribente dicemus.

I. *Diſputaturus de aliqua diſciplina primum det operam, ut ejus originem, & viciſſitudines dilucide, breviterque exponat. Deinde ſyſtema, quod traditurus eſt, perſpicue explicet: diſpertiat in partes: quo facilius tirones earum nexum animo complectantur.*

Naturæ ratio perſuadet, oportere eum, qui cum fructu docendus eſt, prius intelligere, quid illud ſit, quod addiſcit: quoque modo occeperit, & fuerit propagatum: cui uſui ſit, & qualem fructum ex eo mens humana capere poſſit: ne aliud pro alio accipiat & fallatur. Deinde penitus cognoſcere ordinem, & nexum partium: & quo illud, de quo diſputatur, pertineat; prius quam ad minutiſſima quæque examinanda deſcendat.

Carent igitur docendi prudentia ii, qui, cum pueros artem Logicam docere debeant, abſumunt tempus omne *Univerſalibus*, & *Signis* tradendis, & hujuſmodi ſexcentis. Nam ſi ſecum reputarent, quænam huic nomini *Logica* poteſtas ſubjiciatur, quemque ad finem fuerit excogitata; plane cognoſcerent, hujuſmodi diſputationes, tantum abeſt ut Logicos faciant, ineptos prorſus facere qui; re aliqua propoſita, bene ratiocinentur. Idem de ceteris, qui tractatus in utroque Jure, aut Theologia ſingulatim explicant, eſto judicium.

II. *Docens enarret breviter, & perſpicue ſtatum controverſiæ, detractis inutilibus.*

E. g. Diſputaturus de re Phyſica generatim, conſtituat quid ſibi proponat, hoc modo: Non ego voco Phyſicam illud, quod Ariſtoteles, aut Arabes tradiderunt. Nec etiam voco Phyſicam hypotheſes iſtas, quas Recentiores non nulli excogitarunt. Phyſica eſt diſciplina, quæ ex certa conſtantique experientia per argumentationem naturæ conſentaneam Corporis, & Spiritus proprietates deducit. Ne

ergo aliquis hic me auctoritate velit confutare: experientia, & perſpicua ratiocinatione pugnandum eſt.

Peccant in hanc regulam homines bene multi: qui longo ſermone, & diſputationibus ſine uno ſine productis auditores opprimunt, quin umquam exponant, quid ſibi velint talibus argumentis.

III. *Hinc verba accurate definiat, ſi vult ab aliis intelligi: niſi res ſit cum iis, qui eorum poteſtatem norunt.*

In ſingulis diſciplinis frequenter occurrunt vocabula, quorum nullam habent ideam tirones. Sua enim lingua Philoſophi utuntur, ſua Juriſperiti, ſua Theologi: quæ niſi expedias omnia, tantum apud tirones proficies, quantum ſi Arabice, aut Chaldaice coram indocto perorares.

IIII. *Ex definitionibus axiomata, ex his theoremata colligat: quæ illorum ope ſunt demonſtranda. Sic totum ſyſtema doctrinæ contexat.* [1]

V. *Omnia exemplis inluſtret perſpicuis, & quotidianis. Immo quo magis a ſenſibus res fuerit abſtracta, exemplis magis uſitatis utetur.*

Incredibile dictu eſt, quam facile hujuſmodi exemplis doctrina quæque in animos tironum, immo & provectiorum inlabatur; quamque alte infigatur eiſdem. Hanc docendi viam Veteribus ſcholaſticis incognitam, recentiores aliqui præſertim Germani, ſummo cum plauſu induxerunt: ut Thomaſius, Rudigerus, Wolfius, ejuſque ſectatores Heineccius, Syrbius, ceteri. Qui ſi exemplis magis uſitatis, & de rebus quotidianis uterentur, nihil ultra in iis deſideraremus.

VI. *Quæ faciliora ſunt, & ad reliqua percipienda ſunt neceſſaria, prius explicentur.*

Hæc eſt præcipua methodi *ſyntheticæ* lex: quam qui ſervant, ut Geometræ faciunt, ii multo clarius ſenſa ſua declarant, & multo certius efficiunt, quod volunt.

Diſputatum eſt acriter ſuperiori ſæculo, de hujus regulæ utilitate & uſu. Nam Auctor Artis Cogitandi [2] defendit,

---

[1] *Hæc non omnibus diſciplinis eadem ratione poſſunt accommodari. Curemus tamen, ut hanc docendi viam, quantum per materiam licet, perſequamur.*

[2] P.IIII. *cap.9. &* 10.

ſendit, poſt Petrum Ramum, eam methodum eſſe clariorem, in qua omnia, quæ de aliqua materia dici poſſunt, uno capite comprehenduntur. Quæ eſt methodus Scholaſticorum, & juvandæ memoriæ non parum eſt accommodata. Hinc & ipſe, & paullo poſt Bernardus Lamyus, e Congregatione Oratorii Beruliani, *Elementa Geometrica* tali methodo conſcripſerunt. Quem noſtra ætate ſecuti ſunt VV.CII.Corſinius de Clericis Reg. Scholarum Piarum, Clairautius Academiæ Pariſienſis ſodalis, aliique, qui in ſuperioribus illis quædam emendarunt.

Verum celebriores Philoſophi, quos inter Wolfius, [1] conſtanter defendunt, veterem methodum *ſyntheticam* omnino præferendam eſſe iis, qui ad veritatis interiora penetrare contendunt; propterea quod & ordo facilior eſt, & mentem majori claritate perfundit. Hac methodo & ipſe Wolfius, & alii plures in ſuis ſcriptis philoſophati ſunt. Veterem dixi: nam etiam ſuperiores illi huic malo bene occurrerunt.

VII. *Unum ſyſtema doctrinæ condere: & ex certis principiis, quæ inde naſcuntur, omnia explicare.*

Nam ſi diſciplinæ partes recte connectat, non modo ſua confirmare, ſed, quæ ab adverſariis objiciuntur, nullo negotio & ſolide, & perſpicue infirmare poterit.

Peccarunt in hanc legem Veteres philoſophi, ac theologi, Alexandrini præſertim, qui ex doctrinis omnino contrariis putidiſſimum *ſyncretiſmum* commenti ſunt. Peccant etiam Recentiores non nulli, qui, cum ſibi dedecori tribuant, aliqua neſcire; omnia ſyſtemata ſine ullo diſcrimine animo perluſtrant: modo Carteſii, modo Nevvtoni pronunciata ſua faciunt: & ex principiis omnino diverſis eaſdem concluſiones inferre conantur.

VIII. *Fontes, ex quibus argumenta ſumi debent, ſecernere: ex ſingulis ſingula derivare, quo facilius auditorem cogat, ut iis adſentiatur.*

Munus eſt docentis præcipuum, non ſolum verum docere, ſed tam firmiter, tamque perſpicue docere, omnino ut auditorem fateri cogat, ita eſſe. Hoc enim vocamus *convincere argumentis*. Quod ſi infirmis argumentis hominem movet, non eſt *convictio*, ſed *perſuaſio*. Ideoque quam accura-

[1] *In* Element.Logicæ German. c.9. *& in* Logica Latina.

curate principia diſtinguere debet. Quæ evidenti ſenſione, a ,t perſpicua argumentatione fiunt nota, demonſtranda ſunt. Quæ probabilitate continentur, ex hypotheſi probabili ſunt inluſtranda. Ea vero, quæ auctoritate tantum definiuntur, ut *Hiſtoria*, ex legibus probabilitatis determinanda ſunt.

VIIII. *Docens non rationum copia obruat auditorem; non Oratoriæ pigmentis illius aures demulceat & deludat; ſed paucis perſpicuiſque argumentationibus, & eloquentia nativa hominem cogat, ut adſentiatur.*

Incidunt quam ſæpiſſime in hoc flagitium non indocti homines, ſed plerumque doctiores, ac ingenti eruditione perfuſi; ſi prudentiam docendi non habent. [1] Hi enim auditores ſuos copia doctrinæ abſtruſioris onerant præter modum: tantoque ingenii æſtu interdum abripiuntur, ut vel ſine ullo fine ſcribant, vel abeant in declamationem. Oportet ergo docens habeat non illam declamatoriam eloquentiam, quæ propria eſt fori; quæque obruit mentes puerorum, eoſque flectit motione adfectuum magis, quam evidentia veritatis; ſed germanam aliam & nativam eloquentiam, quæ omnia perſpicue, & jucunde exponat. Deinde judicium, quo examinet, quænam eruditio accommodata, quænam ſupervacanea ſit, & omnino ableganda.

Hæc omnibus doctoribus utilia & neceſſaria ſunt, quamcumque ipſi diſciplinam profiteantur. Sunt tamen peculiaria

[1] *Peculiare hoc fuit vitium* XVI. *ſæculi, immo &* XVII. *ſcripta quæque plurima & abſtruſa eruditione exornare, auctorum verba, & hujus generis alia tranſcribere, & conglobare, ut Polygraphi viderentur. In hunc cenſum, ut innumeros prætercam, referuntur e* Theologis *Joannes Picus Mirandulanus, Eraſmus Roterodamus, Cornelius a Lapide, Bonfrerius, Serarius, Pererius, alii: immo & ipſe Huetius in* Demonſtratione Evangelica, & Alnetanis. *Ex* Philologis *uterque Scaliger, Gerardus Joannes Voſſius, Turnebus, Salmaſius, Cauſſinus, & innumeri alii. Ex* Politicis *Grotius, Seldenus, Contzenus, aliique. Ex* Juriſperitis *maxime Pragmaticis, fere omnes; nec non &* Philoſophi *ſatis multi. Ex* Mathematicis *familiam ducit Clavius. Verum hoc ſæculo ſanior doctorum pars, id tamquam ineptum, &* pedantarum *familiare vitium, profligat & abhorret.*

ria præcepta boni & diligentiſſimi doctoris, quique auditores ſuos cum operæ pretio informare cupit: quæ hic exponere non pœnitebit.

1. Ut rationem habeat ætatis, & ingenii puerorum: & præceptiones ſuas ad uniuſcujuſque accommodet palatum.
2. Ut plano & familiari ſermone omnia explanet, eoſque frequenter interroget, an verborum ſenſum ſint adſecuti: ſin minus, domeſtica lingua ſingula enarret.

3. Cumque non Scholæ, ſed vitæ commodo diſcamus, & in omni vitæ parte judicandi facultas præcipuum uſum habeat; curet præceptor, ut puellos in arte, quam tractat, debito modo erudiat: eoſque recte de rebus judicare potius, quam eas memoriter recitare, doceat: nec memoriam incondita eruditione fatiget. Vis enim ac facilitas judicandi niſi ſub præceptore comparetur, vix, aut ne vix quidem comparatur: eruditio vero tempore poteſt adquiri.

4. Hinc temperet ſibi doctor a conſuetudine præpoſtera congerendi auctorum nomina, & ſententias: quod ſane quam frequentiſſimum in ſcholis eſt. Quæ enim perſpicua ratione continentur, auctoritatis ſcriptorum non egent. Quæ ex probabili hypotheſi inluſtrantur, unius aut alterius ſcriptoris nomine confirmare ſat eſt. Ea vero, quæ ex Hiſtoria promi debent, paucis teſtimoniis, ſed integræ fidei fulcienda ſunt: non enim numero hæc judicantur, ſed pondere.

5. Hinc caveat a confutandis iis, qui in contrariam partem diſputant, ſi cum tironibus res erit: quos hujuſmodi rebus fatigare ineptum eſt. Quod ſi auditores fuerint magis provecti, iis etiam religiones ſeu ſcrupuli ſunt eximendi. Quare primum ſententia, quæ opponitur, ſumma fide; & claritate eſt exponenda. Deinde ex noſtris principiis ſolide infirmanda eſt.

6. Hinc temperet ſibi doctor ab ſtudio novandi, & aliquid paradoxum & mirabile proponendi. Sunt enim homines, qui majorum ſententias mordicus defendant, ut Peripatetici omnes. Sunt, qui in contraria currunt, & ſibi plaudunt ſi aliquid inſolens & inauditum comminiſcuntur, quo ingenii laudem aucupentur. Hinc Carteſii, Gaſſendi, Honorati Fabri, Malebranchii, Saguenſii, aliorumque hypotheſes, quas vix homines ſtudiis contriti recte percipiunt, ſibi ſumunt: eaſque miſellis pueris inſtillant, maximo cum

eorum damno. Occurrendum ergo eſt iis, ne reipublicæ malo ineptiant. Non enim, quæ vetera, aut quæ nova; ſed quæ vera, aut veriſimilia ſunt, viris provectis, ne dum pueris, ſunt tradenda.

7. Hinc alterum monitum eſt, ut ne pueros in ſcholis fatigent ſcribendis libris. Mirabile videtur, quod non advertant præceptores, & gymnaſiarchi, quam perniciosa ſit rectæ puerorum inſtitutioni iſta ſcribendi conſuetudo. Defatigantur pueri deſcribendis rebus, quas non percipiunt. Deinde auctorum nomina, vocabula, numeros, periodos, omnem denique Orthographiam adeo depravant, idque ex feſtinatione excipiendi, ut Turcice, aut Arabice ſcripti videantur: quique proinde nulla induſtria explicari, nulla cum voluptate legi poſſunt. Deinde elegantiam characterum corrumpunt, ut omnibus notum eſt. Deinde tempus ſcribendo conſumunt, quod in addiſcendis diſciplinis ponere deberent. Deinde odio habent & ſcholas, & litteras, propterea quod ad eas, tamquam in aliquod piſtrinum, detruduntur, ut ibi dies nocteſque torqueantur, ea ſcribendo, & memoriter recitando, quæ non intelligunt.

8. Hinc ſeligendus eſt auctor typis æneis deſcriptus, qui breviter dilucideque ſingula proponat, & ex perſpicuis principiis via ac ratione definiat. Quem prius quam explicet, narrare adoleſcentibus debet auctoris vitam, & controverſias, ſi quas doctrinæ cauſſa habuit; pretium operis, methodum, ſtilum. Tum in ſingulis controverſiis admonere, utilis, an inutilis ſit. Si qua vero non commode dicta offenderit, aut prætereat, aut moneat auditorem ſuum, ne decipiatur.

9. Hinc explorare debet præceptor, quem finem auditor in ſtudiis ſibi poſuit: quo expeditiorem viam ad eum conſequendum ſternat. Alio enim pacto, ut monet vir doctus, inſtituendus eſt *Princeps*, alio *Privatus*; alio *Maſculus*, alio *Femina*; alio *Nobilis*, alio *Plebejus*. Non quod alia & alia ſint præcepta, ſed alia & alia eamdem inſtitutionem tradendi via. Similiter, alia ratione imbuendus eſt *candidatus Juris*, qui *anteceſſor* fieri cupit: *alia*, qui ad *forum* contendit: alia, qui ad *miniſterium aulicum*. Ita quodam modo inſtitui debet *candidatus Theologiæ*, qui pro fine habet Hæreticos confutare, & *theologiam Polemicam* profiteri:

alio

Digitized by Google

alio is, qui in *Homiliis*, & *Concionibus* excellere, & adfectus plebis Oratoriæ artis floſculis excitare vult: alio ille, qui Catholica doctrina contentus, vitam doctrinæ conſentaneam comparare ſtudet.

His addo tria præcepta, quæ doctori maxime neceſſaria ſunt. 10. Ut amanter auditores excipiat, ac eorum inſcientiam commiſeretur: & cum aliquid vel clarum ſibi explanari petierint, patienter edoceat. 11. Ut eos garriendi cupiditate luxuriantes, coerceat: & a voluptatis inlecebris, quæ, pro dolor! adoleſcentiam commaculant, ad ſolidam virtutem dextere, ac potenter contorqueat. 12. Ut adſiduo labore doceat, nec ſtudia aut frequentibus vacationibus, aut aliis diverſis ſtudiis interrumpat: tamen non ita gravet puellos, ut eos perpetuo exerceat. Juvat enim multum ſeveriora ſtudia quadam animi relaxatione intermittere, ut inde vegetiores evadamus.

SCHOLION.

Wolfius, & alii diſputant hoc loco, de modo adverſarios refutandi, *& ſe* defendendi: *& de utroque nimis multa præcepta tradunt. Scio id utilitate non carere, & provectioribus multum adferre luminis, quo accuratius ſcribant. Verum ſi iſtis ſuperſedeam, cenſeo magis a me utilitati tironum eſſe conſultum. Quæ enim ad utrumque adſequendum neceſſaria præcepta ſunt, dilucide & copioſe hoc libro ſunt diſputata:* [1] *& ſi ea recte intelligantur, vix aliud ad id efficiendum erit neceſſarium.*

CAPUT II.

De modo tradendi verum Libris conſcriptis.

I.

SI modo voce non poſſumus, aliis doctrinarum fontes oſtendere, quod iis ſolis datum eſt, qui anteceſſores, publicique profeſſores ſunt conſtituti; facillime id ſcripto facimus,

[1] *P.I. c.3. Vide etiam ſequens caput num.VI.*

cimus, quorum ope doctrinam noſtram cum aliis communicamus.

Quod ſi quam facile litteris exprimimus ea, quæ volumus, tam item facile cogitata noſtra recte atque ordine declarare poſſemus, beati eſſemus: quod ſecus eſt. Nam niſi ſtudiis, & meditatione contriti, ſenſa noſtra apte & convenienter aperire non poſſumus. Quare de modo conſcribendi libros, qui ad verum conſequendum ſunt neceſſarii, diſputabimus in præſentia, & generalia perſequemur. Nam de Grammatica, Rhetorica, Poetica tractare hoc loco non eſt conſilium. [1]

Libri omnes, uti diximus, ſunt vel *Hiſtorici*, qui res geſtas narrant; vel *Dogmatici*, qui doctrinarum fontes, ac ſcientias tradunt.

Hiſtoricus vel res geſtas ad *ſumma capita* revocat, vel ſecundum *ordinem temporum*, quibus geſtæ fuere, narrat. Prior ſcribendi ratio perturbata eſt, & minus utilis: poſterior & clarior, & utilior, quod nullo negotio oculis conſiliorum, & factorum nexum exhibet. Oportet autem eſſe hominem in *Chronologica* diſciplina bene verſatum, ut res quaſque ad ſingulos annos, & anni partes accommodet.

I. *Hiſtorici munus eſt, res eo modo, quo evenerunt, narrare*. Hoc monitum vel breviſſimum tam multa & difficilia complectitur, ut ſi ad illud pleroſque Hiſtoricos libros expenda-

[1] Grammaticam artem *accurate inluſtravit* XVI. *ſæculo Julius Cæſar Scaliger. Sed melius adhuc Sanctius in* Minerva, *&* Grammatica: *& poſtea Scioppius, & G. J. Voſſius de eadem luculenter pertractarunt: ex quibus Portus Regii ſcriptores, & alii poſt ſua decerpſerunt*. Rhetoricam *J. Sturmius* de Univerſa ratione elocutionis, *& in* Partitionibus Orat. *Melchior Junius, Strebæus, Bartholomæus Cavalcantius, aliique: ſed inter paullo recentiores idem Voſſius, in* Rhetorica, *&* Inſtitutionibus Oratoriis, *& in* Imitatione *eamdem tractavit accuratiſſime*. De Poetica *iidem Scaliger, & Voſſius, ex quibus poſteriores hauſerunt. De principiis loquor: nam de conſecutionibus, & via tradendi, multa novi iſti in prioribus illis correxerunt, digna animadverſione. Sed de his alias fortaſſe, nam in præſentia non eſt diſputandi locus: ſufficiat indicaſſe rem.*

pendamus, invenientur pauciſſimi, qui Hiſtorici cognomine ſint digni. Jam ſi hoc præceptum evolvimus, emergunt hæc: 1.*Sine ullo partium ſtudio verum narrare debet, nihil omittere: inutilia vero, & inportuna, quæ ad propoſitum non faciunt, perſequi non eſt neceſſe*. 2.*Nihil addere, nihilve falſum dicere*.

Hinc inepti ſunt, qui res mediocres, tametſi veras, exaggerant: qui deſcriptiunculis, capta occaſione, ingenium oſtentant: qui res etiam triviales ita pingunt, ut prodigium narrari crederes. Hiſce vitiis infuſcatur præter ceteros Curtius, ſcriptor ceteroqui elegantiſſimus, & qui nativo lepore, munditia ac nitore dictionis, tum & magnitudine rerum, quas narrat, ita lectoribus inponit; vix ut milleſimus quiſque eorum, qui legit, talia flagitia in eo latere putet. Verum accuratiores Critici [1] fere ubique in eo deſiderant Hiſtoricum, qui valeat judicio in rebus aut narrandis, aut omittendis. Declamatorem agnoſcunt, qui mutat quadrata rotundis, modo ingenium ſuum, ac dicendi copiam oſtentet.

Hinc inepti etiam ſunt, qui plura fingunt, & quæ non modo falſa, ſed ne veriſimilia quidem ſunt. Qui hominum characteres non ex vero, ſed ex ingenio condunt: & his ſimilia multa fabulantur. Ut ii, qui Imperatores, & his ſimiles de improviſo concionantes inducunt tanta ingenii ubertate, tantaque exercitatione dicendi, ut vel Cicero ipſe, aut Demoſthenes non meditatus, vix æque concinne & perite loqueretur.

Innumeræ exſtant apud Curtium conciones elegantiſſimæ, vel ab Alexandro ipſo aciem inſtruente, & jam jam in hoſtes irrupturo; vel a Dario, vel a Satrapis regiis prolatæ; quæ nullam produnt ſimilitudinem veri. Cum certum ſit, Macedonas multo meliores milites fuiſſe, quam Rhetoras, aut Declamatores: Perſas vero, & Orientales reliquos politioris litteraturæ omnis fuiſſe expertes. Sed nihil tam putidum in Curtio occurrit, quam conciones duæ, quas Philotas, & Amyntas, cauſſam graviſſimam dicturi, condunt ex

[1] *Vide, ſi licet, Clercium in* Arte Critica P. III. ſect. 3. c. 4. *ubi accuratum judicium de Q. Curtio facit: quod & nos* ſingulari diſſertatione *fecimus*.

ex tempore, [1] cum metu mortis, quam uterque exſpectabat, & maxima mole curarum eſſent agitati. Quid autem veriſimile habet illa Scytharum ad Regem oratio: [2] in qua homines rudes, & inconditi ſenſus, ac perpetuo in ſilvis viventes, non ſecus Alexandrum alloquuntur, quam illi, qui in ſcholarum otio conſenuiſſent; quippe qui ſummam & Bellicæ, & Politicæ artis prudentiam manifeſtant. Hic equidem in Hiſtorico eloquentiſſimo judicium requiro.

Et de Curtio ſatis: quem ſi eo conſilio legeritis, Adoleſcentes, plurima hujus farinæ invenietis. Memineritis tamen, hoc peccatum Veteres non nullos doctiſſimos peccaſſe: Græcos præſertim, ab quibus Romani homines ſumſerunt. Habentur in Livio, habentur in Criſpo, ſcriptore, qui Curtium, mea ſententia, longe ſuperat judicio. Micipſa rex moribunda voce filios alloquitur; & brevem, ſed eloquentem concionem habet, atque talem, tamque ſingularis prudentiæ plenam, qualem non modo Numida ſenio, morboque confectus, ſed ipſe Criſpus non tam ſubito funderet. Quid? Atherbal filius in Senatu, quam apte, & eloquenter, quantaque gravitate ſententiarum fidem, & auxilium implorat populi Romani!

Fuerint illa vera: quo modo ad Hiſtorici manus conciones illæ ex tempore habitæ, idque in acie, ubi nec ſcribarum copia, nec otium, nec ſilentium fuiſſe ſuſpicari debemus, pervenerunt? Crediderim potius, Cæſaris, & Catonis orationes, quas Criſpus ipſe in Catilinæ hiſtoria profert, habitas fuiſſe: quia homines adſtantes, & Oratores memoriter ſaltim ſententias poterant recitare. Et ſi forte ſcriptor probatiſſima documenta habet, non damno ſi hiſtoriæ inſerit. Secus rectius puto tacere, & ad utiliora tranſire. [3]

II. De

[1] *Lib. VI. & VII.* [2] *L. VII.*

[3] *Vide Rapinum in libro* Inſtructions ſur l'Hiſtoire 12. Paris. *qui accurate de virtutibus, & vitiis Hiſtoric. agit. Adde huic Cordemoy, & Sardo, qui belli ſunt. Plura qui cupit legat* Penum artis Hiſtoricæ, *in qua plures auctores continentur. Excellunt Lucianus, Patricius, Folieta.*

II. De *hiſtoria Naturæ*, quæ magis neceſſaria videntur, jam diximus: [1] quare non eſt cur aliquid addamus. [2]

III. Porro ſcripta *Dogmatica*, & quæ vel totam diſciplinam, vel ejus partem aliquam dilucidant, ſi *demonſtrativa* ſunt, ſcribi debent hoc modo. Prius principia evidentia ponantur, ex quibus reliquis adfulgeat lux: deinde ex iis cetera ordine deriventur.

E. g. In Mathematica ſcientia methodus hujuſmodi ſtricte eſt in uſu: & ſingulæ propoſitiones propriis nominibus diſtinguuntur. Quod non eſt neceſſe in Ethica, & reliquis ſcientiis; cum ordo ipſe ſatis oſtendat, alia ex aliis deduci. Item in Theologia prius dogmata ponenda, & confirmanda ſunt: deinde quæſtiones Hiſtoricæ, quæ ad inluſtranda dogmata ſunt neceſſariæ, excutiendæ videntur.

IIII. Quod ſi liber diſputat de re probabili, ut *Phyſica* diſciplina, primo ponenda eſt hiſtoria phænomenorum. Deinde exponendæ ſunt hypotheſes, quas viri diligentiſſimi ad inveſtigandum pro iis explicandis excogitarunt. Si aliqua earum eſt, quæ phænomena commode explanet, anteponenda eſt: ſin minus, excogitabis aliam, & oſtendes, phænomenis omnibus perfecte reſpondere. Cetera eodem ordine perſequeris.

Hæc ego de ſcriptis *dogmatico-ſcientificis* moneo. Nam *dogmatico-hiſtorica* minori negotio conduntur, ſi rem, uti diximus, ita ſcribas, ut totam in quaſdam claſſes diſpertias, & capita: qui ipſe eſt ordo *ſcholaſticus*. Hæc ſcripta ſunt veluti apparatus, qui ad lectionem librorum didaſcalicorum viam ſternunt.

V. Jam liber ἐξηγητικὸς *exegeticus*, id eſt, ille in quo aliorum ſcripta interpretamur, hiſce legibus eſt ſcribendus. 1. Primum explores ex hiſtoria, & ſcriptoris verbis, quem finem

---

[1] *Hoc* Libro p.I. c.2.

[2] *Ratio hiſtoriam Naturalem, & Experimentorum conſcribendi ex accurata lectione eorum, qui exſtant in Commentariis academiarum Regiarum*, Pariſienſi, Londinenſi, Berolinenſi, *ceteriſque petendus eſt. Item ſcripta eorum, quos libro ſuperiori P.1. cap.8. nominavimus, plurimum luminis accendent iis, qui in perſcrutatione Naturæ ſe exercere voluerint.*

finem ſibi auctor propoſuit in condendo ſcripto. 2. Deinde an purus & intemeratus ſit liber, ex regulis Critices judicandum eſt. 3. Tum in partes eſt dividendus, & ſingulæ examinandæ ſunt quam accuratiſſime. 4. Poſtremo corollaria, ad inluſtrationem neceſſaria, ſuis in locis adhibenda ſunt.

VI. Demum *Elenchtica* ſcripta qui lucubraturus eſt, ea nimirum in quibus aliorum ſententias examinamus & confutamus, primo ponere debet, & theſin, quam refellit, & antitheſin: ut intelligat lector, quid ſcriptor reprehendendum ſibi ſumat. Deinde patefacere debet falſitatem principii, quod eſt auctori ſyſtematis fundamentum: quod plerumque eſt inepta aliqua definitio. Hoc funditus everſo, tota machina ruit. Itaque breviter oſtendat, vel reliqua pronunciata ex illo principio fluere: vel ex illo duci non poſſe: vel repugnare principiis a conditore libri admiſſis. Quod exemplis dilucidare interdum & confirmare eſt neceſſe.

E. g. Syſtema Ethicæ Benedicti Spinoſæ, quod ipſe more Geometrico nexuit, aliquibus definitionibus, & axiomatibus falſis tamquam baſi innititur. Is itaque Spinoſam confecerit, & totum ſyſtema infirmaverit, qui illa falſa eſſe oſtenderit. Nam cetera nullo negotio debilitantur, ſi ad germanas Logicæ regulas expenduntur. Si quis vero non everſo fundamento, quæ inde fluunt, concluſiones ſingulatim confutare dedita opera conatur, is quidem maximo cum labore maximas nugas agit.

Quod ſi auctor non ſyſtematis more ſcripſit, ſed vel hiſtorice, vel alio modo quædam propoſuit; nullo negotio eum refutabis [ſi falſum ſcribit: qui enim verum ſcribit, poteſt is quidem verbo tenus refutari, reapſe vero non poteſt] ſi ex regulis Logicæ, quam infirmas ſententias defendat, patefeceris.

Hic autem, ſi alibi umquam, adhibenda eſt moderatio quædam ſcribendi, ne in dicteria & convicia incidamus; in quæ diſputationis fervore vel inprudentes abripimur. Itaque graviter & modeſte, uti decet Philoſophum, adverſarium refellere oportet, habita ſemper ratione decori. Sed ſi me audiet, abſtinebit vir prudens; quod ad ejus fieri poterit, ab hiſce contentionibus: quæ plerumque & invidiæ plenæ ſunt, & livoris, & ſermonem multum dant auditoribus.

bus. Quod ſi injuria laceſſitus, vel ad tuendam propriam famam, vel officii cauſſa erga rempublicam, ſcribere fuerit coactus; ſcribat ſapienter, ita tamen ut ſentiat adverſarius, ſe cum viro forti, & docto habere negotium. Tum demum poterit urbano ſale hominem perfricare, eumque in ruborem dare: ut intelligant, qui legerint, ejuſmodi hominem ſycophantam, & ſubdolum eſſe: & documento ſit ceteris, ne ſe extollant inpudentius.

VII. Reſtat *Dialogiſtica methodus*, ſeu methodus ſcribendorum *colloquiorum*, quæ Veteribus præſertim Græcis fuit uſitata, quamque non nulli Recentiores, maxime Galli, proximo ſæculo excitarunt. Hæc utiliter aliquando adhiberi poteſt, cum brevis aliqua diſputatio effici debet: de his præcipue, quæ familiari ſermone poſſunt exponi. Longiores enim controverſiæ non bene colloquiis explicantur: quæ diſputationes infinite protrahunt, idque ſine ullo fructu legentis.

I I.

De Stilo.

De *Stilo* vero, quo hi omnes libri ſunt ſcribendi, pauca dicenda ſunt: cum quia Logico generalia præcepta ſatis eſſe videntur: tum etiam quia hæc melius auctorum lectione, quam ullis præceptis, conſequi poſſunt. Atque haud ſcio an hæc pauca inportuna videantur iis, qui rem non ex fine, ſed ex titulo metientes, magis ad Rhetoricam, quam ad Logicam, iſta ſpectare contendunt.

I. Stilus itaque, ſi formam externam ſpectes, & ambitum periodorum, vel eſt *Laconicus*, vel *Atticus*, vel *Rhodius*, vel *Aſiaticus*. Laconicus eſt brevior, quam par eſt, cum multo plura intelliguntur, quam dicuntur: ut illud Cæſaris, *Veni, vidi, vici*. De quo in præſentia non diſputamus.

Atticus eſt, qui paucis verbis pulcras ſententias acute & eleganter exponit, ſine ulla adfectatione, in quo nihil redundat, nec etiam quidquam deficit. Hoc ſtilo utuntur e Græcis Xenophon, Ariſtophanes, Thucydides. Ex Latinis Cicero

Cicero plurimis ad *Atticum epiſtolis*: ſed præſertim Plinius in *Epiſtolis* ſuis.

Aſiaticus eſt omnino oppoſitus Attico: nam eſt maxime copioſus, & longis periodis abundans, & plus verbis, quam ſententiis, valens. Hæc erat Græcorum, qui in Aſia provincia habitabant, conſuetudo. Verum ab hoc ſtilo ne ipſi quidem Oratores in Urbe clariſſimi abſtinuerunt. Cicero ut ut præter ceteros accuratus, tamen aliquot periodos Aſiatice conformat. Hujuſmodi eſt initium orationis *pro Lege Manilia*, *pro Milone*, *ad Quirites poſt reditum*, & alia plurima. E Recentioribus Muretus in non nullis locis, & Cellarius in orationibus: ſed præſertim Gravina, magis etiam Politius in orationibus ſuis, qui plane ſunt Aſiatici, & Ciceronem ipſum copia videntur ſuperare.

Rhodius mediam viam inter Atticum, & Aſiaticum tenet. Nam eſt plenior Attico, ſed Aſiatico paullo preſſior. Iccirco laudem non ultimam habet, propterea quia mediocritate continetur. Utitur Rhodio ſtilo e Veteribus Cæſar, Livius, Nepos, & Cicero in libris Philoſophicis, & Rhetoricis, & etiam in narrationibus Orationum: Salluſtius initio *Belli Catilinarii*, Paterculus, alii.

II. Si vero formam internam, ſeu qualitatem argumenti conſideramus, triplex, pro diverſitate materiæ, eſt ſtilus. Nam vel materia eſt trivialis, vel maxime inluſtris, vel mediocris. Prima exponitur *tenui* ſtilo: altera *ſublimi* & *magnifico*: tertia vero *mediocri*. Nam oratio par eſſe debet argumento.

Itaque *Tenuis* ſtilus ſeu forma orationis eſt illa, in qua verba pura & perſpicua adhibentur, ſed ſine exquiſitis figuris, ullove orationis ornatu, aut numero ſtudioſe petito: eſtque ad quotidianam loquendi conſuetudinem, qua viri culti & elegantes utuntur, accommodata. Hujuſmodi eſt ſtilus Phædri, Cæſaris, Terentii, Plauti, Nepotis, Rhetoricæ ad Herennium, Ciceronis in *Partitionibus Oratoriis*, *Officiis*, *Topicis*, & *plurimis epiſtolis*.

Sublimis forma dicendi eſt, quæ res ſublimes ita explicat, ut ſententias habeat graves & acutas, verba iis explicandis idonea, & magnam figurarum ſupellectilem movendis adfectibus congruentem. Nam his tribus *magnifico*,

gnifica, & *ſublimis* oratio definitur. [1] Hujus generis ſunt pleræque Orationes Ciceronis, ut *pro lege Manilia*, *in Catilinam*, *pro Marcello*. Conciones aliquæ Livii, & Salluſtii, & Curtii. Plinii *Panegyricus* Trajano dictus & granditate argumenti, & acumine ſententiarum commendatur: quæ tamen iis, qui in Aureæ ætatis auctoribus multum ſunt verſati, non ſemper placent. E Recentioribus, Orationes aliquæ Perpiniani, Mureti, Palearii, Bencii, Buchneri, Schurtzfleiſchii, Grævii, ceteræ.

Mediocris eſt, qui præter munditiam, & elegantiam, ornatum omnem & verborum, & ſententiarum, & numerorum admittit. Itaque aliquid de utroque habet & tenui, & ſublimi, quin eiſdem ſit ſimilis: vel potius, ut ait Cicero, *utriuſque expers eſt*. Talis eſt ſtilus Livii, Taciti, Ciceronis in libris non nullis tum Philoſophicis, tum Rhetoricis.

Quod ſi in his tribus generibus ſtili modum non ſervaveritis, in contrarium vitium incidetis. Sic *tenuem* ſi nimis fueritis perſecuti, evadet ſtilus *ſiccus*. *Magnificum* qui non loco, & tempore adfectat, fit *frigidus*. Tum etiam ſi ornata inornatis, diſſoluta concinnis admiſceantur, *inæqualis* & *fluctuans* fit ſtilus: adeoque *mediocri* plane contrarius.

His conſtitutis, pulcerrima, & vel una omnium maxime commendanda illa eſt regula: [2] *Decorum in omni re ſervandum eſt: id eſt, apte & accommodate ipſis ſingulæ res ſunt verbis exponendæ: exiles exiliter, & amplæ ample*. Hanc nos ſi rite expenderimus, nihil amplius requiritur ad bene ſcribendum.

1. Hinc *Hiſtoricus* uti debet ſtilo vel Attico, vel Rhodio, ſi quantitatem verborum ſpectemus. *Nihil enim eſt*, ſi Ciceronem audimus, *in Hiſtoria pura, & inluſtri brevitate dul-*

---

[1] *Conferatur* Longinus περὶ ὕψους de Sublimitate Orationis, *& etiam Hermogenes* de Formis L.I. *ejuſque interpretes*, *Sturmius*, *& Laurentius*. *E Recentioribus* Werenfelſius, de Meteoris Orationis.

[2] Τὸ δὲ πρέπον ἐν παντὶ πράγματι φυλακτέον· τουτέστι, προσφόρως ἑρμηνευτέον· τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς, τὰ δὲ μεγάλα μεγάλως. *Demetrius Phalereus*, de Elocutione n.120.

te dulcius. Primus enim brevioribus hiſtoriis eſt accommodatus: alter vero copioſioribus.

Attico utitur Thucydides, & hujus ſimiæ Salluſtius, & Tacitus: item L. Seneca, Plinius in *Epiſtolis*, Cicero in *Epiſtolis ad Atticum*. Rhodio vero Livius, Cæſar, Nepos, Cicero in aliquibus *Epiſtolis ad diverſos*.

Sin qualitatem argumenti reſpicimus, tenui ſtilo uti debet Hiſtoricus: id eſt pure, & perſpicue, & concinne ſcribere: &, ſi hiſtoria eſt parum *pragmatica*, ſed maximarum rerum, etiam graviter. Deinde ſine ullis adfectibus vehementioribus, qui Hiſtoricum, qui verum narrat, non decent.

Maxime purus, & perſpicuus eſt Nepos, & Cæſar: qui verbis lectiſſimis, ſine ulla adfectata collocatione, utuntur. Contra Salluſtius, & Plinius ſenior, & Tacitus obſcuriores ſunt, quia verborum ordo eſt perturbatior. Gravis eſt Tacitus, & Salluſtius; e Recentioribus vero Bembus, Thuanus, & alii.

Poſtremo inepti ii omnes, qui, dum Hiſtoriam ſcribunt, tot figuris movendis animis accommodatis ſua perfundunt ſcripta, ut Declamatorem, non Hiſtoricum agere videantur. Hinc præter ceteros ineptus Curtius, qui ubique Rhetorum, ac Poetarum more loquitur: ineptus Paterculus, qui paſſim laudationes admiſcet: ineptiſſimus Florus, qui talia fingit, & ſcribit, ut non virum prudentem, ſed ſuperſtitioſam femellam, aut ſenem delirum te audire putes. [1]

II. Hinc *Didaſcalica* ſcripta vel Attico, vel Rhodio ſtilo poſſunt conſcribi. Nam uterque eorum pro materia, quæ tractatur, vel pro cujuſque ingenio, ad id eſt maxime accommodatus.

Deinde ſcriptis didaſcalicis convenit genus orationis tenue, id eſt, caſtum ſed verecundum in figuris aut animi, aut verborum inducendis. Nam finis doctoris eſt, aliis, quid ipſe cogitat, aperire. Itaque, ſi ſapit, cavere debet ab illis verborum phaleris; quæ magis movent adfectus, quam mentem inluſtrant argumentorum pondere, & perſpicuitate.

Hac

---

[1] *Conſer. Schefferus*, de Stilo II. 5.

Hic tenui orationis forma utitur Cicero in *Partitionibus Oratoriis*, *Topicis*, & *Officiis*. Celſus etiam in *Medicina* hac laude inluſtris eſt: cui addunt, nec inmerito, Columellam *de Re Ruſtica*. Ex Chriſtianis vero Minucius Felix in *Octavio*, & Lactantius in libris *Divinarum Inſtitutionum*: qui tamen interdum nec ipſe ab Oratorio ſtilo temperat.

E Recentioribus theologis Melchior Canus Ciceroniani ſæculi genium ſatis feliciter expreſſit. Huic addo Sadoletum, Polum, Seripandum, Sirletum, G. Corteſium Cardinales; tum Viveſium, P. Corteſium, Oſorium, Pogianum [1] ceteros. E Juriſperitis Hottomannus, Duarenus, Muretus, A. Gouveanus, Cujacius, A. Auguſtinus, Giſanius, Gravina, reliqui. E Philoſophis J. Picus Mirandulanus, Ramus, J. P. Nuneſius, Sepulveda, P. Fonſeca, Conimbricenſes, Maioragius, & alii. E Philologis Bembus, Sturmius, Caſa, Sigonius, Perpinianus, Manutius Paullus, Achilles Statius, E. Alvareſius, uterque Corradus, Folieta, Doletus, Strebæus, Linacer, Andreas Schottus, Olaus Borrichius, E. Martineſius, ceteri minus multi addendi ſunt.

Poſſunt tamen ſcripta Didactica ſeu didaſcalica etiam mediocri genere conſcribi: eo vel maxime ſi iis ſermo tribuitur, qui non, niſi cum dignitate, loqui poſſunt.

III. Hinc *Dialogi*, quia imitantur familiares amicorum ſermones, eo ſtilo ſcribi debent, quo ii, qui in dialogo continentur, uti ſolent. Itaque ſi colloquentes aut ſunt perſonæ plebejæ, aut de rebus vulgaribus loquuntur; tenui ſtilo uti debent. Si docti, ſi alterius ordinis & dignitatis, aut de re erudita diſputant, mediocri. Immo evenire poteſt, ut etiam magnifica oratio alicui tribuatur: idque plerumque ſtilo Rhodio, qui iis explicandis paullo videtur accommodatior. Quo vel ſolo ſit manifeſtum, quam difficilis ſit forma *dialogiſtica*: quia perpetuo characteres loquentium ſervari debent, quod ſane eſt difficillimum. Vel unus Cicero luculentiſſima exempla ſuppeditat.

Itaque aliter loquitur Cicero in Dialogis *de Natura Deorum*, *de Divinatione*, *de Oratore ad Q. Fratrem*: aliter in dialogis *de Amicitia*, *de Partitionibus Oratoriis*. Cur ita quæſo? quia alii, & alii erant diſputantes: tum etiam

V mate-

[1] *Qui* Catechiſmum Romanum *conſcripſit*.

materia, quæ diſputabatur, diverſa. In primis illis Vellejus Epicureus, Balbus Stoicus, Cotta Academicus, viri graviſſimi, & optimis artibus contriti, quiſque pro copia ſua, & ſtudio de Natura Deorum diſſerebant. In altero Quintus Cicero Divinationem Stoice ſuſtinebat. Poſtremo in *Oratore* Craſſus, Antonius, Sulpicius, & Cotta, Rhetores præſtantiſſimi, de Arte dicendi diſputabant. Quid ergo mirum ſi tales homines de tantis rebus loquentes, mediocri, aut, ſi voles, aliquando magnifico ſtilo utantur?

Contra in dialogo *de Amicitia* colloquuntur Lelius, Fannius, Scævola, viri illi quidem docti, ſed familiariter & amice, ac de argumento plane domeſtico loquentes, *tenui* forma orationis utuntur. Quod etiam in *Partitionibus*, ubi Cicero pater, & filius loquentes ſe offerunt, evenire neceſſe fuit.

Quod ſi perſonæ inducuntur de rebus domeſticis colloquentes, & verbis plane domeſticis uti eas neceſſe eſt, habita ſemper ratione perſonarum. Sic Terentius, & Plautus, tametſi quotidianis verbis dialogos ſuos texunt; ita tamen texunt, ut characterum & decori ratio habeatur. Aliam enim orationem tribuit Plautus glorioſo militi, aliam ſervo, aliam lenoni, aliam paraſito, aliam meretrici. Sic Terentius in *Eunucho*, e. g. aliam dicendi formam adfingit Thaidi, aliam Thraſoni, aliam Gnatoni, aliam Ephebo.

Horum tamen dialogorum ſtilus multo facilius comparatur pervolutandis auctoribus, qui optimi habentur, quam anxie quærendis præceptis. Ex Latinis itaque legendi Cicero, Plautus, Terentius. Ex Græcis præter ceteros Athenæus, & Lucianus ad puerorum ingenia idonei videntur. E recentioribus Latinis quædam Ludovici Viveſii ſunt pulcerrima: ut etiam Eraſmi a quodam ex noſtris perpurgati; tametſi compoſitionis venuſtate nihil ad Viveſium. Addo Majoragium, & Nicium Erythræum, qui politi ſunt.

Et de ſtilo hactenus. Addam tamen non nulla, quæ vos præmuniant, ne erroribus, qui ſatis ſunt vulgati, occupari patiamini. Stilus itaque quamvis ſingulis argumentis ſuus adjungatur; tamen eadem argumenta alio & alio ſtilo diſputari poſſunt. Repetamus eadem exempla.

1. *Epiſtolis* convenit ſtilus *tenuis*, propterea quod imitantur loquentium ſermones: tamen poſſunt ſcribi *mediocri* ſtilo,

ſtilo, ſi ſunt epiſtolæ eruditæ: ſi opus aliquod amico viro ſummati dicamus: ſi de rebus gravibus ſcribimus. Poſſunt etiam *ſublimiori* diceudi forma conſtare, ſi res ſit graviſſima: ſi ad Regem de gravi negotio ſcribamus: ſi hortatoriæ, expoſtulatoriæ, & ejus generis ſint. Sic Cicero, qui ad Terentiam ſuam, & Tironem ſcribit tenui ſtilo; ad Catonem, & Senatum elaboratius ſcribit, & mediocri forma: ad Fratrem vero [1] ſtilo ſublimi aliquando. Inepti ergo, qui dicunt, Epiſtolas tenui ſtilo eſſe exarandas omnes. [2]

2. Idem de *Dialogis* eſt dicendum, ut paullo ante monuimus. Nam Plautus, & Terentius tenuiter ſcribunt. Cicero *de Oratore ad Fratrem, de Legibus*, mediocriter. *De Natura Deorum, de Divinatione*, in *Tuſculanis*, ſublimia multa diſputantur. Plato in multis diſputat magnifice, in aliis mediocriter.

3. *Hiſtoria*, ſi brevis eſt, ut unius hominis vita, *tenui* ſtilo ſcribitur, ut Cæſar, & Nepos. Si longior, ſtilo *mediocri*. Tamen in ipſa Hiſtoria *ſublimi* ſtilo utitur Livius, Salluſtius, Curtius, quotieſcumque conciones aliquæ Imperatoribus, Regibus, aut viris primariis de re graviſſima tribuuntur. Nam *vel a materia, vel a dicente, vel ab eo, ad quem dicimus*, granditatem argumentum accipit. Sunt etiam hiſtoriæ parum *pragmaticæ*, id eſt, quæ rerum graviſſimarum cauſſas & conſilia demonſtrant, quæ elaboratiori poſſunt ſtilo conſcribi, ita poſtulante argumento.

4. Orationibus *ſublimis* dicendi forma, & merito quidem, reſervatur. Sublimis eſt Cicero *pro Marcello, Poſt reditum ad Quirites, in Catilinam*. Sublimis Plinius in ſuo *ad Trajanum Panegyrico*: verbo, panegyrici omnes, qui virorum principum laudes enarrant, & exornant, magnifica oratione utuntur. Tamen innumeræ ſunt orationes, quæ mediocri ſtilo conſtant: cujuſmodi ſunt *Academicæ* pæne omnes, in quibus vel bonarum artium laudes, vel hujus ſimile argumentum tractatur. Hujuſmodi pleræque extant

[1] L.I. epiſt.1.

[2] *Legatur Demetrius Phalereus*, de Elocutione *n*.243. *ſeqq. J. L. Viveſius, & Melchior Junius*, de Conſcribendis epiſtol.

apud Muretum, Grævium, Cellarium, Cunæum, Vavaſſorium, Facciolatum, Schurtzfleiſchium, ceteros, qui mediocri forma diſputant de iis. Quid? in ipſis orationibus ſublimi ſtilo contextis, hæc omnia diſtributa inveniuntur. Nam exordia mediocria plerumque ſunt: narrationes tenui ſtilo: confutationes vehementiores: perorationes patheticæ, & ſublimi charactere deſcriptæ.

5. *Didaſcalica* ſcripta, quæ *tenui* ſtilo ſolent conſcribi, & ipſa interdum elaboratiora ſunt, & mediocri dicendi genere compoſita, ſi materia, aut occaſio id requirat. Inepte quis Geometriam, niſi tenui forma explicaret; at Philoſophia, & multo magis Theologia, ornatiori ſtilo poſſunt exponi, præſertim ſi contra aliquem diſputamus.

Docet e. g. Cicero tenui forma in *Officiis*, & *Topicis*, & *Partitionibus*: at in aliis opuſculis adſcendit aliquantum: immo in *Paradoxis* vix aliter quam Oratorie loquitur. Lactantius tenui forma ſcribit, aliquando tamen ornatius diſputat. Hieronymus vero quaſi concionando interdum docet. E Recentioribus, elaboratius, & ornatius ſcribit Q. Corradus, Cunæus, Nicius Erythræus, Canus, Petavius in *Theologia*, & Janus Vincentius Gravina *de Origine Juris*, ac *de Romano Imperio*, ceterique.

Neque vero id ſolum, ſed etiam in eodem vel tenui, vel mediocri, vel ſublimi genere, ſunt alii & alii gradus orationis: quod ipſum auctoribus pervolutandis reperietis. [1] Unum cavere debemus, ne dicendi formas diverſas inprudenter miſceamus: quod vel maxime a Rhetoribus inprobatur. [2]

Hæc breviter monuiſſe ſatis fuerit, ut judicium de ſtilo ferre poſſint tirones. Nam de his in Rhetorica arte copioſe diſputatur; ex qua, qui plura cupit, ſumere poteſt.

COROL-

---

[1] *Exemplo ſint Arriani* Diſſertationes Epicteticæ, *quæ elegantiſſimis figuris conſtant, cum quadam ſimplicitate orationis*.

[2] *Auctor* ad Herennium, L. IIII. c. 11. ſeqq. *Quinctilian.* Inſt. L. XI, c. 1.

COROLLARIUM

Hinc qualitas materiæ diſputandæ ; perſonarum, quæ diſputant ; & loci, in quo diſputatur, ea ſunt quæ oſtendunt, qua quiſque forma ſcribendi uti debet. Quæ omnia uno verbo comprehenduntur decori.

SCHOLION

Addunt hic viri doctiſſimi regulas quaſdam, ex quibus de librorum merito judicare poſſimus. Erudita illa ſunt, & viris exercitati judicii non prorſus inutilia : verum a propoſito noſtro aliena. Itaque quas huc uſque dedimus regulas, ad recte judicandum ſatis eſſe videntur. Qui enim illas non ſervant, ii quidem male ſcripti ſunt libri.

CAPUT III.

De Pedantiſmo Rhetorico profligando.

SI vitia, quæ in ſuperioribus notavimus, Adoleſcentes, diligenter fugeretis ; ſupervacaneum foret, hoc loco de illis verba facere. Verum cum iſta facile e memoria deleantur, tamque proclives in ea ſint homines, ut dici vix poſſit ; ea veluti in tabella depicta oculis ſubjiciemus, ut in eam intuentes ſtudioſe ab his ineptiis abſtineatis, ſi ad aliquam doctrinæ laudem pervenire deſideratis.

Porro hæc vitia generali nomine *Pedantiſmi* continentur. Quæ vox originem ducit a Pædagogis : qui, quod pedites ſequantur nobiles puerulos, *Pedanti* Italica voce nuncupantur. Hi homines ex diuturno puerulis imperandi uſu, eam auctoritatem adfectant, ut etiam cum aliis hominibus, atque de rebus aliis loquentes, voce, vultu, geſtuque ipſo auctoritatem præ ſe ferant. Cumque vel Humanioribus litteris, vel Philoſophia leviſſime eruditi ſint ; nec ſuæ, nec aliorum limæ patientes, ſic mentem ineptiſſimis opinionibus imbuunt ; omnino ut judicium depravent, & judicandi aciem retundant : immo, quod dolendum, frequenter etiam iis, quorum educationi dant operam, eadem vitia inſtil-

lant. Ex quo putidiſſimus *Pedantiſmus*, id eſt *generalis ineptia judicii* naſcitur: quæ, quaſi bonarum artium peſtis, in adoleſcentium perniciem longe lateque ſerpit: & cum humaniores litteras, tum graviores diſciplinas contaminat. [1]

Atque hinc fit manifeſtum, idem Recentioribus eſſe *pedantam*, quod Latinis erat *ineptus*. [2] Ineptum autem illi vocabant eum, qui ad bene de rebus judicandum non erat aptus. Hæc autem ineptia judicii non anguſtis regionibus finitur, ſed perlate patet. Nos tamen eam in duas partes dividimus, ad quas ineptiæ omnes litterariæ commode poſſunt revocari: pedantiſmum *Rhetoricum*, & *Philoſophicum*. De illo primum: de altero ſequenti capite diſputabimus.

Ergo Rhetoricus pedantiſmus in hoc ſitus eſt, *ut quis litterarum, quæ ab humanitate nomen habent, juſtum pretium ignoret: nec ad quem finem ab eruditis, & ſanæ mentis hominibus excoluntur, animadvertat: idque vel inſcitia, vel vanitate quadam, & oſtentatione*. Quare quicumque hanc ineptiam judicii vel in rebus, vel in verbis præfert, is *pedantiſmi* ſe alligat. [3]

I. Hinc

---

[1] *Aliam Pedantiſmi deſcriptionem tradit Huberus in* Oratione de Pedantiſmo: *quæ latius patet, & eos etiam comprehendit, qui virtute ficta doctrinam, quam habent, corrumpunt: vel qui in uſu vitæ adſectationem aliquam contra judicium commune prodwww*. *Verum nos propoſiti memores*, *de* pedantiſmo Litterario, *reliquis omiſſis, tantum dicemus*.

[2] „ *Quem enim nos ineptum vocamus, is mihi videtur* „ *ab hoc nomen habere ductum, quod non ſit aptus. Nam* „ *qui aut, tempus quid poſtulet, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet; aut denique* „ *in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus dicitur*. „ Cicero de Orat. II. c.4.

[3] *Ariſtoteles* Rhet. L.I. c.1. *acute vidit, & recte probavit, Rhetoricam ex Dialectica proficiſci*. „ *Rhetorica*, „ *inquit, convenientiam habet cum Dialectica*. „ *Et fine cap.* „ *Nam verum, & ſimile vero ejuſdem eſt facultatis videre*.

I. Hinc *pedantæ* ſunt, qui perpetuo uni linguæ vel Græcæ, vel Latinæ, vel Italicæ, vel Gallicæ excolendæ operam navant, ibique ætatem degunt: de reliquis vero eruditionis partibus ne verbum quidem audire volunt. [1] A quibus ſi quæreres, quid ipſi poſt tot ac tantos labores, poſt utriuſcue *Stephani*, & *Cruſcæ*, & *Furetierii*, & *Richeleti* diligenter excuſſos commentarios, boni eſſent dicturi; plane intelligeres, nihil habere. Neſciunt hi profecto, voces datas homini fuiſſe, ut ſenſa animi explicaret; non ut iis expendendis conſeneſceret. Horum nos nimis multos offendimus, qui ab inperitis litteratiſſimi prædicabantur: qui multo convenientius indoctiſſimi appellarentur.

 II. Hinc

„ *dere. Simul autem & homines ad verum natura conformati ſunt ſatis, & plerumque conſequuntur veritatem. Quamobrem ad probabilia conjicienda ſe habere, ejus eſt, qui eodem modo ſe habeat ad veritatem. Ac alios quidem ea, quæ ſunt extra rem, præcipere; & qua de cauſſa magis deflexerint ad Juris diſputationem, apparet.* „

[1] *Non defuere viri docti, qui ex nimio Latinitatis ſtudio ſuderint ineptias. Melchior Inchoferus exiſtimavit*, beatos in cælo Latine locuturos, & Chriſtum interdum Latine locutum eſſe. *Hiſt. Sacræ Latinit. L.V. c.2. & 4. Ringelbergius adfirmavit*, gloriam Latine & polite ſcribendi inter humanos conatus omnes ſummum tenere locum: ſeque in eadem vitam finire decreviſſe, *confeſſus eſt. Alii alio modo ineptiverunt. Fridericus Taubmannus contendit, ſalutem imperii Romano-Germanici linguæ Latinæ beneficio contineri. Bernardus Aldrete Hiſpanus ſerio adfirmavit, Latinam linguam eſſe illud* labium electum, *quod Deus per Sophoniam cunctis nationibus promiſit. Lazarus Bonamicus pronunciavit*, ſe magis velle loqui ut Cicero, quam eſſe Pontificem Romanum. *Nec Gallicæ linguæ ſuus defuit defenſor. Joannes Labourerius quidam domeſticam linguam præ Latina ſingulari libro defendit: contra quem Sluſius cauſſam Latini ſermonis egit. Ut mittam, quæ de Hiſpanica, Italica, ceteris diſputata ſunt. Confer. Joann. Laur. Moshemius*, in Præfat. ad librum Huberti Folietæ de Linguæ Latinæ uſu, & præſtantia. Hamburg. 1723. 8. & in Adnotation. p. 82. ſeqq. *Walchius*, Hiſt. Latin. Ling. c.3. §.5.

II. Hinc eodem vitio laborant, qui de inutilibus argumentis maxima cum animi contentione diſputant. Quis enim non rideat eos, qui *de cibo, & veſtitu antediluviano, de primæva hominum lingua, de characteribus Aegyptiorum, de architectis, & conditoribus Pyramidum, de etymologiis quorumdam nominum, de lingua Carthaginienſium, de Poeſi, & Muſica antiquiſſimorum Hebræorum, de vi ac poteſtate quarumdam vocum, quæ in Ariſtotele, aut Pacuvio exſtant*; magnis cum clamoribus altercantur? Fuerint hæc tironibus explicanda, ſed prætereundo. [1]

III. Hinc etiam in eumdem cenſum veniunt, qui Philoſophiam ab Eloquentia ſejungunt: & tum demum ſe optime Latine philoſophari putant, ſi vocabulis & barbaris, & obſcuris, tum & ſtilo minime Latino ſua exponunt, idque ſine ullo ordine: clamitantes, Philoſophum res ipſas, non verba, curare debere. Quaſi Plato, & Ariſtoteles, & Theophraſtus, non iidem & Philoſophi, & pure loquentes exſtiterint: aut quaſi Cicero, Celſus, Lucretius, Mela, Columella, Manilius, non ii ſint, qui elegantiam Latinæ linguæ una cum doctrinæ apparatu ad nos uſque tranſmiſerunt.

Eodem nomine cenſentur illi, qui Eloquentiam ambitu periodorum, & figurarum vehementiorum copia definiunt: ac ſibi perſuadent, ſe harum regularum ope de quacumque materia apte & intelligenter eſſe diſputaturos. In quod vitium Rhetores tantum non omnes incurrunt: qui de rebus, quas non norunt, diſputaturi, ex locis communibus copioſe, & magnifice diſſerunt; quin aliquid commode dicant; aut nos de iis, quæ cupimus, faciant doctiores.

Muretus, ceteroqui ſummus Orator XVI. ſæculi, dicturus de Præſtantia ſtudii Theologici, [2] tanta ingenii ubertate, & elegantia ſermonis diſputat, omnino ut inponat ineru-

[1] „ *Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus* „ *ſcripſit, miſer ſi tam multa ſupervacua legiſſet. In his libris de patria Homeri quæritur: in his de Aeneæ matre* „ *vera: in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: in* „ *his an Sappho publica fuerit: & alia, quæ erant dediſcenda, ſi ſcires.* „ *Seneca* Epiſtola 88. *Walchius*, de Nugis. *Salernitanus* de eodem.

[2] Tomo I. Orat. 1.

ineruditis. Verum emunctæ naris homines in eo dicendi copiam laudant, Theologiam requirunt: ac aperte cognoſcunt, hominem plane hoſpitem in Theologia eſſe. Iis ego omnibus Ciceronis auctoritatem oppono; diſertis verbis prædicantem, ſe, quidquid in Oratoria profeciſſet, ex Philoſophia profeciſſe. [1]

IIII. Hinc & illi reprehendendi ſunt, qui in Oratoria arte ab Ariſtotelis, aut Ciceronis verbis, ne dum præceptis, ne minimum quidem recedunt: & rident alios, qui nullo exemplo, ſed ex rectæ rationis præſcripto aliqua dicunt. Hic *pedantiſmus* doctiſſimos homines aliquando pervaſit: qui mordicus tuentur, nihil de hac arte excogitari poſſe, quod illis non fuerit exploratum, & traditum.

At quam inepte iſti judicent, ex ſcriptis aliorum, quæ ſunt in manibus, facile demonſtratur. E Græcis, Dionyſius Halicarnaſſeus, Lucianus, Hermogenes, Ariſtides, Aphtonius, Longinus, Demetrius, ceteri, pulcerrima multa, ipſi Ariſtoteli, & Ciceroni non animadverſa, tradiderunt. [2] E Latinis, Horatius, M. Seneca, Auctor de Cauſſis Corruptæ Eloquentiæ, Quinctilianus, & alii de iiſdem ſubtiliter diſſeruerunt, & quædam de ſuo addiderunt, vel inluſtrarunt. Addas Oratores, Demoſthenem, Iſocratem, M. Senecam, Quinctiliani declamationes, Plinium Cæcilium, Auſonium, Pacatum: immo & Baſilium M., Chryſoſtomum, Nazianzenum, Nyſſenum, Ambroſium, ceteroſque, qui omnes dicendi vim augere & amplificare poſſunt.

Quid? iſtud didaſcalicum diſputandi genus, quo Recentiores [3] adeo delectantur, omnino eſt novum: nec ad *judiciale*, *deliberativum*, vel *demonſtrativum* genus pertinet: ideoque penitus foret delendum, quia in Ariſtotele, & Ci-

---

[1] „ *Fateor, me Oratorem, ſi modo ſim, aut etiam qui-* „ *cumque ſim, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ* „ *ſpatiis extitiſſe*. „ In Orator. c.3.

[2] *Vide Voſſium* Inſt. Orator. Tom.I. p.347. *ubi de Hermogene agit*: *&* *Nuneſium*, Rhet. L.III. p.247. *&* *Gaſpar. Laurent.* Præfat. in Hermogenem.

[3] *Muretus*, *Majoragius*, *Palæarius*, *Amoſæus*, *Perpinianus*. *Bencius*, *Ferrarius*, *Cunæus*, *Cellarius*, *Grævius*, *Borrichius*, *Politius*, *ceteri*.

& Cicerone non exſtat. Monuit jam olim vir doctus [1] non omnia, quæ ab Oratore tractantur, ad tria illa pervulgata cauſſarum genera ſtricte poſſe revocari: adeoque primam, & ſecundam Ciceronis in Catilinam ad nullum genus, ſi Veterum præcepta ſequimur, ſpectare. Itaque audiendi non ſunt, qui tam arctis regionibus Eloquentiæ ambitum definiunt.

V. Hinc inepti ſunt, qui optimis libris legendis, non rerum copiam ſelectam, non ordinem, quo argumenta nectuntur, non peracre judicium, non dicendi vim, non caſtitatem, perſpicuitatem, & ſuavitatem ſermonis, non alia multa numero, quæ in ſcriptore elucent, mirantur: ſed paucos Grammaticæ nævos, qui inprudenti, & aliud cogitanti exciderunt, verba aliqua obſoleta, Orthographiæ flagitia non nulla colligunt: & inprudenter exſultant, quaſi vero pulcerrimam eruditionis copiam oſtentarent, probarentque reipublicæ Litterariæ, ſe Criticos eſſe omnibus numeris perfectos.

Commodum notari hæc poſſunt, cum amicus me rogat, ut librum juſta de cauſſa excutiam: cum de eo data occaſione loquimur: cum aliquis contendit, nullum in eo vitium haberi Grammaticæ, verbo, cum neceſſe eſt. Secus ineptiſſimus *pedantiſmus* & eſt, & haberi debet, qui arguit puſillum ingenium, nullum judicium, &, ut paucis comprehendam, hominem, qui glande, fructibus relictis, veſci amat. Tolerabilia hæc fuerint in Laurentio Valla, homine Grammatico, qui hæc ſtudia ſuſcitare in Europa cupiebat, contra eos, qui eum conviciis proſequebantur. Quod etiam, atque eodem nomine, Gaſpar Scioppius fecit. Tamen hic modeſte Voſſium *de Vitiis ſermonis* reprehendit. Nollem tam acriter in Famianum Stradam, & Maffeium inveheretur: ſcriptores eos quidem, qui ſuis nævis non carent; ſed politos, & eloquentes. In aliis vero reprehendenda ſunt. [2] Quod

[1] *Muretus* Præfationibus Commentar. in Catilinariam I. & II. *Conſer. Timplerus*, Syſt. Rhetor. L. V. c. 1. q. 5. *Si tamen rem ipſam penitus conſideramus, ad genus* demonſtrativum *reduci poteſt*.

[2] *Salmaſius, vir doctus, leviſſima quæque in* Solino *reprehendit: cum tamen ipſe, ut notat Petavius, admittat graviora*.

Quod ſi ob non nullos nævos, aut ſingulares voces ſcriptores eruditiſſimi eſſent condemnandi; nec ipſi Latinitatis conditores effugerent, quin ab aliis reprehenderentur. Statilius Maximus [1] libros ſcripſit de ſingularibus verbis apud Ciceronem poſitis. Ubertus Folieta [2] Campianus [3] Taubmanus [4] Andreas Julius Dornmeierus [5] Andreas Schottus [6] plurima in Cicerone notarunt. Quæ tamen, ut monet vir Clariſſimus, [7] dignitati ſtili, ac Latinitati Ciceronis nihil detrahunt. Quam multa in Criſpo, ſcriptore politiſſimo, & vere Romano, repudiarunt obſoleta verba, inſolentia, helleniſmos, & id genus alia Agellius, Aſinius Pollio apud Suetonium, & præter ceteros graviſſimus cenſor Scioppius! [8] In Nepote, & Cæſare, elegantiæ & urbanitatis Romanæ magiſtris, ut vel ipſi ſoli Latine loqui viderentur, nonne homines emunctæ naris verba quædam inſolentia notarunt? [9] Quid Curtius? terſæ, nativæ, & emendatiſſimæ Latinitatis cultor, nonne ob quaſdam voces Grammaticorum ſcuticam meruit? Tamen hi omnes, ut reliquos omittam, cultiſſimæ dictionis ſunt conditores: ab iiſque, quidquid in Latinitate ſcimus, didicimus.

VI. Hinc etiam in ſtilo, ſi alibi uſquam, *pedantiſmus* puerilis frequenter occurrit. Sunt homines, qui tanto in Ciceronem amore ſeruntur, ut religio ipſis ſit, aliquid dicere,

---

viora. Etiam Caſaubonus in ſuis illis Animadverſionibus in Baronium *vel minima quæque, operis Herculei plane laboris, reprehendit; & ad ſex uſque millia errata in eo graviſſima notari poſſe contendit: non animadvertens, ſe & non minora peccare, &, ſi illic eſſet, pejora Baronio commiſſurum.*

[1] *Apud Soſipatrum Chariſium* L.II.Inſt.Gram. p.175.194.

[2] De uſu & præſtantia Latini ſermonis. L.II.

[3] De Imitat. Rhetoric. c.5.

[4] Diſſert. de Latina lingua.

[5] De vitioſo Ciceronis imitatore.

[6] Cicero a calumniis vindicatus. c.7.

[7] *Walchius*, Hiſtor. Critic. ling. Latinæ c.9. p.615.

[8] De Stilo Hiſtorico. p.197.

[9] *Walchius* loco citat.

cere . & cogitare , quod non Ciceronis verbis , & dicendi forma explicari queat: id eſt, quod non in foro , & curia , idque republica Romana ſtante , ſine reprehenſione dici poſſet. Fuere in hac puerili hæreſi Chriſtophorus Longolius, Pomponius Lætus , Paullus Manutius , Lazarus Bonamicus , Marius Nizolius , ceterique nimis multi , quos doctiſſimi homines , & qui penitus cognoſcebant , quo pacto bonos ſcriptores imitari deberemus , merito deriſerunt. [1]

Quid enim ? ſolus Cicero, non vero Terentius, non Lucretius , non Catullus , non Tibullus, & Propertius , non Cæſar , & Hirtius , & Nepos , & Livius , & Horatius , & Cælius, & Pompejus , & Brutus, & Caſſius , & Virgilius , & Phædrus , & Celſus , & Laberius , & Syrus , & Severus Latine ſciunt , & loquuntur ? Atqui ego non dicam ex Quinctiliano aliquo , aut Plinio Cæcilio , aut Silio Italico , aut Aſconio , aut Agellio ; ſed ex ipſo Appulejo , Apicio , Vegetio , Sammonico in Latinitate proficere non dubitarim.

Quod ſi de re Chriſtiana ſcribere coactus ſim , cur non Minucium Felicem , & Lactantium , & Sulpicium Severum , homines bene Latine loquentes ? cur non etiam Ambroſium , Hilarium , Hieronymum , Rufinum , viros eloquentiſſimos ? & , ſi neceſſe ſit, Tertullianum etiam , & Arnobium , & alios conſulere poſſum , ab iiſque verba prioribus inaudita , deſumere ; ut ea , quæ alii non adtigerunt , explicem ? M.Tullius hoc interdixit ne fieret , quem videmus ubique plenum eſſe novitatis , præſertim cum didaſcalica forma diſputat ? [2] Horatius hoc vetuit ? [3] Quid ? putemus verba a principio ſimul cum cælo, ac ſideribus ipſo a Deo condita , & certum his numerum eſſe conſtitutum , quibus novum aliud verbum addere , aut vetus commutare non liceat ? Non verba omnia ſuos habent auctores ? non docti ad unum omnes nova-

[1] *Vide Dornmeierum* . de Vitioſo Ciceron. imitatore.

[2] *Cicer.* de Finib. L.III. princ.

[3] „ . . . . *Si forte neceſſe eſt*
„ *Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum* ,
„ *Fingere cinctutis non exaudita Cethegis*
„ *Continget , dabit urque licentia ſumta prudenter* .
Horat. Poet. v.48.

novarunt infinita ? non vulgus, ruſtici, multitudoque infima principium dedit quamplurimis ? [1]

Atque ego exiſtimo Ciceronem, ſi hic ſit, cum tot res in diſciplinis novas, antiquis plane incognitas, videret, & in animo reputaret; potius amaturum vocabulis novis uti, quam maximo cum dedecore obmuteſcere. [2] Neque vero omnem deducendi, & fingendi licentiam probo: ſed congruentem conſuetudini eorum, qui bene Latine loquuntur: [3] quod ipſe Cicero ſummo cum judicio fecit. Itaque, qui hæc ignorant, & nihilominus alios reprehendunt, ii quidem nec Ciceroniani ſunt, nec Latini: ſed ſcioli quidam, & inepti, qui ludibrium debent viris doctis. Periculum faciant ſcribendo, tum demum intelligent, quam difficile ſit omnia Ciceronis verbis ac dictione explicare. Quid enim ſimile habet Cicero, & Nepos; Livius, & Celſus ? tamen hi omnes & terſiſſimi ſunt, & plane aurei. Itaque non omne, quod Ciceronianum non eſt, e Latio explodendum eſt.

VII. Quid illi, qui vetuſtiſſimam Orthographiam adfectant, & ut antiquiſſimorum librorum callentiſſimi habeantur, ita ſcribunt, ut fragmenta juris Papiriani, aut Decemviralis, aut ipſam Duilianæ columnæ inſcriptionem te videre putes ? Quod ſi aliquid limatius cupiunt ſcribere, archaiſmos omnes, & helleniſmos Pacuvii, Cæcilii, Ennii, & Plauti colligunt; & quando cum iis ſcripta ſua, tamquam ſi eſſent lumina ſententiarum, diſtinguunt, plaudunt ſibi, quaſi vero tetigerint ipſum faſtigium Latinitatis. Legimus quemdam Hiſpanum, virum doctum, qui quædam poemata, & orationes eo dicendi genere contexuit, ut *Saliani* carmine [4] compoſitas fuiſſe diceres; adeo voces erant obſoletæ, & phraſes perturbatæ, & quæ parum intelligi poſ-

[1] *Vide virum diſertiſſimum Q. Marium Corradum*, de Copia Latini ſermonis L.II. p.54.

[2] *Vide Vorſtium*, de Latinitate merito ſuſpecta. cap. 1. *& Taubmanum*, Diſſert. de Latina Lingua. p.40. & *Olaum Borrich.* de Aetat. Latin. Ling. p.39.

[3] *Vide Gaſp. Sagittarium*, de Imitat. Ciceron. §.53.

[4] „ *Saliorum carmina vix Sacerdotibus ſuis ſatis intellecta: ſed illa mutari vetat religio, & conſecratis utendum eſt.* „ Quinctilian. Inſt. L.I. c.6.

poſſent. Qui quidem *pedantiſmus* merito explodendus videtur.

VIII. Hinc & illi reprehenduntur, qui *decorum* aut loquendo, aut ſcribendo non ſervant. Qui magnificentiam ſtili ineptiſſime perſequuntur: nec modo cupiunt bene & eleganter loqui; ſed mirabiliter, atque adeo incredibili modo ſermocinari, ſibi laudi ducunt. Hi tam multa & differentia in iſto genere peccant, vix ut acervatim notari; ſed in ſingulas claſſes tributi a nobis percenſendi videantur.

1. Quidam magnifica verba & orationem rebus vulgaribus adaptant, Polyphemi cothurnos puerulo, & omnia ſtilo gravi depingunt. Si de rebus ſuis domeſticis dicturi ſunt, ea magniloquentia diſputant, ut Marius ipſe ad populum Romanum præ illis humili ſtilo loqui videatur. Si comœdias, ſi tragœdias, aut quid ſimile lucubrant, eamdem orationem Davo, & Oedipo tribuunt: Tytirus eodem modo loquitur, ac Aeneas; ancilla, ac Philoſophus; ſenex, ac puer. Quod ſi ad amicum familiariter ſcribunt, tanto apparatu verborum, & ſententiarum gravitate differunt, ut exiſtimes, Ciceronem ad Senatum de Parthico bello, aut ad Catonem de conſequendo triumpho ſcribere. Quid? offendes obſcuriſſimos ſcriptores, qui cum libros nullius pretii & uſus edant in vulgus, tam graviter tantaque auctoritate præfantur, ut Cicero ipſe de laudibus Cæſaris, aut Pompeii non æque magnifice concionaretur.

In hunc cenſum refertur e Veteribus Tertullianus, de *Pallio* diſputans, quo mutationem pallii ſui probaret reprehenſoribus; Sidonius Apollinaris in *Epiſtolis*; Appulejus, Capella, & Afri tantum non omnes, qui non ſublimi modo, ſed adeo turgida & inflata oratione utuntur, vix ut aliquid inflatius fingi & cogitari poſſit. Recentiorum autem, qui eamdem tibiam inflant, vix numerus iniri poteſt.

2. Sunt etiam, qui magnificentiam orationis obſcuro explicandi modo definiunt. Qui non, quid auctores dicant, ſed, quid ipſi exiſtiment illos dicere debuiſſe, id ſublime & ſplendidum putant. Quæras ab iis, quinam e Latinis magnificentius dicant, & ſentiant: *Panegyricos Cæſarum*, aut *Tertullianum*, aut *Ennodium* dicent. Quid Cicero? quem tu mihi Ciceronem, aut quem rabulam narras, cujus oratio vel a pueris intelligitur. Laudes illis munditiam, ſuavita-

vitatem, & perſpicuitatem Cæſaris, Nepotis, Terentii, Tibulli, Propertii: irrident: lucubratiunculas anicularum, aut nugas puerorum eſſe cenſent. Quanto his ſublimior Perſius. & Barclaius, qui nec a doctiſſimis viris intelliguntur! Quot alia meliora & exquiſitiora in hodiernis Poetis, præfationibus librorum, inſcriptionibus, programmatibus! quot phraſes ibi occurrunt *cedro dignæ*, *&* *auro contra caræ*!

3. Hi lectiſſimam orationem putant, quæ peregrinis, obſcuris, inſolentibus vocibus abundet. Cave putes Ciceronem vocari Ciceronem, ſed *Arpinas noſter*, ex libro phraſium. Plautus, *familiaris noſter Sarſinas*. Horatius numquam Horatius eſt, ſed *Venuſinus cycnus*. Hunc ſi forte cum Virgilio comparant, dicent, ſe *lacrimas*, *&* *ſuſpiria comparare*. Martialis ingenioſe nominatur, *Bilbilitanus argutator*. Pindarus inepte Pindarus, ſed *fidicen lyræ Thebanæ*. Erras ſi hos umquam vinum bibere, aut panem edere putas: ſed *Bacchi munera hauriunt*: *Cererem conſumunt*. Quid? ne cum Deo quidem, niſi ex phraſeologia ſua, loqui poſſunt.

Abſit ut in eorum ſcriptis Alexander appelletur Alexander, ſed *Pellæus juvenis*: aut Ariſtoteles alio nomine, quam *Stagirites*. Quaſi quis melius Alfonſum I. & IIII. ſtrenuos Luſitanorum reges ab aliis ſecerneret, eorumque virtutes extolleret; ſi illum *Vimaranenſem juvenem*; hunc vero *Conimbricenſem* appellaret. Hos nullis condicionibus permoveres ut dicerent: *Omnibus hoc notum eſt*: malunt ex formularum libro: *Et lippis*, *&* *tonſoribus eſt notum*. At lippi hi cum ſuis tonſoribus, ut ſcite monet Cl. Werenfelſius, [1] non multum orationi præſentia ſua adferunt magnificentiæ.

4. Sunt alii, qui orationis granditatem, & ſublimitatem in vocibus grandem ſonum edentibus, & ſeſquipedalis menſuræ ponunt. Amant hi ſolum verba *reſonantia*, *undantia*, *rorantia*, *rutilantia*, *radiantia*, *flammantia*, *coruſcantia*, *tumultuantia*, *bacchantia*, *quadrupedantia*. Nihil in oratio-

[1] De Meteoris Orationis: *qui hæc, quæ in præſentia diſputamus, copioſe inluſtrat*, *&* *lepide reprehendit*.

oratione cohæreat, modo in ea compareant *Cimmeriæ tenebræ, Boſphorus, montes Hyperborei, æſtuantis Adriæ ſinus, Carpathium pelagus, cum inhoſpitali Caucaſo, & Acroceraunii*s. Quis non obſtupeſcat, tantorum vocabulorum ſono! Hanc autem ſcribendi formam vocat lepide Horatius [1] *Verſus inopes rerum, nugaſque canoras*. Qui enim has delicias inhiant, neſciunt profecto, in quo granditas orationis conſiſtat: & cum multa fundant laborioſe, nihil aut bonum, aut tolerabile dicunt.

5. Non nulli, cum aliquid vel narrant, vel amplificant, vulgatas loquendi, & amplificandi formas miſſas faciunt: eaque tantum anteponunt, quæ non dicam inſolita & inaudita, ſed vix credibilia aut veriſimilia ſunt. Extollenda ſint Regis facinora clara: *Hic magis eſt Alexander, aut Cæſar, quam ipſe Cæſar, & Alexander fuerunt*. Deſcribenda ſit regio temperata: *Nulla umquam nubes cælum aſperat, nulla bruma ſegetes extinguit, nulli æſtus adurunt*. [2] Proponat ſibi aliquis dicere, rem aliquam eveniſſe prima Romanæ reipublicæ ætate: en illico: *Non dum Orbis adoraverat Romam, non dum Oceanus conceſſerat Tybri*. [3]

In Poeſi vero quot monſtra comminiſcuntur!

Cum variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum. [4]

Si narrandum eſt, exercitum ſtrenue rem geſſiſſe, ajunt, *milites tanto pugnandi ardore, tanta ira incitatos prælium commiſiſſe, ut etiam poſt mortem in puggando perſeveraverint; non animadvertentes ſe mortuos eſſe*. Si procella deſcribitur, quot turbæ!

Tunc quoque tanta maris moles creviſſet in aſtra,
Ni ſuperum rector preſſiſſet nubibus undas. [5]

Quidam cum vellet in comœdia narrare, quanto niſu hoſtis hoſti cervicem abſcidiſſet, ait, *mortuum, cum ante iſtum verbum poſtremum edere incepiſſet, non niſi quatuor ab illo loco millia paſſuum, quo caput venit cum impetu, perfecte pronunciaſſe*. Tanta erat feralis gladii vis!

6. Ad

[1] Arte Poetica. [2] *Barclajus* Argen.
[3] *Idem Barclajus initio*.
[4] *Horatius in* Art. Poet. v. 29.
[5] *Lucan.* L. V.

6. Ad hæc quot metaphoræ e longinquo petitæ, & quaſi obtorto collo ad argumentum tractæ! Xerxes non amplius dicitur, Perſarum rex, ſed *Perſarum Juppiter*. Vultures non ſunt aves rapaces, ſed *ſepulcra animata*. Heliotropium eſt *florum Mathuſalemus*. Nullæ jam amplius in aëre ſagittæ volant, ſed *pennatæ mortes æthera ſibi vindicant*..

7. Jam illi quam putidi, qui omnia iiſdem oculis, eodem animi ſtatu conſiderant! Qui & ſelecta, & mediocria, & quotidiana ex æquo laudant, aut vituperant! Qui cum ſuorum aut popularium, aut amicorum res geſtas narrant, non Hiſtorici, ſed Declamatoris munere funguntur: characteres inſcite miſcent: & modo ingenium, atque dicendi copiam oſtentent, de reliquis nihil penſi habent! Nullus niſi *doctiſſimus*, & *prudentiſſimus*, & *ſtrenuiſſimus*, in eorum libris occurrit. Trioboli ſcriptores non ſine maxima laude memorantur: omnium ora atque admirationem rapiunt ad ſe: numquam futura ætas de iis conticeſcet: & hujus farinæ alia, quæ ſæpiſſime lectoribus ſe offerunt, nec ſine maximo legentium damno.

Revocatur ad hanc claſſem Curtius, qui perpetuo declamat. Revocatur Paterculus, qui paſſim panegyricos infarcit. Verum hi duo ceteris moderatiores. Noſtra vero, & parentum memoria tot occurrunt in eadem claſſe collocandi, ut eos enumerare velle, res eſſet multorum voluminum. Sed utrum perniciosior *pedantiſmus* excogitari poſſit, neſcio. Id ſcio, hos, qui talem rationem amplexantur, vix umquam de rebus recte judicare poſſe: adeo judicandi aciem hic *pedantiſmus* retundit.

8. Poſtremo & illi inter *pedantas* numerantur, qui id pulcerrimum in oratione putant, quod præter modum eſt ornatum: quorum periodus ubique eſt certæ menſuræ: qui membra & inciſa apte ſibi reſpondentia, antitheſes, comparationes, voces ad numerum repetitas, ſimiliter incipientia & cadentia, jocularia dicta, verborum ambiguitates, fabulas, totamque rerum naturam per allegoriam ad argumentum, de quo diſputant, ingenioſiſſime inflectunt. Qui lucubrationes ſuas dictis, factiſque Veterum, hemiſtichiis, & Poetarum verſibus tamquam luminibus inſigniunt: ut Puteanus, Lipſius, Baudius, ceteri. Qui Græca, & Arabica,

bica ; & Hebræa , & Chaldaica , ubi neceſſe non eſt , conglomerant; quo facilius Polyglotti , & Polyhiſtores habeantur : nec id curant , quam bene & congruenter, ſed quam copioſe & mirabiliter dicant .

Inveteraverant hæc Neronis ætate , ut oſtendunt utriuſque Senecæ ſcripta . At paullo poſt eloquentia in hiſce argutiis , & ornamentis ponebatur : quod jam de ſuo tempore dolent Petronius [1] & Quinctilianus. [2] Verum poſtea quam vetus illa & maſcula eloquentia , quæ Demoſthenis , & Ciceronis ætate obtinebat , revixit , abjecerunt cordati homines ornatum iſtum nimium & exquiſitum , quo naturalis eloquentiæ pulcritudo contegitur : & qui cincinnis & fuco oculos avertit , ne verum contempletur : atque occaſio eſt ſemidoctis hominibus , ut judicii defectum & deformitatem , ut ita dicam , hiſce pigmentis occultent . Incredibile dictu eſt, quam late ſerpat hujuſmodi *pedantiſmus* ! quot homines occupet , ceteroquin eruditos , ſed qui limato judicio non valent ! quam difficulter ab eorum animis evellatur ! quam magnam optimis ſtudiis adferat perniciem !

Viri eruditi duo cum Virgilium explanare vellent , tot inutilia conglobarunt , ut qui interpretationem legat , incertior ſit de vera mente Poetæ , quam ſi nudum contextum legeret . Alii exiſtimant, ſe numquam lectoribus ſenſa ſua probaturos fore , niſi eruditionem omnem ſuam eorum oculis exponant : atque furenti & vaticinanti ſimiles , nec , quid ipſi fundant ; nec , quo illud pertineat, advertunt .

At enim , inquient , & Cicero *de Natura Deorum* fecit : & Recentiores doctiſſimi magno cum litteratorum adſenſu præſtiterunt : ut Scaliger , Salmaſius , G. Budæus , Caſaubonus , Huetius , Bochartus , Dallæus , Petavius , Grotius , Seldenus , G. Voſſius , Thomaſſinus , ceteri . Fateor : ſed id juſtis de cauſſis fecerunt . Nolo ego, Adoleſcentes , exiſtimetis, me eruditionem lectiſſimam contemnere , quam , ſi quis alius , fero in oculis . Non equidem uſum , ſed pravum abuſum condemno, & modum commendo . Qui ſecus facit, quamquam doctiſſimus ab ineruditis habeatur , *pedantiſmi* notam apud viros doctos non effugiet .

Neque tamen, Adoleſcentes , putetis, me omnia , quæ ma-

[1] Princip. Satyr. [2] L.II. & VIII.

magna illa nomina factitarunt, probare. Sunt, in quibus rideam: ſunt, in quibus indigner: aliquando in graviſſimis rebus judicium requiro. Sed condonamus hæc partim humanæ tarditati, partim ætatis illius conſuetudini; quæ viros etiam accuratos & politos in errores inpellunt: tum ob eorum præclara in rem litterariam merita a graviori cenſura temperamus: id æquitas exigit a nobis. Verum lex nulla nos cogit, ut hominum quamtumvis doctiſſimorum errata probemus; &, quod pejus eſt, anxie imitari velimus. Libero omnia judicio perpendimus. *Tales ſumus in ſcriptis aliorum: tales eſſe volumus noſtrorum lectores.*

VIIII. Hinc & illi *pedantibus* adjunguntur, qui in colloquiis familiaribus, eorum præſertim, qui litteris non vacarunt, Latinis verbis, & peregrinis linguis utuntur: & recondita eruditione, velint alii nolint, eorum aures pulſant. Ut etiam illi, qui, cum ſe ad reſpondendum de quibuſdam argumentis compararunt, captata aſtute occaſione, de iiſdem colloquentes interrogant, & in oſtentanda eruditione multi ſunt.

Laborant hoc vitio præter ceteros Aulici, & Politici, vel qui ad eorum diſciplinam vitam componunt. Qui cum varia doctrina culti ac litterati videri adfectent; indices ſeu titulos librorum, &, ſi forte, præfationes, in quibus argumentum operis, & ſcribendi conſilium fere continetur; inſpicere ſatis habent: atque ſermonibus ſuis ea, quæ legerunt, admiſcent, ut helluones librorum eſſe videantur. Neque vero id ſolum, ſed doctos homines, qui ad Aulicorum exemplum, corporis geſtum, & inceſſum, & habitum conformare non curant; atque aulæ verbis, plerumque nihil ſignificantibus, uti nolunt, veluti *pedantas* rident & exſibilant. Quid autem eſt, ſi non hic *pedantiſmus* eſt?

X. Quid illi, qui nulla habita aut temporis, aut loci ratione, longo ſermone, quæcumque occurrunt, exponunt, & nimis multa eruditione obruunt auditorem? Hac ineptia plerumque infuſcatur erudita illa Rhetorum, & Juriſprudentum natio: qui cum aliquid ſunt narraturi, exordio alte petito res etiam protritas enarrant: & copia dicendi auditores ſuos enecant, obtundunt. Ad quam claſſem etiam Politici non nulli merito ſuo poſſunt revocari.

Quid autem niſi ineptum eſt, longa oratione, quæ pau-

cis verbis dici deberent, explicare: & incommode Rhetorem agere, & Declamatorem? Merito ait Cicero, *Eloquentiam ſemper eſſe ineptam, niſi quando eſt neceſſaria*. Ego vero exiſtimo, nihil ineptius cogitari poſſe, vel id ſcripto, vel in familiari ſermone fiat.

De Henrico Magno Gallorum rege, refert Huberus, [1] cum a Legatis Maſſilienſium conveniri deberet, admitti eos juſſiſſe, cum ipſe ad prandium feſtinaret: ſperans breviter eos de more, quæ vellent, eſſe expoſituros. Sed Orator exorſus eſt hoc modo: *Hannibal ex Karthagine proficiſcens*. Tum Rex, *Hannibal*, inquit, *ex Karthagine proficiſcens pranſus erat: ego vero pranſurus ſum*. Et cum dicto abiens, Oratorem cum ſuis rubore ſuffuſum reliquit. Id ipſum Ludovico Magno evenit. Nam cum Iperis, & Gandavo captis, Lutetiam contenderet, Inſularum magiſtratus in via conſtiterat Regi victoriam gratulaturus. Stabat Orator parans exordium. Quod Rex ab ultimo peti animadvertens, *Satin' vobis placent*, inquit, *Gandavum, & Iperæ captæ? Utique*, illi. *Etiam mihi*, inquit Rex: & quin reliquam orationem exſpectaret, viam inſtitit. Itaque quicumque eruditione excultus videri, ubi neceſſe non eſt, adfectat, *pedanta* eſt. Quorum quam magnus ſit numerus, vel me tacente intelligitur.

CAPUT IIII.

De Pedantiſmo Philoſophico profligando.

SED nec hi tantum *pedantiſmi* vitio infuſcantur, quos modo nominavimus, Adoleſcentes: verum illi omnes, qui in gravioribus diſciplinis *nec finem, quem ſibi ponunt, perpendunt; nec, quibus adjumentis ad eum pervenire poſſint, conſiderant*; eadem labe maculantur. Quamquam vero hic pedantiſmus in omni varietate diſciplinarum locum habeat, uno tamen *pedantiſmi Philoſophici* nomine deſignatur: propterea quod ab eodem fonte dimanat, ſcilicet *inprudentia judicandi*: quæ prudentiæ recte cogitandi, id eſt Logicæ, cujus

[1] *In* Oratione de Pedantiſmo, *quæ exſtat ſine* Logicæ Thomaſianæ.

cujus in omnibus diſciplinis præcipuus uſus eſt, proxime repugnat.

I. Hinc merito illi condemnantur, qui jurant in verba magiſtri, & religioni ducunt, ab ipſius ſententiis vel minimum declinare. Hic *pedantiſmus* veteres Pythagoreos infuſcavit: qui tantum præceptori ſuo tribuebant, ut ſemper in ore haberent, αὐτὸς ἔφα, *ipſe dixit*: quod illis erat pro demonſtratione Geometrica.

Id ipſum Arabes cum Ariſtotele ſuo, & Galeno factitarunt. Id Scholaſtici, qui ab Arabibus doctrinam acceperant, ab XII. ſæculo tanto ſtudio præſtiterunt, ut non, quid eſſet verum, ſed, quid Ariſtoteles dixerit, anxie explorarent: immo non, quid Ariſtoteles, vir non ineptus, dixerit; ſed quid Arabes, qui Philoſophi ſententias perperam interpretati fuerant, eidem adfinxerint, inveſtigarent. [1] Ex quo illæ enarrationes, quæ, pro dolor! tot ſæcula invaluerunt: & impedimento fuere hominibus, ne præclarum aliquid in bonis ſtudiis molirentur. Et niſi vergente ad finem ſuperiori ſæculo tale jugum Philoſophi penitus excuſſiſſent, adhuc in illa barbarie & ſqualore diſciplinæ omnes jacerent.

II. Hinc eodem *pedantiſmo* laborant ii, qui cum animum ad aliquam diſciplinam applicant, non animadvertunt, quo

 illud,

[1] *Sæculo* XV. *Ariſtotelis ſententias non ex Arabum lacunis inmundiſſimis, ſed ex Græco fonte quidam Philoſophi hauſerunt, & ſaniorem philoſophiam Peripateticam docuerunt. Primus Nicolaus Leonicus talia conatus eſſe videtur. Sæculo autem* XVI. *Pomponatius, Majoragius, Sepulveda, Victorius, Zabarella, Picolomineus uterque, Nuneſius, ceteri, eamdem rationem ſecuti ſunt, quam* Rigido-Peripateticam *vocarunt. Melius adhuc Scherbius, Taurellus, Jacobus Thomaſius, Conringius, ceteri, viri in hiſtoria Philoſophica, & veteribus litteris eruditi, eodem, & ſequenti ſæculo Ariſtotelis ſcripta inluſtrarunt: eumque emendarunt in multis, idque libero, quoad ſectæ ſtudium ferebat, judicio. Et hi anteponendi ſunt vulgarium interpretum turbæ, qui Ariſtotelem ne legiſſe quidem, ne dum intellexiſſe, videntur. De Philoſophia loquor: nam non nullos eorum nimis multos errores Theologicos foviſſe, nemini dubium eſt.*

illud, quod diſputatur, pertineat: quemque fructum mens humana ex talibus diſciplinis capere debeat. Sed quaſi infelices picæ ea memoriæ mandant, in quæ caſu aliquo inciderunt, nec mentem germana eruditione exornant.

Hujuſmodi ſunt, qui in Logicis ſubtilitatibus conſeneſcunt; quin umquam intelligant, Logicam non eſſe finem inveſtigationis noſtræ, ſed adjumentum ſeu medium ad diſciplinas comparandas. Qui in Theologia, aut Juriſprudentia addiſcenda, ita uni ſe diſputationi addicunt, ut ſibi perſuadeant, paucis pagellis orbem ſcientiæ definiri: nec illud ad corpus diſciplinæ referunt, nec, qua de cauſſa diſputatur, intelligunt. Qui Hiſtoriam dies, noctesque legunt, quin aliquod inde documentum ad moderandos mores deducant. Verbo, qui ſine ulla methodo diſciplinis vacant, nec de polienda mente judicioque formando cogitant. Horum ſane infinitus eſt numerus.

III. Ad eamdem claſſem referuntur illi, qui in unam diſciplinam toto pectore incumbunt, quin ea, ex quibus lucem ipſa accipit, adtingant. Quid enim niſi ineptum eſt, Hiſtoriæ ſe dare, quin prius Geographiam, & Chronologiam, duo Hiſtoriæ lumina; mores, conſuetudines, & religiones populorum perfecte calleat? Quis ferat homines, qui Naturali philoſophiæ dant operam, quin Geometriam, & Arithmeticam, Phyſicæ ocellos duos, animo recte percipiant? Quis umquam in juriſprudentia Civili progreſſus ullos habuit, quin a philoſophia Morali, & arte Logica, & Romana hiſtoria duxerit ſtudium? Quis Sacram ſcientiam, quis Pontificium jus cum pretio edidicit, qui non linguis Orientalibus, & veteri diſciplina Eccleſiæ, & hiſtoria cum Sacra, tum Profana, & arte Critica mirandum in modum fuerit eruditus? Quod qui non faciunt, ut multi non faciunt, ii quidem, quin in re graviſſima ineptiant, & exemplo ſtultitiæ aliis ſint, effugere non poſſunt.

IIII. Adjungimus his Philoſophos non nullos, qui omnia ad Philoſophiæ ſuæ canonas reducunt: horumque ope ſe abſtruſiora quæque dilucidare poſſe confidunt. Hi Sacros codices, hi Patrum ſcripta, hi Conciliorum ſanctiones, hi Pandectas, hi Veterum ſcriptorum ſententias ex opinionibus ſuis tam copioſe fidenterque exponunt; omnino ut admirentur, qui audiunt, unde illis tam ſingularis eruditio, tam-

tamque exquiſita interpretandi via ſubito extiterit. Quod ſi ea, quæ fundunt, examinamus, plane intelligemus, ſomnia eos & nugas lectoribus venditare.

V. In eodem numero ponuntur illi, qui res, quas ipſi, ne dum alii, non intelligunt, magna vocis, & laterum contentione diſputant. Quis enim ſibi perſuadeat fieri poſſe, ut duo homines, quorum alter Perſice tantum, alter tantum Luſitane ſciat; poſtea quam integrum diem collocuti fuerint, interrogati, quid dixerint; alter adfirmet, ſe intricatiſſimam argumentationem oppoſuiſſe: alter vero, ſe ſingulas objectionis partes penitus infirmaſſe? Tamen id faciunt frequenter illi, qui de *quidditatibus*, *hæcceitatibus*, *formalitatibus*, *de ente rationis*, *de natura univerſali*, *de diſtinctione inter gradus Metaphyſicos*, *de creatura indeputabili*, *de appetitu materiæ primæ*, *de materia ſpirituali*, *de formis cadavericis*, *de unione corporea*, *aut ſpiritali inter mentem & corpus*, & ſexcentis hujuſmodi altercantur inter ſe. Hi certe nihil magis ſe invicem, quam illi, quos antea memoravimus, intelligunt. [1]

VI. Horum ſimiles ſunt illi omnes, qui de re, quæ humanæ rationis præſidiis nequit expediri, clamoſe contendunt. Ut illi, qui de *poſſibilitatibus mentium*, de *unione continui corporis*, de *figura particularum materiæ*, & hujus generis aliis diſſerunt. Qui facerent ſapientius, ſi, miſſis iis, quæ percipere non poſſunt, vacarent utilioribus.

VII. Neque vero *pedantiſmo* liberantur, qui ſtudio novandi tenentur, & nova ſyſtemata, aut paradoxas hypotheſes condere pro fine habent: nec tam quærunt, quam vere, ſed quam nove dicant, ſuique admirationem in aliorum animis ſuſcitent. Quo vitio Recentiores non nulli philoſophi magni nominis infecti ſunt: qui etſi multa, & præclara excogitent, tamen interdum talia obtrudunt, quæ tolerari vix poſſunt.

X 4 Quis

[1] *Nempe intelligunt ii quidem voces, & interdum ideas abſtractas, quas vocibus adjungunt. Sed cum talibus ideis nullæ res tales reſpondeant; diſputant de nihilo. Proinde, ut ut multas voces fundunt, nihil revera dicunt: ideoque ſe non intelligunt, tum quod nihil dicunt, tum quod ſæpiſſime diverſas ideas vocibus ſubjiciunt.*

Quis enim non animadvertat, Carteſium, Hobbeſium; Malebranchium, Rudigerum, Tſchirnauſenium, Poiretum, aliosque nimis multos hoc ſibi propoſuiſſe, ut auctores ſyſtematum haberentur, & in omnium ore ac ſermone verſarentur? Liberamus tamen hac nota eos, qui ſyſtemata eo conſilio condunt, ut rei litterariæ prodeſſe queant. Immo vero laude digni ſunt ii, qui ea excogitant, quæ tirones ad ſolidam ſcientiam facillime ducant.

VIII. Referuntur inter *pedantas* iſti, qui dum aliquid lucubrant, auctorum nomina, & ſententias ad verbum deſcriptas ſine ullo fine connectunt: & ingentia volumina conſcribunt, in quibus, ſi inutilia demas, boni vix aliquid ſupereſt. Peccant hoc peccatum innumeri Juriſconſulti pragmatici, qui & legibus, & copia eruditionis opprimunt lectores: bene an male, nihil ad eos: modo eruditiſſimi habeantur, nihil morantur reliqua. Sed præter ceteros, qui *Conſilia* tum in re, quæ ad Juriſprudentiam, tum quæ ad Moralem diſciplinam pertinet, ediderunt: in quibus ſani judicii, & exactæ ratiocinationis parum, nominum vero, & numerorum totæ pagellæ ſunt plenæ. A quo vitio non nulli cum Philoſophi, tum Theologi, aliique nimis multi mentem non abſtinent.

Ac ſane in hac litterarum luce non tam auctorum nomina, quam rationum momenta ſunt conſideranda. Nec id modo in aliis diſciplinis, ſed etiam in Juriſprudentia faciendum eſt: quæ cum ex Morali philoſophia derivetur, fit conſequens, ex eadem legitimam interpretationem eſſe ducendam. Hoc ipſum veteres Conſulti, Scævola, Varus, Sulpicius, Labeo, Capito, Maſſurius Sabinus; & mediæ ætatis illi, Papinianus, Ulpianus, Paullus, Modeſtinus, ceteri exemplo ſuo docuerunt: qui niſi iidem & Philoſophiæ, & Juris eſſent periti, numquam ad illam præſtantiam perveniſſent. [1]

Memini virum clariſſimum nec Juriſperitum modo, ſed etiam Polyhiſtorem egregium, quo familiariter uſus ſum, cum operam darem Juriſprudentiæ, ita me compellaſſe:

[1] *Confer. Gravina*, de Origine Juris L. I. §. 45. & Orat. III. de Juriſprud.

laſſe: *Fili mi, ſi quando in auctorem aliquem incideris, de quo incertior ſis, bene an male ſcribat; illud primum conſidera, quam multos auctores in ſingulis partibus nominat. Si longum catalogum intexit, ſcito male eum ſcribere: nec enim fieri poteſt, ut omnia ſuis oculis pervolverit. Ut autem reliqua calleat, illud profecto ignorat, quæ ſit optima methodus*. Quod monitum viri doctiſſimi velim, Adoleſcentes, animo defigatis.

VIIII. Etiam & illi inepti ſunt, qui de aliorum ſcriptis judicium confidenter faciunt, quin ea, quæ neceſſaria ſunt, ut apte judicent, habeant. Quam enim temerarium eſt, de Juniorum philoſophorum ſententiis judicare, prius quam eorum placita, & hiſtoriam Litterariam vel a limine ſalutent! Quis ferat eos, qui nulla veræ Theologiæ eruditione imbuti, nulla artis Criticæ notitia tincti, non nullorum ſententias, tamquam ſi eſſent Catholicæ fidei repugnantes, magno ſupercilio repudiant, quas ii non dicam non expendunt, ſed ne intelligunt quidem!

Quis ſine ſtomacho videat Juriſconſultos non nullos, qui in illis turbidis fontibus Accurſii, Bartoli, Baldi, Jaſonis, Cumani, Fulgoſii, Decii, ceterorumque pragmaticorum hauſerunt, præ ſe contemnere eos, qui Cujacium, Hottomannum, A. Gouveanum, Donellum, Duarenum, Gothofredum utrumque, Fabrum, Muretum, A. Auguſtinum, Gifanium, G. Budæum, Briſſonium, Juris lumina: qui Grotium, Seldenum, Puſendorfium, C. Thomaſium, J. F. Buddeum, Heineccium, Rudigerum, Wolfium, Conringium, Boſſium, Bohemerum, Naudeum, ceteros, qui Naturalem, & Civilem juriſprudentiam, atque adeo ipſam Politicam diſciplinam ex ſqualore & pulvere, in quibus erant, extraxerunt, in ſuccum & ſanguinem convertunt! Intoleranda profecto hæc ſunt: & tamen nihil frequentius.

X. Sed præter ceteros ſunt *pedantæ* illi, qui ſe aliquid neſcire vix umquam ingenuo pudore confitentur. Jactabat ſe quidam Theologus; ex iis nimirum, qui Scholaſticam theologiam leviter adtigerant; nihil tam eſſe abſtruſum in Sacra ſcriptura, quod ipſe non plane & expedite enuclearet: & memoriter quædam recitabat, ex quibus iis, qui aderant, monſtri ſimile in Sacra eruditione eſſe videbatur. Advenit caſu vir doctus, & pius, qui, ut hominis frangeret inpuden-

dentiam, primum caput Geneſeos ſibi explicari petit: & omnia proponit, Phyſica, Metaphyſica, Philologica, Hiſtorica, Theologica, quæ in eo capite continentur: ac de ſingulis erudiri ſe velle ſignificat. Hic miſer *pedanta*, cum ſe fruſtra jactaret, nec aliquid commode diceret, nihilo ſecius inſcientiam ſuam noluit profiteri.

Quod ſi homines hi mente reputarent, quanta in rerum caligine & ignoratione verſemur, ut ne illa quidem, quæ tangimus & contrectamus; ne nos quidem ipſos, quibus nihil nobis præſentius eſt, intrinſecus cognoſcamus; plane faterentur, doctiſſimum quemque, & in perſcrutatione veri exercitatum eum eſſe, qui ſe innumerabilia neſcire, plurima non niſi probabili conjectura adſequi, pauciſſima vero certo cognoſcere, ingenue confitetur.

XI. Quod ſi intolerabiles *pedantæ* ſunt, qui inſcitiam ſuam in aliqua eruditionis parte renuunt confiteri; quid de illis dicemus, qui ſe diſciplinarum circulum abſolviſſe arrogantius adfirmant? Neque vero, Adoleſcentes, judicetis, Leontinum Gorgiam aliquem, aut Græcum ſophiſtam alium ex inferis eſſe ſuſcitandum, qui in concione poſcat quæſtionem, & ſe de unaquaque re paratum eſſe dicere ſignificet: ſunt in præſentia non nulli, qui eadem chorda oberrant: ſunt, qui eorum inpudentiam laudibus extollunt. Sunt homines, qui cum materiarum indices ſeu repertoria legerint, & inde ſumſerint quædam, quorum ope aliis egregie inponant; inmenſam eruditionem ſe habere ſimulant aſtute: alioſque vel indoctos, vel de hoc parandæ famæ artificio nihil ſuſpicantes, in errorem inducunt. Quod quam ſit ineptum, videtis.

XII. Hinc & illi *pedantæ* ſunt, qui diſciplinas omnes, quas ipſi non didicerunt, rejiciunt. Frequentiſſime hunc ſcopulum plerique, qui ad litteras ſe applicarunt, offendunt. Ac primum Philologi plerumque eos, qui gravioribus diſciplinis dant operam, quaſi *pedantas* contemnunt. Scholaſticus exſibilat eum, qui ab experientia, & Geometria Phyſicam notitiam ducit: qui ab Scriptura, & Traditione, miſſis Metaphyſicorum argutiis, Theologiam derivat: qui Moralem diſciplinam ex jure Naturæ, & Gentium, ex Sacra ſcriptura, & Eccleſiaſticis ſanctionibus, non ex *Caſuiſtarum* centonibus, ſummo judicio haurit. Juriſconſultus pragmaticus

ticus ſuo Decio, Tartagna, Socino, Cumano, Saliceto, de Butrio, Fulgoſio, ceteris contentus; ridet anteceſſores Juris, qui ex purioribus fontibus Juſti, & Injuſti prudentiam deducunt; quaſi homines finiendis liticulis ineptos.

Contra graviorum ſtudiorum cultores nimis multa in eos, qui in alias diſciplinas incumbunt, ſibi permittunt, eoſque præ ſe contemnunt. Inepti utrique hoc nomine, quod neſciunt diſciplinas omnes communi quodam vinculo contineri, & alias aliis opitulari; atque ſuam cuique laudem eſſe litterarum cultori, ſuam diſciplinis omnibus, ſi recta intelligentia, & definita animi moderatione unaquæque earum gubernetur.

XIII. Etiam cum *pedantibus* junguntur illi, qui repugnantes ſibi, & in aliam ſententiam diſputantes ferre nequeunt. Qui cum aliquid vel bene, vel male excogitarunt, & ediderunt, ea animi demiſſione id ipſum ab omnibus admitti cupiunt, quaſi ex Hammonis fonte oracula relata. Qua quidem ineptia an alia major excogitari poſſit, neſcio: id ſcio, hoc vitio eos interdum infuſcari, qui in diſciplinis ſumma cum laude verſati ſunt. Nam ut Voëtium, Robervalium, ceteroſque omittam Recentiores, vel unus Carteſius luculentus nobis teſtis eſt. Hic enim, niſi principatum in Philoſophia adfectaret, tam ægre non ferret, ſe a quibuſdam Jeſuitis, ab Ultrajectinis, & Leidenſibus Philoſophis; &, quod plus eſt, ab Hobbeſio, & Gaſſendo, amicis olim ſuis, ob quædam placita reprehendi; ut ad magiſtratuum auctoritatem tamdem confugeret, quo facilius reprehenſores ſuos debilitaret. Neque in Regium inveheretur hoc nomine, quod, Carteſianiſmo relicto, Eclectice philoſopharetur: quod parum generoſam indolem declarat.

XIIII. Poſtremo accenſentur pedantibus *Conſequentiarii*: ii nimirum, qui, dum aliorum ſententias confutant, non everſis fundamentis contrariæ opinionis; ad conſequentias confugiunt; quo adverſariorum famam, & ſalutem in diſcrimen vocent. Exiſtimantes ſe, ſi minus rationibus, ſaltim periculoſis conſequentiis adverſarios de gradu, & cauſſa eſſe dejecturos.

E. g. Laudet quis in J. Sturmio, Buchanano, Camerario, Hottomanno, Cunæo, Grævio, ſtilum emendatiſſimum: in Clercio, Menckenio, & Werenfelſio, aciem judicandi: eradi-

eruditionem Uſſerii, Grotii, Joſephi Scaligeri, Bocharti, Voſſiorum, Buxtorfiorum, Seldeni, Lightfooti, reliquorum: inveſtigationem Philoſophicam Boylei, Leibnizii, Nevvtoni, Leeuvvenoekii, Clarckii, Derhamii, Buddei, ceterorumque Hæreticorum, qui diſciplinas graviores in bono lumine collocarunt. Infert *conſequentiarius*: Eſſe Hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum: non eſſe audiendum: & quidquid eruditionis inde profluit, tamquam pernicioſum, eſſe explodendum.

E contrario, reprehendat quis non nulla errata Melitonis, Juſtini, Irenæi, Papiæ, Clementis Alexandrini, Lactantii: tum & nævos alios, qui Veteribus epiſcopis, vel aliud meditantibus, exciderunt: & laudet diligentiam quorumdam Hæreticorum, qui inter tot convicia, quibus ſanctiſſimos viros proſequuntur, non nullos nævos docte notarunt. Hic iterum *conſequentiarius*: Ergo eſt Hæreticus: nam Veteres chriſtiani, & Doctores nihil non bonum poterant cogitare, ne dum ſcribere.

Jam prima illa ratiocinatio: *Laudat eruditionem Hæreticorum: ergo eſt Hæreticus*: eſt falſa. Adeoque, quæ inde ducuntur, ceteræ eodem vitio laborant. Nam non omnia, quæ Hæretici dixere, ſunt falſa: nec omnia, quæ Catholici ſcripſerunt, vera ſunt. Utrique & bona, & mala ſcripſere; quæ expendenda ſunt ad oraculum *Vaticani*: & ſi per ejus leges terræ orbem obambulare poſſunt, temere reprehenduntur argumentis ab invidia ductis. Eodem jure argumentaremur hoc modo: Laudat dicendi copiam Ciceronis: tuetur mordicus dogmata Ariſtotelis: adhæret placitis Galeni, Avicenæ, Averroeſii, Avempace. ergo eſt Ethnicus, aut Muhammedanus. Quod tamen ineptiſſimum argumentandi genus eſt.

Oportet autem, ut conſecutio ſit legitima, ex regulis Critices verba hominis examinare. Deinde neceſſe eſt, ut ea proxime, & neceſſario ex auctoris principiis fluat. Nec id ſolum, ſed etiam neceſſe eſt, ut certo ſciamus, auctorem hanc periculoſam conſequentiam prævidiſſe. [1] Nam multa viris doctiſſimis oſcitantibus excidunt, quæ ipſi non animadvertunt. Vete-

[1] *Vide Hollmannum* Diſſert. de Jure Conſequentiarum. 1726. 8.

Veteres multi futurum eſſe in terris *millenarium* Chriſti regnum dixere, vel in hanc partem propenderunt. Alii contendebant, beatum adſpectum Sanctorum animis denegari ante diem extremi judicii: & in hac ſententia publice fuere, antea quam Benedictus XII. ſanctione ſua eam damnaverit. [1] Tamen hac de cauſſa Hæretici non habentur, quia Eccleſiæ judicium non conſtabat, nec illius decretis pertinaciter repugnarunt. Qui autem ejuſmodi machinis diſputantes aggrediuntur, vel id inſcitia, vel pertinacia eveniat, *pedantæ* ſunt, & ab concione litteratorum ejiciendi.

Et hæc ſunt præcipua *pedantiſmi* genera, ad quæ cetera nullo negotio reducuntur. Superſedemus reliquis, ne infinite excurrat oratio. Cum ex iis, quæ diximus, ſit manifeſtum, corruptum judicandi guſtum, & veræ Philoſophiæ inopiam cauſſam eſſe, cur in *pedantiſmum* incidamus: id eſt, in nulla diſciplina finem, atque adjumenta commode cognoſcamus, modumque teneamus. Quæ ſi recte agnoſceremus, caveremus profecto ab ineptiis, quæ nos doctiorum & prudentium ludibrio exponunt: quod ipſum eſt, in unaquaque re eſſe Philoſophum.

CAPUT V.

De Uſu Logicæ.

I.

Reliquum eſt, Adoleſcentes, ut vos doceam, qualem fructum ex hiſce lucubrationibus capere poſſitis, quoque id modo facillime conſequamini. Quod ego præceptum tanti facio, ut niſi illud penitus intelligamus, & memoria teneamus, reliqua omnia ſupervacanea eſſe exiſtimem.

Et quidem omnes homines, vel ii docti, vel ineruditi ſint, logica Naturali pollent: id eſt, ea facultate intelligendi, & ratiocinandi, quæ animis innata eſt. Hac plurimi, immo & pæne omnes, cum in vita domeſtica, tum publica aliquando bene ratiocinantur: ac aliorum errores inveniunt, & pa-

[1] *In Extravag.* Benedictus Deus, *apud Bzovium ad annum* 1336.

& patefaciunt. Hæc artem ratiocinandi genuit; & expolivit. Nam cum homines longo rerum uſu edocti animadverterent, aliquando mentem noſtram errare, aliquando bene ratiocinari; notarunt errores, & regulas quaſdam formarunt, ex quibus hæc ars ratiocinandi, ſeu *Artificialis logica* exſiſtit: quæ & artem inveniendi præmiſſas veras, & artem concluſionem recte deducendi, complectitur.

Verum uſu & experientia edocemur, homines ſibi relictos, & ſine regulis ratiocinantes, in infinitos errores incidere. Iccirco oportet quaſdam regulas habeamus, ad quas ratiocinationes noſtras dirigamus, ne inprudentes decipiamur. Quarum meliores hucuſque tradidimus.

Sed nec id ſatis eſt, regulas omnes notas & familiares habere, niſi uſu valeamus, & eas ad privatas contentiones applicemus: idque in re nova, quam numquam a præceptoribus audivimus, præſtemus.

Fingamus eſſe aliquem, qui Geographiam, & Nauticam artem compertas habeat, eaſque auditores plures annos docuerit; veruntamen mare numquam fuerit ingreſſus. Quis ſanus huic homini navem dirigendam committet? Sane multo facilius indoctiſſimus nauclerus, quam noſter ſapiens, curſum longiſſimum inſtituet. Eodem modo qui regulis abundat, non is quidem eſt Logicus: ſed qui eas in promptu habet, & ex longo meditandi uſu iis in quolibet argumento uti novit, & poteſt, hoc nomine inſignietur. Quod nemo, qui modo ſit doctus, negabit.

Ad hoc igitur revocatur controverſia: quonam modo uſum Logicæ comparabimus. Hic veteres omnes cum Græci, tum Romani tacent, quia methodum non agnoverunt. Peripatetici ne ipſi quidem de hoc diſputant: tantum clamoſa diſputatione exercent puellos, & hoc modo uſum aliquem ſe conſecuturos eſſe arbitrantur. Recentiores in diverſas abiere ſententias. Mihi ſane cum doctiſſimis, & bene exercitatis hujuſmodi methodus potior videtur.

Initium ducat a librorum didaſcalicorum lectione. Seligat eos, qui meliori methodo videntur conſcripti: & 1. Examinet, an regulas Logicæ, quantum argumentum patitur, ſervent. 2. Deinde veniat ad argumenta, eaque ad leges, quas paullo ante poſuimus, expendat. 3. Tum de ſtilo ferat judicium. Sic facile animadvertet, quam bene, aut quam male ſcribat. Prin-

Principio ſe exerceat *in Arte Cogitandi*, *Purchotio*, *Robaultio*, *Malebranchio*: nam ceteri, qui ſtrictam Geometrarum methodum ſequuntur, ut *Graveſſandius*, *Keillius*, *Wolſius*, & his ſimiles, tironibus ingeniis non ſunt idonei. Deinde in aliis auctoribus, nempe Theologis, Juriſperitis exerceat ſe. Sed breviores auctores legat: nam ceteri tironibus apti non ſunt.

Unum moneo, ne in Scholaſticorum plerorumque ſcrutandis ſcriptis tempus conſumat. Etenim hi auctores plerumque bonæ methodi rationem non habent: ad ſummum eorum aliqui argumentum exacte dividunt in partes: cetera nihil morantur. Utiliter tamen per otium unus & alter volutari poteſt, ut errores, qui magis ſunt conſpicui, notemus, & caveamus.

Præterea in Hiſtoricis ad diſciplinæ præcepta expendendis non nihil temporis inſumere neceſſe eſt. Legat e. g. judicium, quod Clercius in *Arte Critica* de Q. Curtio facit: vel, ſi legendi facultas non erit, memoria repetat ea, quæ ſuperiori libro de Hiſtoricis diſputavimus. Tum ſumat in manus Hiſtoricum aliquem domeſticum inluſtriorem, nimirum *Hieronymum Oſorium*, vel *Maffeium*, vel *Hyacintum Freirem Andradium*, vel *Emmanuelem Fariam*, vel *Antonium Rodriguezium Coſtam*, aut aliquem eorum, qui hac ætate ſcripſerunt cum laude, & conſideret diligenter, an habeat virtutes, aut vitia, quæ Clercius in Curtio, poſt iteratam lectionem, invenit.

Item in Orationibus Ciceronis, Mureti, Perpiniani, Palearii, Amaſæi, Buchneri, Cunæi, Cellarii, Achillis Statii, Oliverii [1] aliorumque perpendendis acuat ingenium: nec modo Rhetoricam, ſed Philoſophiam quærat in iis. Hæc qui faciet, quin reliquos longo poſt ſe intervallo relinquat, dubium non eſt. Nam & de rebus accuratum judicium faciet; & eos interdum in auctoribus reperiet nævos, quos plurimi, qui erudtiſſimi habentur, in iiſdem deliteſcere num-

[1] *Iſidorus Oliverius Luſitanus, de Clericis Regul. Scholarum Piarum, vir doctus, & diſertus, qui Orationes aliquas eruditas, & per quam elegantes Romæ paucis ante annis habuit.*

re numquam ſuſpicati fuiſſent. Et hæc de *meditatione*, & *lectione*.

De *contentione* vero pauca dicenda ſunt. Etenim pauci ſunt, qui diſputando cum altero pro fine ponant, verum inquirere, & patefacere: atque ad id efficiendum ea, quæ neceſſaria ſunt, habeant. Adeoque vix umquam diſputando proficitur. Veruntamen ſi diſputatio recte, uti demonſtravimus, inſtituatur, utilitate ſua non caret.

II.

Reſtat ut vos præmuniam, Adoleſcentes, contra moroſos quoſdam, qui nos hoc nomine reprehendunt, quod Scholaſticorum diſputandi viam non amplexamur: quam illi ad puerorum ingenia polienda omnino neceſſariam eſſe exiſtimant. Scilicet acutiſſimi conjectores prævident, niſi ſcripta noſtra iſtis vocabulis adſpergamus, *argues*, *inſtabis*, *urgebis*, *ſubinſtabis*, *diſtinguo*, & *ſubdiſtinguo*, *formaliter*, & *materialiter*, & *eſſentialiter*, ceteris, iiſque ſine ullo fine repetitis; fieri non poſſe, ut ii, qui noſtra recte perceperint, appoſite & intelligenter re aliqua propoſita judicent. Quibus nos ſi reſpondere conaremur, quin riſum deberemus viris doctis, vix fugere poſſemus. Patimur æquo animo, ut reprehenſores noſtri mentem talibus doctrinis paſcant: nos a via, in quam ſemel ingreſſi ſumus, non declinabimus. Tantum non nulla, explicationis gratia, adjungemus.

Logica, uti diximus, ea eſt, quæ mentem exacuit, ut in omni loco, & tempore recte judicet, & ratiocinentur. Quare non ea eſt, quæ in diſputationem venit; ſed ex cujus legibus in reliquis diſciplinis probe dijudicamus, ac diſputamus. Id cum intelligerent Recentiores, viri accurati, abjecerunt illorum conſuetudinem, qui prius puerulos diſputare cogunt, quam ſciant diſputare: & legerunt ea, quæ & perſpicue ſunt vera, & hominibus doctiſſimis, multumque, & diu in Logica arte exercitatis, utiliora viſa ſunt: eaque tironibus propoſuerunt, ut in promptu regulas haberent, ad quas ratiocinationes ſuas dirigerent. Cumque animadverterent, nihil magis argumentum inluſtrare, & faciliorem intelligentiam reddere, quam ordinem, quo præceptiones traduntur; ſic præcepta nexuerunt, ut alia ex aliis ducerentur & in-

& inluſtrarentur. Cum autem uſu & experientia compertum haberent, altercationes de bonitate præceptorum mentem obtundere, ne, quæ neceſſaria ſunt, percipiat; ea diligenter ſepararunt: tum demum facili & prope quotidiano ſermone conſcripſere præcepta: atque periculo facto intellexerunt, non, niſi hac methodo, puerulos non pœnitendos in diſciplinis habere progreſſus. Id multiplici exemplo efficere poteramus; ſed uno & ſatis obvio contenti erimus.

Quærat quis litteratorem, qui puerulum doceat pingere characteres, & eleganter ſcribere: eumque roget, ut puerum, quam maxime poterit breviter, erudiat. Fingamus talem præceptorem evenire puello, qui ſit eruditus, & pius, ſed qui tali methodo auditorem ſuum inſtituat. Principio, antea quam docet pennam in manus ſumere, diſcipulum doceat originem litterarum: & rem ab ovo petens, exponat quidquid Flavius Joſephus de columnis illis lateritia, & lapidea Sethi, narrat: in quibus ante diluvium univerſale initia ſcientiarum depicta feruntur. Tranſeat inde ad litteras Hebræas, & aperiat antiquitatem Hebrææ linguæ, & quo modo ex ea paucis mutatis litteris ceteræ linguæ deduci queant: quod ipſum Thomaſſini, Buxtorfii, Waltoni, Hayne, Morini argumentis confirmet: & quid in aliam partem diſputarint Clercius, Grotius, Scaliger, Huetius, ſedulo enarret. Deinde explanet differentiam inter characterem quadratum ſeu Chaldaicum, & veterem Hebræum, ſeu Phœnicium, & Samaritanum: quibus addat Rabbinicum.

Deinde ad vocales veniat, & explicet diffuſe controverſiam inter Joannem Buxtorfium juniorem, & Ludovicum Cappellum de Hebræorum punctis vocalibus: ac diſputet de codicibus Hebræorum, de lege Orali, de editione tum Eſdræ, tum aliorum; de Doctoribus legis, de paraphraſibus Chaldaicis Onkeloſii, Jonathanis, Joſephi, ceteris; de converſionibus Sacrorum codicum veteribus, & recentioribus; de duplici Thalmude, ceteriſque codicibus, qui ſine punctis vocalibus ſcribi conſueverunt. Poſtremo de ſcholis Hebræorum, in quibus iſta tradebantur, & præſertim de ſchola Tiberiadis, in qua videntur non nullis puncta vocalia inventa fuiſſe & excogitata. Quibus addat non nihil de reliquis linguis Orientalibus, quæ ſine vocalibus ſcribuntur, ut Arabica, ceteris.

 Hinc

Hinc ad Aegyptiorum characteres tranſitum faciat, & declaret, quid ſint hieroglyphici illarum gentium: ubi Pierii Valeriani *Hieroglyphica*, &, ſi ſuperis placet, etiam Burnetii *Archæologias Philoſophicas*, in quibus Orientalium *Aenigmata* late perſequitur, exponat. Ad hæc diligenter exploret & enarret, quis artem ſcribendi calluerit: ubi de Academiis Eliopolitana, Memphitica, Thebana, ceteris. Deinde doceat, Aegyptios quædam in columnis, quædam in codicibus habuiſſe deſcripta: & hic de columnis Hermetis, de menſa Iſiaca, de Obeliſcis, qui Romæ exſtant, abundanter loquatur: & Marshami, Kircherii, Montfauconi, Pignorii, Budbeckii, Hervvarthi, commentaria exponat, inluſtret, excutiat.

Præterea de litteris Aethiopum, & ſimilitudine inter alphabetum Copticum, Græcum, Samaritanum, Aethiopicum explicet: ubi Bernardi *Tabulas Alphabetorum* anxie enarret. Item de Græcis characteribus, quos Cadmus ex Phœnicia in Græciam inportavit: deque eorum mutatione, ſpiritibus, accentibus, ceteris. Tum quomodo Romani characteres exigua litterarum flexione inde nati fuerint. Ad hæc de Orthœpeja, ſeu recta litterarum Latinarum pronunciatione; ac de vetere ſcriptura Romanorum: ubi Silburgii tractatum accurate exponat, & compendiariam Romanorum ſcribendi viam minutiſſime perſequatur: qua de cauſſa & notas, quæ ſuperſunt, quaſque Gruterus adducit, proferat ac exponat. Nec id ſolum, ſed etiam inluſtret, quam varient vetuſti lapides, & codices: quænam ſcribendi forma ſit præferenda: ubi Lipſium, Manutium, Voſſium, Sigiſmundum, Dauſquium, Cellarium, ceteros, qui de hoc ſcripſerunt, perpendat, atque de arte multiplicandi exemplaria, ſeu de arte typographica diſputet.

Præterea edoceat auditorem, Sinas ſeu Seres neſcire artem ſcribendi; ſed ſingulas res quibuſdam ſignis, quæ perpendiculari linea deſcribunt, ſignificare. Ad hæc de modo aptandi calamum, & tabulis parandis dicat: ubi de papyro Aegyptiorum, de tabulis ceratis, de membrana Pergamena, de charta bombycina, ſerica, ſtraminea curioſe plurima promat. Tum demum eruditionem aliam accumulet, tamque exquiſitam, qualem nec ipſe Scaliger notam habuiſſet: & id genus alia, quorum vel dimidiam partem nec totis

qua-

quatuor annis commode poſſet explicare: Verum de modo ſcribendi, quod erat propoſitum, altum ſilentium.

Hic aliquis ineptus, Adoleſcentes, prædicaret, hujuſmodi hominem eſſe doctiſſimum, facundiſſimum, maximi ingenii, & judicii. Ego vero ita ſentio, dementem eſſe: & auctor eſſem parenti pueruli, ut litteratorem ejuſmodi ad hoſpitium amentium deducendum curaret, prius quam animi rabie incitatus & præceps in furorem ageretur.

Credite, Adoleſcentes, huic litteratori fore perſimilem eum, qui cum puerum docere debeat bene ratiocinandi artem; eum inmiſcet operoſis & inutilibus diſputationibus, rebuſque, quæ non dicam juvare non poſſunt, ſed enecant puellos, & judicandi aciem retundunt. Duo enim obſtant, ne recte judicemus: alterum, quod nos detinent rebus inutilibus: alterum, quod ea, quæ quodammodo utilia forent, tam perturbate declarant, ut ſumma ſit omnium rerum in docendo confuſio.

Nam niſi via, ac ratione diſcamus, nec res, uti par eſt, percipiemus, nec ad aliquam excellentiam perveniemus. Etenim, ut monet vir clariſſimus, hoc ſolo nomine Geometria, & aliæ Mathematicæ diſciplinæ ingenium exacuunt, non ob res, quæ in iis diſputantur: quid enim juvat ad recte judicandum & ratiocinandum ſcire, tres angulos unius trianguli eſſe æquales duobus rectis; vel in triangulo rectangulo quadratum hypothenuſæ eſſe æqualem quadratis reliquorum laterum; & hujuſmodi alia? Sed tantum ob methodum, qua ita omnia nectuntur, ut alia ex aliis & certo & perſpicue naſcantur. Quod cum mens diu multumque contemplatur, talem comparat conſuetudinem, ut, quacumque materia propoſita, non, niſi ex principiis perſpicuis, & nulli dubiis, ratione & via philoſophetur: quod eſt bene ratiocinari.

Fateor, non nulla, quæ in Logica traduntur, in controverſiam cadere poſſe. Sed hæc doctioribus reſervamus, qui artem diſputandi callent: non vero tironibus, qui vacillant plerumque. Quod ſi exercere juvenes in diſputatione cupimus, exerceamus: ita tamen ut non de veritate & bonitate regularum, quæ omnibus ſunt perſpicuæ; ſed de earum uſu in ſingulis argumentis diſputemus.

E. g. Definiat aliquis *aurum*, *horologium*, *hominem*. Examinet alter, an condita definitio recte ſe habeat. Dum

ſic contendunt, veritas fiet nota, & litigatores hac diſputatione evadent acutiores.

Cum vero publice de aliquo diſputandum eſt, ſumant ſibi materiam, quæ in utramque partem diſputari poſſit, in eaque ſe exerceant. Vel proferant auctores aliquot inluſtres, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos, ceteros, & comparent ſe, ut ſatisfaciant interrogantibus, de qualitate librorum, de argumento, de diviſione, de ſtilo: uti paullo ante monuimus. Hæc profecto exercitatio utiliſſima eſſet, & multo, mea quidem ſententia, utilior, quam diſputationes illæ vulgatæ; quæ & laborem non modicum, & parum utilitatis adferre ſolent.

Hæc ſunt, Adoleſcentes, quæ vobis, tamquam maxime utilia, proponimus: quæ ſi pro ingenio veſtro, pro diſcendi cupiditate, uti par eſt, arripueritis, non pœnitendum operæ pretium vos facturos eſſe confidimus. Pauca hæc ſunt, ſed pro ætatis genio ſatis multa. Plura ſi vultis, ea legendis auctoribus, quos prætereuntes nominavimus, comparabitis: nos finem facimus diſputandi.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX

DE

ARTE SYLLOGISTICA

CAPUT I.

De Syllogiſmorum Figuris.

SYllogiſmus, uti diximus, eſt; *ratiocinatio verbis expreſſa*. Quemadmodum autem ex diverſa conjunctione ideæ mediæ cum extremis, oritur diverſa ſpecies ratiocinationis; ita diverſa conjunctio extremorum cum medio facit diverſas formas ſeu figuras ſyllogiſmorum: nam *Figura* eſt, *ratio jungendi medium cum extremis*. Hoc autem medium quadruplici modo cum extremis conferri poteſt: ex quo quatuor exſiſtunt *Figuræ* hoc modo.

I.	II.	III.	IIII.
M. P. S. M.	P. M. S. M.	M. P. M. S.	P. M. M. S.

Exempla.

I.

Omne quod fertur deorſum eſt corpus grave.
Omnis lapis fertur deorſum.
Ergo, Omnis lapis eſt corpus grave.

In prima enunciatione major terminus *eſſe grave*, prædicatur de medio *ferri deorſum*. In ſecunda idem medius adfirmatur de minori termino *lapide*.

II.

Omnis homo prudens providet futurum.
Infantes pueri non provident futurum.
Igitur, Infantes pueri non ſunt prudentes.

Medius *providere futurum*, prædicatur in majori de majori termino *homo prudens*: & in propoſitione minori de termino minori *infantes*.

III.

Nullus Luſitanus eſt Italus.
Aliqui Luſitani ſunt divites.
Ergo, Aliqui divites non ſunt Itali.

In prima major terminus *eſſe Italum*, negatur de medio *Luſitanis*: in altera minor terminus *eſſe divitem*, adfirmatur de eodem medio.

IIII.

Omne animal vivit, & ſentit.
Omne quod vivit, & ſentit eſt ſubſtantia.
Ergo, Aliqua ſubſtantia eſt animal.

Medius terminus *vivere & ſentire*, prædicatur in majori de *animali*. Idem medius in minori eſt ſubjectum, de quo adfirmatur *ſubſtantia*.

Quoniam vero enunciationes ſunt vel *Ajentes*, vel *Negantes*; deinde harum quælibet *Univerſalis*, vel *Particularis*;

ris; ex quo quatuor differentes ſpecies naſcuntur, A. E. I. O: Hinc in unaquaque Figura aliæ ſe offerunt conjunctiones enunciationum, qui vocantur *Modi*.

Hæ autem quatuor propoſitiones LXIIII. modis connecti poſſunt; ex quibus totidem differentes ſyllogiſmi exſiſtunt. [1] Horum tantum XVIIII. ſunt boni: id eſt, non peccant contra clariſſima principia, quibus innituntur ſyllogiſmi. Quod ut facilius intelligatur, quædam de ſyllogiſmis præſcribi ſolent, quæ nos breviter expediemus.

CAPUT II.

De legibus Syllogiſmi generatim.

QUidquid autem de *Figuris*, & *Modis* præſcribitur, ad hoc principium revocatur: *Eadem res non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*. Nam ſi vocamus ad examen unumquemque ex ſyllogiſmis, quos contra regulas peccare Logici adfirmant, facile deprehendemus, male concludere hoc ſolo nomine, quia adverſatur illi notiſſimo axiomati. [2] Cum tamen pauci ſint apti, qui rectam analyſin inſtituant; iccirco facilitatis gratia feruntur a Logicis non nullæ leges: quas ſi ſervabimus, numquam illi principio adverſabimur.

Quo vero has leges commodius percipiamus, quatuor axiomata in memoriam revocanda ſunt, de quibus alio loco [3] diximus. I. *Propoſitiones particulares ſubalternatæ continentur in ſubalternantibus*: *non contra*. II. *Si ſubjectum eſt univerſale; aut particulare, etiam talis eſt propoſitio*. III. *In univerſali adfirmante ſubjectum diſtribuitur*: *non*

[1] *Leibnizius* de Arte Combinatoria Probl. 2. n. 15. *Croſa* in Logic. P. III. c. 8. *Corſinius* Log. P. III. c. 4. & *alii*.

[2] *Hoc axioma eſſe primum cognoſcendi principium dixere Peripatetici plerique, & merito. Nam hujuſmodi principii veritas per aliud principium a* priori *nequit probari: ex eo autem omnes propoſitiones, quæ veræ ſunt, poſſunt deduci, aut ad illud revocari, ut conſideranti evidens eſt*.

[3] Libro IIII. p. 1. c. 5. in Corollar.

Digitized by Google

non prædicatum. IIII. *In univerſali negante & prædicatum, & ſubjectum diſtribuuntur*. Hæc ſunt principia legum, quæ ſequuntur.

Generales Leges.

Lex I. *Syllogiſmus non habeat pauciores terminos quam tres, nec plures quam tres*. [1]

Prima pars eſt manifeſta. Nam ſine tribus terminis non poteſt fieri ſyllogiſmus.

Altera pars conſequitur ex prima. Nam ſi occurrunt duo termini *medii*, extrema non conferuntur cum eodem medio, nec ad eamdem regulam perpenduntur, ſed diverſas. Ex diverſis autem regulis nequit conſtitui, an cohæreant, an non. Nam duæ regulæ diverſæ diverſas proprietates habent, quæ non neceſſario aliæ aliis cohærent, ut evidens eſt.

Sin quartus terminus *extremus* ſyllogiſmum ingrediatur, non comparabitur cum eodem medio. Ideoque vel ſit in præmiſſis tantum, vel in concluſione tantum, ſemper concluſio inferet aliud diverſum ab eo, quod in præmiſſis comparatum fuit ad medium. Propterea cum non exigat duo extrema ad unam regulam, falſo colliget, ea convenire, aut non convenire inter ſe.

In hanc legem multis de cauſſis peccatur, & hac ſola de cauſſa ſophiſmata fere omnia fallunt. Si duo medii clare ſe offerunt, facile errorem dignoſcimus, ut in hoc:

Omne animal eſt vivens.
Aliquis equus non eſt homo.
E. *Aliquis equus non eſt vivens*.

Hic aperte occurrunt 4. termini: *animal*, *vivens*, *equus*, *homo*.

Cum vero quatuor termini non ſemper primo adſpectu appareant, icciro ſedulo exponenda ſunt vocabula, ne in errorem incidamus. Sane quam frequentiſſimum eſt, ut vel *amphi-*

---

[1] *Hæc juvandæ memoriæ gratia breviter dicta ſunto: nam fuſior explicatio habetur* Libro III. p.2. c.1. & 3. *ad quam hæc lex exigi debet*.

amphibolia, vel *per mutationem ſuppoſitionis*, vel *per confuſionem unius termini cum altero*, inducantur quatuor termini. [1] Exempla facile occurrunt.

SCHOLION

Hæc lex, ſi rite intelligatur, ſufficit, ut omnem ſyllogiſmorum varietatem recte fabricemus: nam ceteræ leges ad eam reducuntur. Nihilominus addemus alias tironum gratia.

Lex II. *Medius terminus nequit ſumi bis particulariter: ſed minimum ſemel capi debet univerſaliter ſeu diſtribute.*

Nam ſi accipiatur bis particulariter, non erit unus, ſed duplex medius; ideo quatuor termini [contra leg. 1.] Hinc non valet:

Aliquis homo eſt pius.
Aliquis homo eſt latro.
E. *Aliquis latro eſt pius.*

Quia terminus *homo* in utraque ſignificat diverſum hominem, & ſunt 4. termini: *hic homo, pius, ille homo, latro.*

Lex III. *Medius terminus numquam in concluſione inveniatur, nec totus, nec pars.*

Nam medius eſt regula, ad quam in præmiſſis extrema ſeorſum perpenduntur, ut cognoſcamus, an eadem extrema inter ſe conveniant, an non. Ergo in præmiſſis locum habet, in concluſione non item. Secus adfirmaremus, aut negaremus aliquid, de quo non locuti eramus in præmiſſis, & eſſent quatuor termini: [contra legem 1.] ut in his:

Omne viride eſt jucundum.
Aliquod humanum cadaver eſt viride.
E. *Aliquod humanum cadaver viride eſt jucundum.*

In hoc totus medius *viride* eſt in concluſione, & ſunt 4. termini:

---

[1] *Modos contra hanc legem diverſos adducit Senguerdius in* Arte argumentandi, pag. 36. & ſeqq. *qui tamen ad prædicta revocantur, & præſertim ad* mutationem ſuppoſitionis.

mini: *viride* , *jucundum*, *humanum cadaver*, *humanum cadaver viride*.

Omnis bonus Theologus eſt homo.
Franciſcus eſt bonus Theologus.
E. Franciſcus eſt bonus homo.

In hoc pars medii *bonus* ingreditur concluſionem, & ſunt 4.termini: *bonus Theologus*, *homo*, *Franciſcus*, *bonus homo*.

Lex IIII. *In concluſione non ſit plus, aut minus, quam in præmiſſis*: *id eſt, termini non accipiantur latiori, aut reſtrictiori ſignificatione, quam in præmiſſis*.

Conſequitur ex ſuperiori. Nam cum [leg.3.] medium ſit regula, ad quam in præmiſſis duo extrema diriguntur; ſi aliquid amplius erit in concluſione, adfirmabitur, aut negabitur in ea aliquid, quod non expenſum fuit ad regulam, ac termini latius accipientur: & erunt quatuor termini [contra leg.1.] ut in hoc:

Qui mundum contemnit, patitur injurias.
Qui Chriſtum ſequitur, mundum contemnit.
E. Qui Chriſtum ſequitur, in æternum injurias patitur.

Sunt 4. termini: *mundum contemnere*, *pati temporarias injurias*, *Chriſtum ſequi*, *pati injuriam ſempiternam*.

Sin aliquid in concluſione deerit, quod eſſet in præmiſſis, accipietur in concluſione terminus reſtrictiori ſignificatione, & iterum erunt quatuor termini, ut in hoc:

Qui moritur in fide Chriſti, moritur ut iterum vivat.
Petrus moritur in fide Chriſti.
E. Petrus moritur.

Sunt 4. termini: *mori in fide Chriſti*, *mori ut vivamus*, *Petrus*, *mori ſimpliciter*.

Lex V. *Concluſio ſequitur debiliorem præmiſſam*: *id eſt*, *ſi una præmiſſa fuerit particularis*, *vel negans*, *hujuſmodi erit concluſio*. *E contrario ſi talis eſt concluſio probanda*, *etiam altera ex præmiſſis*.

Conſtat primum. Nam ſi concluſio univerſalis ex præmiſſa particulari duceretur, plus adfirmaret concluſio, quam præmiſſæ: [contra leg 4.] & eſſent quatuor termini [contra leg.1.] Similiter cum dico: *Nullus homo eſt lapis*; ſi animadverto, aliquid contineri in ſubjecto univerſali, e. g. *aliquod vivens eſſe hominem*; neceſſario debeo judicare,

care, *hoc vivens non eſſe lapidem*: aliter idem ſimul eſſet, & non eſſet.

Conſtat ſecundum. Nam ſi concluſio eſt particularis, aut negans, etiam altera ex præmiſſis virtute [1] ita ſe habebit. Aliter adfirmarem, aut negarem in concluſione minus, quam in præmiſſis ad regulam expenſum fuit: [contra legem 4.] & eſſent quatuor termini: [contra legem 1.]

Lex VI. *Ex duabus enunciationibus particularibus nulla apta concluſio ſequitur.*

Nam ideo adfirmamus extrema cohærere in particulari concluſione, quia certo ſcimus, eam contineri in alia univerſali. Ergo una ſaltim præmiſſa debet eſſe univerſalis. Clarius: duæ particulares non conferunt extrema cum uno, ſed duplici medio ac regula [contra legem 1.] ut in hoc:

Aliquis homo eſt doctus.
Aliquis homo eſt indoctus.
E. *Aliquis indoctus eſt doctus.*

Sunt 4. termini: *aliquis homo, doctus, alius homo, indoctus.*

Lex VII. *Ex duabus enunciationibus negantibus nihil ſequitur.*

Nam ideo adfirmamus, aut negamus, terminos concluſionis alium alii congruere, quia perſpectum habemus, ſubjectum concluſionis contineri in primo ſubjecto univerſali, de quo aliquod prædicatum adfirmavimus, aut negavimus: quod ipſum eſt, eſſe unam præmiſſam adfirmantem: eam nimirum, quæ oſtendit, concluſionem in univerſali contineri. Hinc male colligo:

Nullus homo malus ſervat mandata Dei.
Nullus juſtus eſt homo malus.
E. *Nullus juſtus ſervat mandata Dei.*

Nam fieri poteſt ut neutri extremo congruat prædicatum illud, quin inter ſe extrema concordent. Quia cum nego illa duo extrema congruere medio, hoc dico, talem non eſſe me-

[1] *Univerſalis ajens virtute eſt particularis, quam continet. Negans vero non niſi in negante continetur. Ex contextu autem evidens eſt, hic prætereundo præſcribi, ne minus ſit in concluſione probanda, quam in præmiſſis ad regulam ea de cauſſa expenſum fuit: quod etiam in particulari adfirmante ducta ex univerſali verum eſt.*

medium, ex quo veluti regula dignoſcere poſſimus, qualis relatio convenientiæ, aut diſconvenientiæ ſit inter extrema. Quare male adfirmamus, aut negamus, eſſe aliquam relationem.

Hæc lex primo adſpectu videtur ad primam illam & Regulam, & Legem, reduci non poſſe: verum ſi ea recte perpendatur, facili negotio reducitur. Nam ideo vitioſe colligitur ex duabus negantibus, quia non conferuntur recte duo extrema cum uno medio: [1] quinimmo plane negatur, poſſe ea cum eodem medio tali modo conferri.

Caput III.

De legibus Figurarum ſigillatim.

VEnio ad leges ſingularum Figurarum, quæ ſe habent hoc modo.

Figura I.

Lex I. *Minor propoſitio eſto adfirmans.*

Demonſtratur. 1. Nam proprium minoris eſt oſtendere, hanc rem ſub illa contineri, de qua aliquod prædicatum adfirmatur, vel negatur: ut inde colligam, idem prædicatum de eadem adfirmari, aut negari debere. Igitur neceſſario eſt ajens.

Dem. 2. Si minor eſt negans, major erit ajens: nam ex duabus negantibus nihil ſequitur: [leg. 7. gen.] Et ſi major eſt ajens, prædicatum ſumitur particulariter: [axiom. 3.] Cum autem prædicatum majoris ſit prædicatum concluſionis; & in concluſione, quæ eſt negans, quia ſequitur debiliorem [leg. 5. gen.] utrumque extremum accipiatur univerſaliter; [axiom. 4.] dupliciter accipietur unum extremum: [contra leg. 4. gen.] & erunt quatuor termini: [contra legem 1. gen.] ut in hoc ſyllogiſmo;

Omne

[1] *Modo a nobis expoſito* L. IIII. p. 2. c. 1. §. Porro, *ſeqq. præſertim* §. Præterea *&* *iterum in hac* Appendice *cap.* 1. *Lege V.* §. Conſtat primum.

Digitized by Google

Omne quod loquitur vivit.
Nullus equus loquitur.
Igitur, nullus equus vivit.

Sunt 4. termini: *loquitur, aliquod vivens, equus, nullum vivens.*

Lex II. *Major propoſitio eſto univerſalis.*

Dem.1. Nam ideo adfirmamus, aut negamus aliquid in concluſione, quia cognovimus, hanc enunciationem contineri ſub aliqua univerſali. Sed ſubjectum minoris eſt idem ſubjectum concluſionis. Ergo, ut concluſio contineatur in aliqua univerſali, oportet quod major ſit univerſalis.

Dem.2. Si major eſt particularis, ſubjectum, quod eſt medius, erit particulare: [axiom.2.] Cum autem idem medius ſit prædicatum minoris, quæ eſt ajens, [per legem 1.] erit itidem particulare: [ax.2.] Ergo erunt quatuor termini: [contra leg.1. gen.] Hac de cauſſa non eſt bona hæc collectio:

Virtus eſt genus reſpectu Juſtitiæ, & Fortitudinis.
Juſtitia eſt virtus.
E. Juſtitia eſt genus reſpectu Juſtitiæ, & Fortitudinis.

Nam cum *virtus* non accipiatur diſtribute *pro omni virtute*, ſed tantum *pro aliquo prædicato virtutis*; eſt particularis major: dicere enim vult: *Aliquod prædicatum* [nempe habitus electivi in mediocritate conſiſtentis] *quod vocatur virtus, ſejunctum a reliquis prædicatis videtur ob ſimilitudinem genus reſpectu J. Fortitudinis &c. Juſtitia habet ſimile prædicatum, ſed conjunctum aliis prædicatis ſuis. Ergo, Juſtitia eſt genus reſpectu J. Fortitudinis &c.* In quo clare ſe offert duplex medium, & 4. termini: *prædicatum virtutis ſejunctum: videtur genus reſpectu &c.: juſtitia: prædicatum virtutis conjunctum aliis.*

FIGURA II.

Lex I. *Una præmiſſa eſto negans.*

Dem. Nam medium in utraque præmiſſa eſt prædicatum: prædicatum autem enunciationis ajentis accipitur particulariter: [axiom.3.] Ergo ſi utraque eſſet ajens, medius bis particulariter acciperetur, & eſſent quatuor termini: [contra leg.1. gen.] Hinc falſo colligo in hunc modum:

Omnis

Omnis equus eſt ſubſtantia.
Omnis ſpiritus eſt ſubſtantia.
E. Omnis ſpiritus eſt equus.

Sunt enim 4. termini: *equus*, *aliqua ſubſtantia*, *ſpiritus*, *alia ſubſtantia*.

Excipe, ſi extrema ſic *reciprocentur*, ut ſubjectum fieri poſſit prædicatum, & e contrario. Nam cum æque late pateant, ex duabus ajentibus bona concluſio cogitur, ut in hoc:

Omne riſibile eſt homo.
Omne animal rationale eſt homo.
E. Omne animal rationale eſt riſibile.

Lex II. *Major eſto univerſalis.*

Dem. Nam ſi eſſet particularis, etiam ſubjectum eſſet particulare: [axiom.2.] Cum vero in concluſione, quæ eſt negans, quia imitatur debiliorem [leg. 5. gen.] ſumatur univerſaliter; [axiom.4.] latius in ea ſumeretur: [contra leg.4. gen.] & eſſent quatuor termini: [contra leg.1. gen.] ut in hoc:

Aliqua ſubſtantia eſt ſpiritus.
Nullum corpus eſt ſpiritus.
E. Aliquod corpus non eſt ſubſtantia.

En 4. termini: *aliqua ſubſtantia*, *ſpiritus*, *corpus*, *nulla ſubſtantia*.

FIGURA III.

Lex I. *Minor ſit adfirmans.*

Dem. Si minor fuerit negans, major erit ajens: nam ex duabus negantibus nihil ſequitur: [leg.7. gen.] Deinde ſi minor eſt negans, etiam concluſio: [leg.5. gen.] Cum autem termini concluſionis negantis accipiantur univerſaliter; [axiom.4.] & prædicatum majoris ajentis accipiatur peculiariter; [axiom.2.] majus extremum latius in concluſione accipietur: [contra leg.4. gen.] & erunt quatuor termini: [contra leg.1. gen.] Ergo neceſſario minor eſt ajens. Hinc perperam ratiocinamur hoc modo:

Omnis beſtia ſentit.
Nulla beſtia eſt homo.
E. Nullus homo ſentit.

Termi-

Termini enim 4. ſunt: *beſtia, aliquod ſentiens, homo, nullum ſentiens*.

Lex II. *Concluſio eſto particularis*.

Dem. Nam in tertia Figura ſubjectum concluſionis eſt prædicatum minoris: & cum minor ſit adfirmans, [per leg.1.] prædicatum eſt particulare: [ax.3.] Ergo etiam concluſio erit particularis, quia ſequitur debiliorem: [leg.5. gen.] Brevius: ſi eſſet univerſalis, plus eſſet in concluſione, quam in præmiſſis: [contra leg.4. gen.] & iterum eſſent quatuor termini: [contra leg.1. gen.] ut in hoc:

Omnis bellua vivit.
Omnis bellua eſt corporea.
I. Omne corporeum vivit.

Habet hic ſyllogiſmus 4. terminos: *bellua, aliquod vivens, aliquid corporeum, omne corporeum*.

Excipe, ſi termini minoris propoſitionis ſic reciprocentur, ut alter pro altero poni queat, ut in II. Figura diximus; tunc enim concludi poteſt univerſaliter hoc modo:

Omnis homo eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt animal rationale.
E. Omne animal rationale eſt ſubſtantia.

FIGURA IIII.

Lex I. *Si major ſit adfirmans, minor erit univerſalis.*

Dem. Nam medius in hac Figura eſt prædicatum majoris: & prædicatum in univerſali adfirmante ſumitur particulariter: [axiom.3.] Cum autem in minori idem medius ſit ſubjectum, ſi eſſet item particularis, in utraque ſumeretur particulariter: [axiom.2.] Ideoque eſſent quatuor termini: [contra leg.1. gen.]

Lex II. *Si minor ſit adfirmans, concluſio erit particularis.*

Nam in minori adfirmante minus extremum, ſeu prædicatum ſumitur particulariter: [ax.2.] Cum autem minus extremum ſit ſubjectum concluſionis; debet itidem ſumi particulariter. Nam ſi ſumatur univerſaliter, plus eſſet in concluſione, quam in præmiſſis: [contra leg.4. gen.] & eſſent 4. termini: [contra leg.1. gen.]

Lex III. *Si concluſio eſt negans, major erit univerſalis.* Nam

Nam majus extremum, quod eſt prædicatum concluſionis negantis, ſumitur univerſaliter: [ax.4.] Cum autem majus extremum ſit ſubjectum majoris; ſi non eſſet univerſale, ſed particulare, plus eſſet in concluſione, quam in præmiſſis: [contra leg.4. gen.] & eſſent 4. termini [contra leg.1. gen.]

Porro hæ leges litteris vocalibus quarumdam vocum, quas Logici excogitarunt, ſignificari ſolent: quæ his verſiculis continentur.

I. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio*. IIII. *Bamalipton, Camentes, Dimatis, Feſapno, Freſiſomorum*.
II. *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco*. III. *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon*.

Exempla.

I.

1. AAA.	Bar-	*Omne animal eſt vivens*.
	ba-	*Omnis homo eſt animal*.
	ra.	*E. Omnis homo eſt vivens*.
2. EAE.	Ce-	*Nullus ſpiritus eſt lapis*.
	la-	*Omnis angelus eſt ſpiritus*.
	rent.	*E. Nullus angelus eſt lapis*.
3. AII.	Da-	*Omne mortale eſt vivens*.
	ri-	*Aliquis equus eſt mortalis*.
	i.	*E. Aliquis equus eſt vivens*.
4. EIO.	Fe-	*Nullum bonum eſt repudiandum*.
	ri-	*Prudentia eſt bonum*.
	o.	*E. Prudentia non eſt repudianda*.

II.

1. EAE.	Ce-	*Nulla injuſtitia eſt amanda*.
	ſa-	*Omnis virtus eſt amanda*.
	re.	*E. Nulla virtus eſt injuſtitia*.
2. AEE.	Ca-	*Omne viſibile eſt corpus*.
	meſ-	*Nullus ſpiritus eſt corpus*.
	tres.	*E. Nullus ſpiritus eſt viſibilis*.

3. EIO.

Digitized by Google

3. E I O.	Feſ-	*Nullus lapis eſt animal.*
	ti-	*Aliquod vivens eſt animal.*
	no.	*E. Aliquod vivens non eſt lapis.*
4. A O O.	Ba-	*Omne corpus eſt figuratum.*
	ro-	*Aliquis ſpiritus non eſt figuratus.*
	co.	*E. Aliquis ſpiritus non eſt corpus.*

III.

1. A A I.	Da-	*Omne quod ſentit eſt animal.*
	ra-	*Omne quod ſentit eſt ſubſtantia.*
	pti.	*E. Aliqua ſubſtantia eſt animal.*
2. E A O.	Fe-	*Nullum ſentiens eſt incorruptibile.*
	la-	*Omne ſentiens eſt animal.*
	pton.	*E. Aliquod animal non eſt incorruptibile.*
3. I A I.	Di-	*Aliquis homo eſt peccator.*
	ſa-	*Omnis homo eſt riſibilis.*
	mis.	*E. Aliquod riſibile eſt peccator.*
4. A I I.	Da-	*Omnis flos eſt vivens.*
	ti-	*Aliquis flos eſt adorifer.*
	ſi.	*E. Aliquod odariferum eſt vivens.*
5. O A O.	Bro-	*Aliquis adamas non eſt albus.*
	car-	*Omnis adamas eſt duriſſimus.*
	do.	*E. Aliquod duriſſimum non eſt album.*
6. E I O.	Fe-	*Nulla planta eſt ſenſitiva.*
	ri-	*Aliqua planta eſt fructifera.*
	ſon.	*E. Aliquod fructiferum non eſt ſenſitivum.*

IIII.

1. A A I.	Ba-	*Omne animal eſt vivens.*
	ma-	*Omne vivens eſt ſenſitivum.*
	lipt.	*E. Aliquod ſenſitivum eſt animal.*
2. A E E.	Ca-	*Omnis ſuperbia eſt vitium.*
	men-	*Nullum vitium eſt amandum.*
	tes.	*E. Nullum amandum eſt ſuperbia.*
3. I A I.	Di-	*Aliquod nigrum eſt homo.*
	ma-	*Omnis homo eſt rationabilis.*
	tis.	*E. Aliquod rationabile eſt nigrum.*

4. EAO,	Fe-	*Nullus equus eſt ſapiens:*
	ſa-	*Omne ſapiens eſt animal.*
	pno.	*E. Aliquod animal non eſt equus:*
5. EIO,	Fre-	*Nullum laudandum eſt vitium.*
	ſi-	*Aliquod vitium eſt avaritia.*
	ſom.	*E. Aliqua avaritia non eſt laudanda.*

COROLLARIUM I.

Hinc prima Figura, quia perſpicua & facilis eſt, ſola ſufficit, ut in ea argumentationes omnes conficiantur: & aliis Figuris tuto carere poſſumus.

Nam quælibet concluſio probanda vel eſt A, vel E, vel I, vel O. Hæ autem quatuor concluſiones in prima Figura reperiuntur; non ita vero in aliis Figuris.

COROLLARIUM II.

Hinc modi ſecundæ, & tertiæ Figuræ memoriæ mandandi ſunt; non quia multum nobis adferant utilitatis, ſed ne, cum eos offendamus, difficulter intelligamus.

COROLLARIUM III.

Hinc quartæ Figuræ modi tum directi, tum indirecti; quia univerſaliores, & clariores ſunt, quam modi ſecundæ, & tertiæ, memoria tenendi ſunt, ut eorum ope de bonitate multorum ſyllogiſmorum facilius judicemus.

Nam in ſecunda Figura non aliæ probari poſſunt concluſiones, quam E.O: in tertia Figura I.O. At vero in quarta occurrunt E.I.O. Ergo hæc ad plura probanda inſervit, quam duæ mediæ. Deinde ordo collocandi medii eſt multo clarior. Ideo ex eo multo facilius de incluſione, aut excluſione medii in extremis judicari poteſt. [1]

COROL-

[1] *De quarta Figura in prima editione hujus Logicæ verecundius locuti ſumus, ne ſtomachum non nullis moveremus, qui, Peripatetica ſententia impediti, eam minus claram,*

Corollarium IIII.

Hinc ſyllogiſmus, in quo minor primo loco eſt, & major ſecundo, non facit quintam Figuram, e. g. ſi ſit in prima Figura.

Nam quemadmodum, ut reperiamus quale ſit ſubjectum, inverſi reſtituuntur termini propoſitionum; ita quando agitur de Figura nova inducenda, faciliori ordine ſecundum variam poſitionem medii propoſitiones ſunt diſponendæ. Quod ſi inverſio primæ eſſet quinta Figura ſuis regulis donata, etiam tranſpoſitio quartæ daret ſextam Figuram ſuis modis, & legibus conſtitutam. [1]

Corollarium V.

Hinc in omni Figura colligi poteſt directe, & indirecte.

Colligitur *directe*, cum prædicatum majoris eſt prædicatum in concluſione. In prima Figura hoc modo:

Omne animal eſt ſenſitivum.
Omnis homo eſt animal.
E. Omnis homo eſt ſenſitivus.

Colligitur *indirecte*, cum prædicatum majoris eſt ſubjectum concluſionis, hoc modo:

Omne animal eſt ſenſitivum.
Omnis homo eſt animal.
E. Aliquod ſenſitivum eſt homo.

Ita in ſecunda Figura colligi poteſt *directe* ſic:

Nullus lapis eſt homo.
Omne riſibile eſt homo.
E. Nullum riſibile eſt lapis.

---

ram, & expeditam, quam ceteræ, reputabant: iccirco eorum loquendi mori non nihil indulſimus. Verum cum in hac editione neceſſarium judicaverimus hunc errorem communem demonſtrare, quod fecimus ſupra Libro IIII. p. 2. cap. 5.; propterea & hic clarius mentem noſtram exponere, & hunc canonem ſine ulla obſcuritate quæſita ſcribendum exiſtimavimus.

[1] *Croſa* Log. P. III. c. 9.

Vel etiam *indirecte* in hunc modum:

Nullus lapis eſt homo.
Omne riſibile eſt homo.
E. *Nullus lapis eſt riſibilis.*

Conſimili modo colligi poteſt in tertia, & quarta Figura.

SCHOLION I.

Quarta Figura Galenum auctorem habet, vel ſaltim ab eo frequentius adhibita eſt: [1] *quamvis in Galeni operibus de ea mentio nulla fiat: ab aliis vero Philoſophis non item. Quod in cauſſa fuit, cur Ariſtoteles percenſens ſyllogiſmos, qui in uſu ſunt, tres tantum horum claſſes conſtituerit: Theophraſtus vero, & Eudemus,* [2] *loco quartæ Figuræ, quinque ſyllogiſmos* indirectos, *Porphyrio probatos, in prima Figura collocaverint. Inmerito tamen, uti mihi videtur: nam ſyllogiſmi* indirecti *in omnibus Figuris condi poſſunt:* [*coroll.*5.]

Ariſtotelici perpetua altercatione contendunt, quartam hanc Figuram nihil aliud eſſe, quam inverſionem primæ: ideo non eſſe Figuram. Sed, ut ſcite monet vir doctus, eſt mera λογομαχία. Nam ipſi fatentur, argumentationem eſſe legitimam: tantum diſputant, de nomine Figura. *Sed cum diximus, Figuram eſſe* certam conjunctionem medii cum extremis; *nullus ſanus dubitaverit, quartam hanc conjunctionem eſſe quartam Figuram.*

SCHOLION II.

Perſpicuum eſt, Modos poſteriorum Figurarum poſſe revocari ad quatuor modos primæ, ſi tres terminos collocemus ſecundum ritum primæ. Ariſtotelici tamen de legibus harum reductionum ſine ullo ſine diſputant. Sed nihil eſt inutilius in univerſa Logica. *Qui ſyllogiſmos reducere cupiunt, facilius id ſine regulis facient, modo intelligant plane, quid illis vocabulis deſignare intendunt. Nam percepta ſignificatione*

[1] *Averroeſius*, *in* L. I. Priorum Analytic. c. 8.
[2] *Boetius*, de Syllog. Categ. L. II.

tione concluſionis probandæ, & ideæ mediæ, poſſum quemcumque ſyllogiſmum ad quamcumque Figuram vel ſine ullo labore reducere. Sin hæc non intelligo, nullæ me regulæ juvare poſſunt. Si qui vero has delicias inhiant, adeant Logicorum vulgarium ſcripta, quæ undique hæc myſteria crepant.

CAPUT IIII.

De ſyllogiſmis Singularibus, & Compoſitis.

PRæter ſyllogiſmos ſimplices, de quibus ſuperiori cápite diſputavimus, alios ſyllogiſmos diſputando facimus, immo in familiari ſermone non niſi complexis utimur ſyllogiſmis. De quibus ordine explicabimus, ſi prius de *ſingulari* dicamus.

Singulares.

Singularis ſyllogiſmus eſt, *qui conſtat medio ſingulari, & una ſaltim præmiſſa ſingulari*, hoc modo:

1. *Petrus fuit Judæus.*
   Petrus fuit Romanus epiſcopus.
   E. Aliquis Romanus epiſcopus fuit Judæus.
2. *Chriſtus fuit ſervator humani generis.*
   Aliquis Judæus fuit Chriſtus.
   E. Aliquis Judæus fuit ſervator humani generis.

Poſtremus hic ſyllogiſmus aliquem uſum habere poteſt in inveſtigatione veri: & in tribus primis Figuris fieri poteſt; atque iiſdem, quibus ſimplices, nititur principiis.

Compoſiti.

Compoſitus ſyllogiſmus eſt, *cujus una ſaltim propoſitio eſt compoſita.*

Hic vel eſt *Condicionalis*, vel *Relativus*, vel *Cauſſalis*, vel *Disjunctivus*, vel *Copulativus*.

I. *Condicionalis*, qui etiam dicitur *Hypotheticus*, eſt, *qui ſaltem unam propoſitionem condicionalem habet*. [1] Propoſitio autem condicionalis duas habet partes, quarum una, quæ condicionem continet, dicitur *antecedens*, altera *conſequens*. e. g.

Si Sol lucet, dies eſt.
Sed Sol lucet.
E. Dies eſt.

Hi ſyllogiſmi triplici modo fieri poſſunt. Qui habent minorem, & concluſionem condicionalem, vel tres propoſitiones condicionales, æquivalent ſimplicibus ſyllogiſmis, & ex *legibus ſimplicium* fieri debent. Qui habent tantum majorem condicionalem, ſervant has leges duas. 1. *Si in alterutra præmiſſa adfirmatur, aut negatur antecedens, etiam in concluſione adfirmatur, aut negatur conſequens: non contra.* 2. *Si in alterutra præmiſſa negatur conſequens, etiam in concluſione negatur antecedens: non contra.* Peccat in primam hic:

Si homo eſt beſtia, ſentit.
Sed homo ſentit.
E. Homo eſt beſtia.

Nam ex adfirmatione conſequentis adfirmatur antecedens. In ſecundam peccat hic:

Si homo eſt beſtia, ſentit.
Sed homo non eſt beſtia.
E. Homo non ſentit.

Nam ex negatione antecedentis, negatur conſequens, & ideo eſt falſus.

II. *Relativus* eſt, *qui uno ſaltem præmiſſa relativa conſtat*, ut hic:

Quales ſunt Reges, tales ſunt ſubditi.
Sed Rex eſt bonus.
Ergo, Subditi ſunt boni.

In his id tantum ſervari debet, ne in minori ſumatur terminus, qui ſub majori non contineatur. Cetera ſimplicium legibus ſubjiciuntur.

Poſſunt hi ſyllogiſmi ad *condicionales* reduci: nam prima

---

[1] *Vide* L. IIII. p. I. c. 3.

ma pars majoris eſt veluti condicio, ex qua ſequitur altera magis particularis, ut in hoc:

Si Reges ſunt boni, aut mali, etiam ſubditi.
Sed Rex eſt bonus.
E. Subditi ſunt boni.

III. *Cauſſalis* eſt, *cujus una ſaltim propoſitio eſt cauſſalis*. [1] velut hic:

Quod non ſum ignara mali, miſeris ſuccurrere ſum parata.
Sed vos eſtis miſeri.
Ergo, vobis ſuccurrere ſum parata.

Hic ſyllogiſmus ad *condicionalem* reduci poteſt hoc modo:
Si mali non ſum ignara, ſum parata miſeris ſuccurrere &c.
Vel ad abſolutum ſic:

Omnis non ignarus mali eſt paratus miſeris ſuccurrere.
Ego ſum non ignara mali, vos autem eſtis miſeri.
Ego, igitur, ſum parata vobis miſeris ſuccurrere.

Eadem ratione ad Proſyllogiſmum quam facillime reducitur.

IIII. *Disjunctivus* eſt, *cujus major propoſitio eſt disjunctiva*. [2] Propoſitio autem disjunctiva vel eſt bimembris, vel plurium membrorum. Ratio vero concludendi in his ſyllogiſmis eſt oppoſitio partium. Quare ſi duo tantum ſunt membra, eaque ſtricte oppoſita, tunc ex unius veritate bene infertur falſitas alterius: aut contra. Vel id adfirmando, vel negando fiat, perinde eſt. e. g.

Petrus aut videt, aut eſt cæcus.
Sed videt.
E. Non eſt cæcus.

Sin autem membra ſint plura, hæc eſt regula ſervanda. *Enumerentur partes omnes: Si una tantum adfirmetur, reliquæ removeantur. Si omnes præter unam removeantur, quæ reliqua eſt adfirmetur. Si una tantum removeatur, reliquæ disjunctive ponantur*. Itaque ex eadem majori triplici modo recte colligimus. e. g.

1. *Petrus vel eſt ingenuus, vel libertinus, vel ſervus;*
Sed eſt ingenuus.
E. Non eſt libertinus, nec ſervus.

2. Sed

[1] *Loco cit.* [2] *Loco cit.*

Digitized by Google

2. *Sed nec ingenuus, nec libertinus.*
E. Eſt ſervus.
3. *Sed non eſt ſervus.*
E. Ingenuus, vel libertinus.

Quod ſi has regulas non ſervavero, erit falſa: ut contrariis exemplis effici poteſt.

Animadvertendum eſt autem, disjunctivum ad condicionalem, parum mutata prima, revocari ad hunc modum:

Si Petrus eſt ingenuus, non eſt libertinus, nec ſervus.
Sed eſt ingenuus.
Ergo, nec libertinus, nec ſervus.

V. *Copulativus* eſt, *cujus major eſt copulativa.* [1]

Qui ajentes ſunt, bene colligunt ſi major unico conſtet prædicato, ut in hoc:

Omnis homo, & omnis avis eſt animal.
Petrus eſt homo, pſittacus eſt avis.
E. Petrus, & pſittacus ſunt animalia.

Nam hic æquivalet duobus ſyllogiſmis ſimplicibus. Quod ſi conſtet uno ſubjecto, & duobus prædicatis, tunc eſt nugatorius, quia ponit in antecedente id ipſum, quod in concluſione colligit.

Negans copulativus recte colligit, ſi, poſita una parte in minori, removetur in concluſione altera hoc modo:

Non & lapis eſt, & animal,
Sed eſt lapis,
E. Non eſt animal.

Nam major ſignificat, *non eſſe ſimul lapidem, & hominem.* Igitur ſi minor adfirmat unum, debet concluſio negare alterum. At ſi minor unum negat, non ſequitur aliud in concluſione aut adfirmandum eſſe, aut negandum: nam poteſt utrumque eſſe falſum. Quod ex regulis *contrariarum* evidens eſt: quæ ambæ poſſunt eſſe falſæ, non ambæ veræ: interdum altera vera, altera falſa eſt.

VI. *Dilemma* eſt, *ſyllogiſmus disjunctivus bimembris.* Proinde ex legibus *disjunctivorum* fabricari debet. At cum Dialectici ejus leges ponant ſeorſum, & nos, ut iis morem geramus, breviter faciemus. Itaque *Dilemmatis* tres ſunt leges. 1. *Membra omnia, quæ in toto continentur, enumerentur.*

[1] *Loco cit.*

rentur, nihil ſit reliqui. 2. *Ratio cur aliquid adfirmatur, aut negatur talis ſit, quæ hominem non ineptum moveat ut aliquid faciat*: ſecus non neceſſario infertur, removendas eſſe partes, aut ponendas. 3. *Hoc incommodum tale ſit, quod in opponentem torqueri non poſſit*. Nam ſi poteſt contorqueri, ſit, ex poſitione, aut remotione partium talem concluſionem non ſequi.

His tribus nominibus dilemma illud de uxore [1] eſt vitioſum. Nam primum non enumerat membra omnia, ſed tantum *pulcram*, & *deformem*: remanet autem tertium, *mediocris forma*, & talis, quæ nec faſtidio, nec ſollicitudini ſit. Deinde non ponit verum detrimentum: nam eſſe mulierem pulcram non eſt tale incommodum, quod neceſſario inferat moleſtiam: poteſt enim eſſe pudica, & talis, quæ uxoris officia cum dignitate tueatur. Immo vero poteſt etſi deformis, talibus virtutibus eſſe ornata, ut longe ſuperet exquiſitas illas, & celeberrimas formas mulierum. Poſtremo ex dictis merito inflecti poteſt in opponentem hoc modo:

Si eſt pulcra, poteſt eſſe pudica: plurimæ enim fuerunt:
Si eſt deformis, poteſt id aliis animi, & corporis dotibus compenſare.
Igitur ducenda eſt.

VII. *Sorites*, ut alio loco [2] oſtendimus, conſtat plurimis ſyllogiſmis ſimplicibus, ideoque ratione materiæ eſt compoſitus, ac ad copulativos revocatur. Is autem duas leges habet. 1. *Omnes præmiſſæ, quæ inter primam & ultimam continentur, ſint univerſales*. Nam media eſt major ſyllogiſmi primæ Figuræ. Igitur univerſalis: [leg. 2. prim. Figur.] 2. *Omnes præmiſſæ ſint ajentes: ultima poteſt eſſe negans*. Nam quælibet præmiſſa eſt minor ſyllogiſmi, qui ſequitur. Ergo non poteſt eſſe negans: [leg. 1. Fig. 1.] Ultima non eſt minor, ſed major ultimi ſyllogiſmi: ideo poteſt eſſe negans, quia tales habentur in prima Figura.

Hæ ſunt regulæ Dialecticorum vulgarium de ſyllogiſmis Compoſitis. Verum hæ omnes regulæ ad noſtram illam, *trium idearum recte comparatarum*, reducuntur: ac multo facilius ex ea, quam ex his, fabricari poſſunt ſyllogiſmi compoſiti:

---

[1] *De quo L. IIII. p. 2. c. 2. fine.*
[2] *Supra L. IIII. p. 2. c. 2. n. 6.*

Digitized by Google

poſiti : modo propoſitiones veræ ſumantur , ſine quibus nulla ratiocinatio nec ſimplex , nec compoſita recte ſe habere poteſt . Nam omnes ſyllogiſmi compoſiti ratione formæ virtute , ut ante diximus , ſunt *condicionales* : condicionalis autem levi mutatione facta evadit *abſolutus* : tam enim facile ſic enunciamus : *Si homines peccabunt , punientur* : quam hoc modo : *Omnes homines , qui peccant , punientur* . Proinde nullo negotio generali regulæ ſubjicitur . Compoſitus autem ratione materiæ , ſeu copulativus conſtat duobus ſimplicibus & abſolutis : propterea ad ſimplicium legem dirigi debet . Cetera tam plana ſunt , ut admonitore opus non ſit .

Habetis , Adoleſcentes , quæ de *Arte Syllogiſtica* magis ex uſu tradi ſolent : reliqua , quæ ſunt inutilia & vana , apud eos legere poteſtis , qui in iis ætatem conſumſerunt , quorum ſatis vulgata ſunt ſcripta .

Illud tamen vos monitos volumus , parum has regulas prodeſſe Philoſopho , niſi ipſe argumentum , de quo eſt diſputaturus , cognitum habeat & exploratum . Quod qui non habent , ii quidem etiamſi undique ſyllogiſmos crepent , nec probationes ullas invenient , nec aliquid diſputando efficient . Qui vero materiam penitus comprehendit , & in judicando eſt exercitatus , vel ſine ullis ſyllogiſmis ex *Arte* illa factis rem , de qua loquitur , intelliget , & optime ratiocinabitur . Quare hoc uno teſtimonio , quod graviſſimum eſt , [1] concludemus : *Nec enim ego nego proſpicienda iſta : ſed proſpicienda tantum , & a limine ſalutanda : in hoc unum , ne verba nobis dentur , & aliquid eſſe in illis magni , ac ſecreti boni judicemus* . Et de Syllogiſmo hactenus .

Finis Artis Syllogiſticæ .

592663

MEN-

[1] *Sunt verba Lucii Senecæ philoſophi Stoici , id eſt , acutiſſimi Dialectici* , in Epiſt. 49.

			MENDA	CORRIGE:
Pag,	12.	linea 3.	ſentensias	ſententias
	21.	15.	Philopſophos	Philoſophos
	24.	30.	explanit	explanat
	25.	7.	certitudinem	evidentiam
	33.	5.	utuntur	utantur
	35.	*Nota* 1.	*homonyma*	*ſynonyma*
	67.	11.	planiſpherium	planiſphærium
	86.	2.	rore aticulatos	ore articulatos
	98.	20.	elices	elicies
	152.	7.	tranſpoſitionibus	tranſmutationibus
	184.	24.	certitudine	firmitudine
	230.	4.	colligeram	collegeram
	292.	l.ult.	*abborret*	*abhorret*
	317.	29.	*Saliani*	*Saliari*

Biblioteca Naz. Napoli

Digitized by Google

592663